
TRACTATUS PRIMUS DE ESSENTIA, ET ATTRIBUTIS. PER...

Raimundo Lumbier





TRACTATVS PRIMVS DE ESSENTIA, ET ATTRIBVTIS.

PER REVERENDISSIMVM P. M. Fr. Raymundum Lumbier, Navarrum, Sangosanum, in Vniversitate Cæsar-Augustana Philosophiæ Magistrũ, Sacræ Theologiæ Doctorem, eiusdem Primarium Professorem; Archiepiscopatus ipsius Synodalem Examinatorem; Aragoniæ, & Supremæ Inquisitionis Qualificatorem; Concionatorem Regium; & Carmelitanæ Familiæ, semel, & iterum Aragoniæ Provinciæ Priorem Provincialem.

† ✠ †

CVM LICENTIA:

Cæsar-Augustæ. Typis Ioannis de Ybar, Anno 1677.

REVERENDISSIMO
PATRI NOSTRO Fr. IOSEPHO XIMENEZ SAMANIEGO, in S. Theologia Lectori Iubilato: Pro fovendo Immaculatæ CONCEPTIONIS Mysterio, Sacræ Catholicæ Maiestatis Theologo; Hispaniarum Magnati, & totius S. FRANCISCI Ordinis Ministro Generali.

S. P.

INOLEVIT apud Scriptores laudabilis consuetudo, vt quæ typis mandant, Geniali protectioni commendent, nullusque est, quem numinis electio non torqueat, & quam plurimos trahit blandiendi Cupido. Me vnum, à discrimine omnium, & nomen

men tuum, & libri momenta vindicant, cum Nominis SAMANIEGO elementa permixta, more Anagrammatum, SANE IMAGO, Imaginem Sane reddunt, qualem nec vota Subtiliori pennicillo auderent effingere, nec mens speraret figurare.

Parietibus Antiqui fumosas Maiorum Imagines appendebant, vt Gentilitia Nobilitatis simulacra jam functa, rediviva servarent, & Posterorum vota ad æmulationem accenderent. In te sanè tuorum Imagine Originariæ Nobilitatis Imagines novo virtutis, & honoris incremento revivifcunt. Quam placidè in Epistolari ista tabula, & tuos, & te adumbrarem, ni vererer dum pennicillum intingo, ora modestissima tua blandienti rubore suffundere. Alijs mitto, qui ennumerent longa serie, Tuorum Sacros Antistites, Vindices Iustitiæ, Belli Duces, Pacis Assertores, & Militarium Ordinum Stemmatibus insignitos, dum tibi hoc vnum arridet, si resculpta referas Parentis vulnera, & alta Humilitatis fundamenta æmuleris. Hæc Sanguinis

avitì

aviti Nobilior, ex Hier. *progenies*: Ille apud Deum præest potior, non quem Nobilitas generis, nec Dignitas sæculi, sed quem Devotio Fidei, & sancta Vita commendat. *Quam ab incunabulis hausisti Seraphicæ Familiæ, non tàm adscriptus quã natus á primordijs servasti, & per virtutum, & munerum incrementa crevisti, juxta Flavium*: Nemo inquam pervenit ad Virtutum summum jam maturus, nisi qui puer, Seminario Virtutum generosiore concretus, Inclytum designavit. *Ea de Causa Burgensis Eparchia in Provincialem te elegit, vt Seraphicus Cœtus postmodum in totius Familiæ Cismontanæ Commissarium Generalem fœlici, & numine, & omine cooptaret. Quo in munere quantum prudentia, æquitate, cæterisque animi ornamentis profeceris, si vellem enarrare, in prolixum volumen Epistolarem brevitatem protenderem. Illud solummodo compertum, Te quibusdam quasi virtutum gradibus ad summum vsque totius Religionis apicem, non tàm Suffragijs, quàm meritis, ascendisse.*

Scio, imò omnes noverunt, te æqui servantissimum, Dei zelo, ac disciplinæ Regularis amore ferventissimum, verè Humilitatis, ac moderationis cultorem omnes te prædicant, adeò vt abjectum quoque, ac humillimum in victu, & vestitu, numquam refugias. In Te vno Tui, quid optimi Franciscani Imitatores deceat, intuentur, audiunt, sequuntur. Vno ditaris, pasceris, & delitiaris amore Tuorum, quòd ex Magnete mutuasti, qui avidiori fame ferrum trahit, quàm aurum; cum aurum, quod tenacè morsu tenet, ad præsentiam ferri dimittit, vt humilia metalla, sibi consociet, & Paterno foveat in sinu. Sic tibi mens, & amor, tàm longè ab infulis, & externis Dignitatum honoribus, vt cum sublimatus ad amplissimos Religionis, Te FRANCISCI Sacri Sanè Imaginem intuereris, indignum Generalatus crederes, & in humilitatis gloriam, pro Comitijs Generalibus, publicè te voto adstrinxeris repellendi Dignitates, ac munera, (ni obedientia contrarium jubeat) quibus Catholica Majestas, & summus Orbis Antistes, tua optarent, & munera, &

merita

merita insulare, & suā in te suadere benevolentiam, quos Sideritis ad instar lapidis ad te allicis, sanctoque fune constringis. sed funes tibi in præclaris, si Deo omnes conjungas, virtuti socies, Religioni tuæ concilies.

Coheret tibi Cordubensis Votum: Cunctis esto Benignus, nemini blandus, paucis Familiaris, omnibus æquus, severiori judicio, quam sermone, & vita quam vultu. Clementiæ Cultor, Clemens vltor, sævitiæ detestator, ad iram tardus, ad misericordiam pronus. In adversis firmus, in prosperis cautus. Ocultator Virtutum, sicut alij vitiorum, vanæ gloriæ contemptor, & bonorum, quibus præditus es, non acerbus exactor. SANE tu IMAGO, *ob oculos Philosophi præluxisti, dum voluit Optimum Moderatorem efformare.*

SANE *tu vera* IMAGO, *& Scotici Genij, & Ingenij, dum Litterarum & Sapientiæ sublimitatem, & subtilitatem perlegimus, & intuemur. Quid non ingenio ac differendi vi assecutus es, cum inter Scoti-*

tæ Doctrinæ Sectatores, talis evaseris qualem ipse Subtilissimus Scotus vellet & hæredem, & Imaginem efformare, & optare? Illius vitam, sublimiori cothurno elaboratam, Litterarum Monumentis commendasti, & æternari fecisti. Satiùs omnibus Doctrinam ebibisti, imò ad te solo confluere sic effecisti, vt ex te, quasi ex mari in omnes, & Sectatores, & Interpretes, purior, & lucidior, aqua deflueret qua inũdat fortunatè Tractatus iste, tuus potiùs debitorio jure, quam meus. Historica Apologia cœcucientes (ne invidos dicam) cruento sed modesto stylo compresisti, & non tàm vulnerasti, quam docuisti, verumque effecisti, Subtilissimum Scotum in Mysterij intemeratæ Conceptionis Tutamine, primas omnibus tulisse; quòd vt evidentiori luce suaderes, aliud animasti volumen, in quo tanquam repetito Cultu, ingenij feracis vbertatem commostrasti, tantáque dicendi vi, & energia suasisti, vt quasi trabalibus Clavis, Adversariorum tormenta confixeris, & adversantia irrideres argumenta.

Est

Est tibi præterea gratus debitor Orbis, nedum Hispania, quia in commune Virtutis & Divinæ Sapientiæ honorem, & privilegium, Vitam, & Scripta Venerabilis Matris Mariæ de Agreda, in lucem edideris, ac notulis & Scholijs exornaveris, vt textus sublimitas faciliùs posset adiri, & nos in illuminatam faciem benignius intueri. Opus Sanè vndequaque mirabile, omni ex parte perfectum, & ausim miraculosum evulgare, ac post Sacræ Paginæ Dignitatem, inter præcipua numerandum, & speramus decernendum. Nec id tibi satis tibi, tuos Alumnos, quos vel acutioris ingenij accumine præditos, vel laborioso connatui conspicis insudantes, consimili studio destinas, & in amorem scribendi accendis; quorum alij Religiosorum Patrum facta, per Annales digerunt, alij Historicis digressionibus vacant; alij Theologiæ Morali, & Scholasticæ insudant, nullus otiatur, & Opere omnis Semita fervet, *vt posteritas erudiatur, & Doctrina* SCOTICA *illustretur.*

His

His optavi, & ambivi tuum in fronte operis mei, & Numen, & Nomen, adhùc Opusculi exilitate reluctante, & cum Enodio Epist. 27. ad Probum in munusculo meo: Eligo jacturam pudoris, ne subeam dedecus non amantis, sciens faciliùs sarciri posse frontis damna, quam Fidei. In te amor, in tuam Familiam Fides, & me, & Opusculum devinciunt, in quo Distinctionis Scoticæ Doctrina continetur, expenditur, & tuetur; sic ad Principis Sententiæ Propugnatoris fores, pulsat, & appenditur, ut illud operi contingat, quòd ab Hercule Ædibus infixit antiquitas: Hoc Custode nihil mali ingredietur in Ædes. Gratitudini meæ morem gero, cum in me tot beneficæ amicitiæ Officia contuleris, ut merearis, ne intermoriatur gratitudo, ut testem æternum pro me sufficiam. Nec erga te solum, sed erga Seraphici Parentis Religiosam Familiam tuam, quàm sicut Stellas Cœli, & arenam Maris, numeramus, & miramur multiplicatam, cujus, licèt exilis laudator, sed perpetuus adero Encomiastes.

ſtes. Poſtremo, vt Seraphico Ordini, & Albernia Monti gratiam referat Carmelus Mons, à quo tot Decoris incrementa percepit, quot ſuæ laudis provectores agnovit, quos cũ ad Calculum redigere ſit per difficilè, duos in medium libet educere RR. PP. Cartagena, & Francès de Vrrutigoyti, quorum alter vita functus, æternam ſibi laudem ſcriptis obfirmavit; alter jam diu comparatam in immenſum auget, & tot eruditionis Teſtes, quot Volumina poſteritati, & imitationi diſpenſat.

Vultu igitur benigno, Reverendiſsime Pater, Munuſculum iſtud excipe, vt cum per remotiſsimas Nationes, & regna migraveris, per quæ imperium tuum late diſtenditur, in comitem peregrinationis (non auſim in ſolatium dicere) deferas, vt ſi quæ ſuperſint temporum momenta, in quibus ab indefeſſa muneris continuatione reſpires, opuſculo delitieris, in quo quam plurima gratiſsima tibi circa Scoticam Diſtinctionem argumenta parient lenocinium. Vive vera SANE

IMAGO,

IMAGO, & *Carissima* FRANCISCI *Soboles, Familiæ Parens, Nestoreos tibi annos exopto, fœlicitatem in peragendis auspicor. quæ si votis respondeat, vigebit æterna.* VALE. E *Nostro Carmelo Cæsaraugustano, die* 15. *Augusti*, 1677.

Vestræ Reverendissimæ
Paternitatis,

Additissimus Servus.

Fr. Raymundus Lumbier.

APPRO-

APPROBATIO

A. R. P. Fr. HIERONYMI ESCVELA, Ordinis Sancti FRANCISCI, in Sacra Theologia Lectoris Iubilati, & Provinciæ Aragoniæ Definitoris meritissimi.

AD præceptum Perillustris Domini D. D. Hieronymi Martel, Canthoris Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ, in Cæsaraugostana Diœcesi Vicarij Generalis pro Illustrissimo Domino Archiepiscopo Don Didaco de Castrillo, de Consilio suæ Majestatis, &c. Dum venerabundus accingor, & RAYMVNDI magnũ offendo nomen, quod Mundum, vel in Calce raptae detriumphatum, Hominemque considero suo nomini parem, statim mente firma deducor assentiri, non solum sæculis retrolapsis, veros fuisse in Hispania Geriones, verum & adhùc superstites esse nonnullos; eorumque nostrum Vberem perdurare tractum. In hoc me duxit Iudicij, Centimanum Virum cernere, in cunctis Gigantem. Duces narrantur illi, & Principes oculatissimi; videbantur plures, & forsan vnus erat:

Vnus Censebatur, sed instar multitudinis. Inspicientes enim publica ædificia, heroica facinora, Vrbes à se constructas, Provincias à se directas, cum reliquis à se mirabilibus peractis; non Vnicum, sed Complures, & istos radios Mundi Hesperi exitus se Clamitabant. Nec mirum! quòd talia Operum Contuentes, in illis Capita, Brachia, Oculos, Manusque sine numero numerarent; quibus tot magna negotia, & pensa simul, & impermixte Versarentur. Hinc, & ego etiam Stirpem Gerionum nostro in Doctore isto, assero redivivam. Connivet mihi illud de Cypriano dictum: *Vnum erat, at monstro, quot monstra includit in vno! Nobilius monstrum, vix dabit vlla dies.* Thesaur. in Elogijs.

Quoties Authorem video hunc ad Litterarum fœlicitatem natum, toties demiror Virtutum Encyclopediam, & illustriorum dotum integram panegyrim, vnico velut in Theatro collectam. Novaque via dignosco, verè ad sui majorem Similitudinem, Altissimum elevasse Sapientiæ; cum in aliquibus, de quorum numero hic, altioribus renideat, splendeatque fulgoribus. Ab istis etenim scintillant, (sicuti à Columna illa flamigera, cui Angelus pro Anima) cuncta ferè divina Attributa.

Sapientia cum primis corruscat è nostro eruditionis Culmine, (oportet minutim, & practicè aliquot recenseri; nam generatim fatur, vbi sterilitas meritorum). Quadragesimis tredecim, (præter alias alibi) apud editiora Pulpita, & Sacratiora hujus Imperialis Civitatis rostra: Metropolis Beatissimæ Virginis de Columna, quinque; Sancti Salvatoris, tribus; Regij Xenodochij indivisim, quinque. Quibus addenda jugis quotidiana ferè, indefessa (& millies improvisa, & extemporanea) Solemnioribus in eventibus, Concionatio. Quo fructu! Quo sequitu! Qua admiratione: Vti tuba magnifica, Sancti Evangelij spiritu adimpleta,

pleta, avidiſsimè ſemper auditur, & plauditur Regius hìc Eccleſiaſtes Inſignis. Hæc de ſuggeſtu, Sacriſque Concionibus inſinuatio.

E Cathedris etiam veluti ex Rheda Solis, (quas à 35. & Primariam Vniverſitatis Cæſarauguſtanæ à 25. jam regit annis) quos non ſerenos emittit Scientię fulgores? Quid de Argumentis, & Diſputationibus publicis? Ferè nulli vnquam abeſt: quot repetitiones Domi? (hoc valdè mirandum in homine mille ſemper occupationibus obſeſſo) non ſolùm crebræ, ſed indiſpenſabilitèr continuæ, nuſquam feriatæ. Ita vt in ejus Cellæ Muſeo Scientiarum juge Pandatur convivium; in quo mihi non nihil fulgurat infinitatis.

De quotidianis Conſultationibus, quarum nec hora vacat, (& forſam in vna plures) quot non poſſunt ex ſolis typis datis farciri, & compaginari Volumina? Sed nunc, nunc jam collecta prodibunt, cum gelu fœlicitèr ſolverit modeſtiæ, amor intimus proximi. Septem, vel octo Tomi Scholaſtici, & Morales, jam publicè lucem præbent, in quibus nemo cordatus, non guſtat ſuæ eruditionis immenſitatem. Egrediantur igitur Conſilia Catone digna, nullis priſcis, vel Neothericis inferiora, omnibus plauſibilia.

Immenſitas. O quantum, ſi ex operatione colligitur, vt Author ipſe contendit, refulget hujus Solis influxibus! Producit enim Elianis zelo, motu, calore, impulſu in penetralibus, & CARMELI receſsibus myſticum aurum Orationis: Argenteas venas in Theologia Morali: Adamantia fortiſsima ſicca in arena, pulvereque glorioſo Palęſtræ Metaphyſicæ, & concionalis ſtadij: quibus mille Emblematibus Doctoris induſtria, CARMELI apex conſurgit deauratus.

Attributum executivum potentiæ in homine paupere, & eximio paupertatis amatore, etiam ſcintillabit, & Religioſo? Maximè. Vtique abundè: Gratias Divo IOSEPHO, cujus ope. Eſt etenim illi ardentiſ-

tissime devinctus: convisceravit se glutino Fidei cum illo, quo mutuatus est potestatem ad omnia precariam, talem vt viderit illa executa, quæ à grandi Spiritu vix forent desiderata. Sanctissimi SPONSI miracula appareat ejus opera: jam admirari quiesce; quidquid possibilitas nostra non obtinet, (ò quantum!) ejus ipsi intercessione donatur. Magnus cliens, spirans Alumnus, quid non assequetur à IOSEPHO; cui nihil in eo famulando impossibile? Singulis fermè diebus sub Aurora, Missam devotissimus ei celebrat, & istam Organi cantu solemni. Huic flammantis Devotionis signo, alia annecte, & devotæ potentiæ, signa. Sacravit IOSEPHO, amplum pulcherrimumque Collegium, à primo lapide, impensis incredibilibus, à se erectum: cujus conspicua structuræ elegantia, eò te admirationis ducet, vt intra pretiosum lapidem judices excavatum. Hoc si Regiam, imò & Cœlicam Aulam istam tenus parietes contempleris. Si profundius introspicias, Carmelitanas hasce magis, quam Grajas venerabis Athenas: vbi plusquam septeni, & septeni Sapientes Magistri, & Scriptores melioribus Areopagis dolantur præsignati.

Nimis profectò arduum, ne impossibile dicam Archiepiscopis, & Principibus etiam esset, quod ipse in Templis Sacrisque Delubris, partim ab imò pulvere construendo, partimque instaurando peregit. Hoc videntes cordati, Dei potentiam laudibus extollunt; quod homo cucullatus sub Evangelica inopia, quam visceribus deperit, in tanti splendoris operibus duces superaverit galleatos. Facta jam vidimus, tot & tanta in Basilicis, inque Altaribus, quæ deterrerent opulentiores divitias: & quæ nec aggredi audent amplissimi census Ecclesiæ. O IOSEPHI Castissimi Sponsi, opulentissimæ Gazæ! Ex illis vtpote Principis depromit cliens vt Princeps operari. Hæc de Omnipotentia, quæ ab humilibus honoratur. *Ecclesiast.* 3. 21.

Sed

Sed jam ad reliqua intuitũ convertamus Attributa, quę tanquam Stellæ in Stagno resplendent in homine isto.

Hactenus, quæ innotescunt cunctis: multo jam penitiora canamus, quæ Sacra involuit modestia valdè religiosè velata. Misericordia divinum quoque attributum reverberata *Conspicitur*, cum Pauperes ex præscripto ipsius, Collegium Divi IOSEPHI continua pietate sustentat, & centum circitèr eleemosynas singulis Hebdomadibus copiosè largitur. Hunc SS. IOSEPHI Pauperem Veneratur, illum Sanctę ANNÆ vocitat mendicum. Istum Sancti IOACHIMI nominat; & sic cæteros, quos omnes inopes suos sub IOSEPHI, & MARIÆ reverentiam, amplectitur pientissime. Neque his circumscribitur profusa, & inclyta ejus beneficientia: Dum ejus limina pulsat, afflictus quisque respirat. Verè Pater Pauperum oculus est cœco, pes claudo, manus Syderato, & illa infatigabilis. Non solùm roborat afflictos Oris benigni munere, verbis scilicèt plenis salutis, quibus pollet, suam offerens opem, interventum, apud omnes merito probatissimum; sed pro posse panem addit, panique non semel Ætatum superaddit obsonium; numos in quam promptos, ex IOSEPHI Santissimo promptuario. Cujus præsentissimo subsidio fultus, nullius remedium impossibile, nullius judicat casum penitùs desperatum. O Invicta, & plusquam Augusta Pietas! O perennitas, & Subsidij, & Magisterij immortalis! Totum hominem, & qua corpus, & qua Anima, juvat. Quid faceret infulatus, & multis redditibus præditus, qui sola Cordis amplitudine, & Fide talia est præstare, sufficiens? O si in sui, vt decebat potentes, saltem imitationem venirent! Ecce qualis non Paradissus! O quam paucas egestas induceret male suada culpas! Quid de justitia, ęquitate, comitate, amicitijs, dulci genio, industria, zelo non tantum bona promoventis, sed meliora indesinentèr emulantis? Ista silentio veneranda; non enim est admirationi, vna vel alia arbora

vbi in æqualem Celsitudinem tota sylva consurgit: Privilegium est verè magnorum, multis ornari sublimibus: Magnum in aliquo, pusillum in reliquis, magis, quam redolet perfectionem; monstrum facit, non perfectum. Peritum vna sola in causa, vix dubites, nec esse Doctum, nec Magnum. Et licèt non sit Omnium, Centimanum esse, hoc enim Gerionis proprium centum habere manus; & sic negotia, diversa tractare, quin alteriùs alterum remoret. O quam ardua, graviaquue, & præterita, & præsentia suis faustissime debentur, zelo, industriæ, litteris, & solertiæ, negotia!

Sed jam extra rhombum, Lyramque deduci causor, quòd solùm de libro dicere jubeor. Verum: sed hactenùs, non longè à scopo discessi: Cum stimulus acrior Discipuli, probitas sit ipsa Magistri. Sed ad Librum: *Proverb.27.19. Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Vbi? In Doctrinæ fluentis. Ergo speculum animi, liber: Igitur exhoneramur à LVMBERIO picturando; vbi iste liber pervenerit, ipse Authorē penitùs informabit; sua enim luce se signat, non extima indigere potest. Absit, nec mille sufficiens specula; ad immanem istum exprimere Sapientiæ Colossum; in tot suis amplissimis, & profundissimis Scriptis, sola vnguis Leonis. Sed ab vngue, dissertò illatori, manus, & brachia robusta, jubas crispaturis tumentes, ingentem rictum, oculos flammantes, rugitumque tonantem, totumque igneum corpus subodoratiæ facillimum. Hisce igitur veere Conjecturis, nondum enim totum Corpus Sapientiæ ejus, reseratum est.

En interdum, animadvertes multum, quòd radiùs & si sua natura sublimis ad ima deprimitur frequentibus Cathacresibus, & similitudinibus; vt nec Tyro à plana recedat, quin cuncta caluerit. *Panditur* interea Domus Veritatis altissimè; sic versus terram fulgurans ...e. Hoc ... ve Iove. Hoc est verè scire, Eminentissimus ajebat Cu... compurgdanus, comparationes habere præ manibus ad omnia, vt

per

per tenebras sic illuminatas, manuducantur Tyrones ad Sophiæ limina, & adyta Sacra. O quam suavitèr, istis influit repetitis in animos, lumen Veritatis Archanum!

Sed quo me pelagi immergit, seu non indiscretæ devotionis flatus, seu pondus ipsum veritatis ingenuæ! Approbationis Orbitam excessi: Vix negarem: Si Sapientiæ hoc triumphale plaustrum, seu navigium per auras, & æquora ductum, semitam præsignaret. Nemo cui datum ejus præsentia, & consuetudine fungi, vivamque factorum energiam intueri, nos de excessu causabit. En jam ad littora redimus Verbis renatantes Ennodij, *tom.2.Bibl. p.2.* Dum præsertim vidimus Splendorem Monasticum, tot sibi titulis obnoxium, & devinctum.

Refundat tibi Religiosorum, (adde & Principum, adde & Theologorum) generalitas rebus obligata Sermonem, dum inæqualitèr vicissitudo compensat laudibus, quod adepta est de sudore. Ex quo tuo nectareo, suaveolenti, & more Cœli rorido, tantam demetimur gloriæ, & doctrinæ segetem, authoritatem pariter, & munimen. Igitur nihil habet minus pium, nihil non mirandum, nihil profecto quo Prælum non mereatur, & plausum: præsertim apud Scoti Alumnos, quibus magna subtilitate cohæret. Vt qui corpus Religionis pansis panegyribus honorare non destitit, semper ejus gloriam jurausissimus Encommiastes; etiam de doctrina benemeritus existeret, in medullio distinctionis ex natura rei quam cordicitus amplexatus est. Cæsar Augustæ apud Minores Conventus Sanctæ MARIÆ de IESV, 5. Kalend. Iunij, Anno 1677.

Fr. Hieronymus Escuela.

IMPRIMATVR.

Martel, V.G.

APPRO-

APPROBATIO
R. PATRIS PETRI OXEA,
Societatis IESV, olim in Collegio Cæsaraugustano Sacræ Theologiæ Lectoris, ac postea Rectoris meritissimi.

DE mandato Perillustris D. D. D. Francisci Martini Clemente, Nostri Catholici Regis à Consilijs, Regiamque Cancellariam hujus Aragoniæ Regni Regentis: Vidi hunc Librum, cuius inscriptio est: Theologiæ abbreviatæ, Pars prima, à Nostro Reverendissimo P. M. Fr. Raymundo Lumbier compositum: Eoque omni cura perlecto, omnique attentione lustrato, ad quam me invitabant, & quam suo iure exigebant celsitudo Materiæ, difficultas quam res adeò grandes, ac sublimes secum afferunt, facilitas, ac fœlicitas in arduitatibus adeò ingentibus superandis, atque in dilucidandis rebus, quæ postquam plurima, & præstantissima ingenia in luce explicationis eis adhibendæ desudarunt, obscuræ admodum remanserunt; maluissem profectò vt mihi Encomiastis persona, quam Censoris imposita fuisset. Nihil in hoc opere reperi, quod Regijs Iuribus adversetur, nihil quod Orthodoxis dogmatibus absonet, aut bonis moribus officiat, nihil denique quod Pias, & Catholicas aures offendat. Plurima sunt, quæ ad hunc Librum diurna, nocturnaque manu versandum

dum

dum alliciant, stylus Sermonis absque vlla affecta, tione tersus, ac nitidus, discurrendi ratio solida, gravis, atque ingeniosa: exulant hinc omnia superflua, nihil vtile, aut necessarium omittitur. Locum hic non habet Horatianum illud: Brevis esse laboro, Obscurus fio: *Nã in toto fere opere, qui illud accurate perlegerit, non poterit, nõ mirari brevitatem tantam cum tanta claritate coniunctam. Nonnullæ sunt, fateor, Quæstiones calamo fusiori tractatæ; eæ tamen perpaucæ sunt, ac valdè graves, & quæ sine iniuria eis irrogata, cursim pertransiri non possunt: in eiusmodi autem rebus, qui aliquanto diutiùs non immoratur, & tamen illas claras, atque perspicuas, & vt ita dicam, Diaphanas relinquere se putat, næ ille se ipsum egregie fallit. Hæc cum ita sint, vt revera sunt, meum iudicium est; opus istud Reipublicæ Litterariæ fore perutile, atque vbique Locorum à Sacræ Theologiæ studio deditis, obvijs vlnis excipiendum. Potest itaque ei, meo qualicumque iudicio, libera dari facultas, vt Prælo mandatum ad publicam lucem prodeat ad studentium, ac docentium communem vtilitatem. Cæsar-Augustæ in hoc Collegio Societatis IESV, die 13. Iunij, 1677.*

Petrus Oxea.

IMPRIMATVR.

Clemente, Regens.

LEC-

LECTORI.

TOmus iſte ante quinque annos imprimi ceptus, multas paſſus eſt pro noſtris indefeſis occupationibus interruptiones, & ideô hoc anno 77. finitus: propterea tres alij Libri, ſive Tractatus de *Viſione*, *Trinitate*, *& Voluntate*, interim prodiere, fortê quia prelo minus indiſpoſiti. Vndê ne mireris, ſi illi poſteriores tãquam jam typis mandati in iſto, jure priori, citentur, & fortê aliqua de ipſis tranſcribuntur, nam â majori parte ſive in perfici iſte eſt natura poſterior. Nec itẽ mirere, ſi opus â *quæſt.* 11. non correſpondeat, *Theologiæ abbreviatæ* Titulo; mens enim erat iſtum, & alios brevem, & conciſſam doctrinam continere, vt â principio ad *Queſtionem* vſque 10. incluſivê, curavimus, ſed difficultatum pondere (fateor) præſſus, vel invitus non potui, non concinare diffuſam. Satisfecit pro me in ſua amicabili approbatione doctus Pater Oxea hic, ipſum Vide, & Vale.

LI-

LICENTIA ORDINIS.

HAtum ſerie Litterarum Licentiam impartimur R.A.P.M. Fr.Raymundo Lumbier, noſtræ Provinciæ Aragoniæ Profeſſo Sacerdoti, & eiuſdem Exprovinciali, Examinatori Synodali, Qualificatori Sancti Officij, & Primario Profeſſori Theologię in Vniverſitate Cęſarauguſtana, vt poſsit typis dare Libros inſcriptos: *Tractatus Theologici de Deo Vno, Trino, & Incarnato*; prævijs tamen Approbationibus Reverendorum Magiſtrorum Dionyſij Blaſco, & Alberti Sos, quorum examini committimus, & ſervatis aliâs ſervãdis. Horum fide, &c. Dat. Romæ 15. Novembris, 1662.

Fr.Hieronymus Ari, Generalis Carmelitarum.

Fr. Sebaſtianus Fantonus Caſtrucius, Provincialis Hiberniæ, & Secretarius Ordinis.

AP-


APPROBATIO ORDINIS.

TRactatum hunc à nobis, iussu Reverẽdissimi Patris N. Generalis revissum Nos infrascripti Doctores dignissimum, qui typis mandetur iudicamus, in Carmelo Cæsar-Augustano, die 30. Maij, Anno Domini 1676.

M. Fr. Albertus Sos, Sacræ Theologię Doctor Cęsar-Augustanus, S. Inquisitionis Qualificator, & Provincialis electus.

Fr. Dionysius Blasco, Sacræ Theologiæ Doctor, Primarius Oscensis Vniversitatis Cathedrarius, S. Offic. â Qualificationibus.

TRACTA-



THEOLOGIÆ ABREVIATÆ.

PARS PRIMA.

IN PRIMAM PARTEM D. THOMÆ.

A REVERENDISSIMO P. M. Fr. RAYMUNDO Lumbier, pro Collegij Sancti Ioseph Cæsaraugustani Alumnis, ex alibi ab pso dictatis, concinnata, & resumpta.

TRACTATUS I.

DE NATURA THEOLOGIÆ.

PROOEMIUM.

1 NGELICUS Doctor, antequam de Deo, præcipuo Theologiæ obiecto differat, in prima quæstione primæ partis suæ Summæ, agit de sacra doctrina, cuius nomine, Theologiam intelligit, quæ quidem, sacra est; quandoquidem fundatur in principijs fidei diuinæ. Fortè autem quæstionem

noluit, sub nomine Theologię instituere, sed sub nomine Sacræ Doctrinæ, quod commune est, & fidei diuinæ, & Theologiæ; quia aliqua de illa specialitèr dicere intendebat. Nos tamen de Theologia, provt tali, in hac prima distinctione disseremus.

DISTINCTIO I.

DE THEOLOGIA.

QVÆSTIO I.

DE EIVS NATVRA.

ARTICVLVS I.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT?

2 RESpondeo ad 1. Latè, esse scientiā de Deo, quia Græcè *Theòs*, est Deus, & *Logòs* Scientia: Strictè, esse facultatem agentem de ente diuino, vt deducibili ex reuelatis, siue est habitus ex mysterio reuelato aliquid concludēs. Vndè iste discursus est Theologia; homo est risibilis, Christus est homo: ergo Christus est risibilis. Concludit enim ex humanitate reuelata, risibilitatem non reuelatam.

3 Differt autem ab alijs scientijs, siue notitijs, quia fides diuina mysterij, assentitur reuelatis, sed propter reuelationem. Theologia verò suis assentitur obiectis; sed propter mysterium reuelatum. Vndè sequitur 1. Quod mysterium, quod est obiectum materiale fidei, est formale Theologiæ. 2. Quod Theologia proximè fundatur in fide. Semper enim debet habere pro præmissa, saltìm vnam propositionem de fide. 3. Quod hæreticus, non potest esse strictè Theologus, cum careat fide.

4. Quod

4. Quod Theologia nostra, non potest esse euidens saltim regulariter, cum sit conclusio deducta est vna præmissa confusa. Hæc intellige de Theologia certa, nam probabilis non requiritur, quod proximè fundetur in fide. Sufficit, si remotè.

4 Est autem triplex, scilicet Scolastica, Expositiua, & Moralis. 1. Est, quæ per syllogismos fundatos in mysterio reuelato, probat suas conclusiones obiectiuas, easque, & ipsa mysteria defendit. 2. Est, quæ fundata etiam in mysterijs fidei, exponit, & explicat Scripturam sacram. 3. Est, quæ innixa, & fundata in doctrina fidei, agit de moribus humanis, idest, de virtute sequenda, & de peccato fugiendo.

5 Scolastica, & Expositiua Theologia, Sanctorum Patrum libros impleuit. Tamen iuxtà scholæ stylum, Magister Sententiarum Petrus Lombardus, fuit primus qui Theologicas veritates, methodo clariori disposuit per quatuor libros, illas disputando. Postea Diuus Thomas in Summa Theologica multò clariùs; quam, in tres partes diuisit, nempè primam partem, in qua de Deo vno, & Trino, atq; omnium creatore, & secundam partem, in qua de agendis in ordine ad vltimum finem, & tertiam partem, in qua de Deo incarnato, & Sacramentis disputauit. Secundam autem partem diuisit in duas, quarum vnam appellauit primam secundæ, vbi de vltimo fine, actibus humanis bonis, vel malis, lege, & gratia ad bonos requisita; alteram secundam secundæ, nuncupauit, vbi de virtutibus.

ARTICVLVS II.

DE OBIECTO THEOLOGIÆ.

6 Ivxta dicta, aliud est mysterium reuelatum, aliud est eius per discursum, ex illo deducibile. Illud ergo est obiectum fidei materiale. Istud verò, Theologiæ. Obiectum formale, siuè ratio quæ, Theologiæ, est connexio

tatis illatæ, cũ mysterijs reuelatis. Ratio *sub qua*, est deducibilitas ex mysterijs vt reuelatis, per vim discursiuam.

7 Assero ergo obiectum materiale esse omnia, quæ deducit ex mysterio reuelato vt tali; formale, mysterium reuelatum vt tale, ex quo alia obiecta deducit. Inter materialia, adęquatum, dico esse omnia de quibus agit, v.g. Deum, Christum, Sacramenta, gratiam, peccata, legem, &c. Præcipuum, est Deus; imò & obiectum attributionis; quia de illis omnibus agit, ordinando cognitionem eorum ad magis cognoscendum Deum.

8 Quod si Diuus Thomas posuit pro obiecto Theologiæ Deum, & ens diuinum, cognoscibile per inspirationem, intelligendus est nomine Theologiæ, loqui de doctrina sacra, vt comprehendente simul fidem, & Theologiam. Vel si de Theologia stricta, nomine entis diuini loquitur de omni veritate deducibili, quam vocat ens diuinum, quia aliquem dicit respectum ad Deum vt inspirantem, & reuelantem, siquidem omnis veritas Theologica fundatur, & radicatur in diuina reuelatione. Insuperque, est pertinens aliqualitèr ad Deum vt proprietas, vel vt effectus, vel vt contrarium, specialiterque conducens ad illum magis cognoscendum, tanquam obiectum attributionis.

9 Tandem nota in Theologia, aliud esse subiectum, & aliud obiectum. Illud est Deus, & multa alia mysteria reuelata, de quibus Theologia deducit, & concludit veritates alias, non reuelatas. Istæ autem sunt, propissimum obiectum Theologię, quia sunt veritas deducibilis. Inter illa subiecta, Deus sub ratione Deitatis, non est adęquatum, licet sit præcipuum, & attributionis, vt explicatum est.

ARTICVLVS III.

AN THEOLOGIA SIT SCIENTIA?

10 IN beatis, & in nobis, Theologia datur, licet diuersa; quia in vi mysterij reuelati, alia distincta nosci-

mus

mus ex illo deducibilia. Beati enim in Verbo, siue Deitate quã vident, alia connexa noscunt abstractiuè, quæ nõ vident. Et cognitio istorum est Theologica. Duplex autem est in beatis. Vna indistincta à visione beata. Alia distincta, quæ quidem supponẽdo visionem, vt præmissas; ex visis, deducat formali discursu non visa.

11 Hanc Theologiam in beatis esse scientiam, certum est, quia est cognitio clara, & euidens nõ reuelati ex reuelato: ergo est scientia. Cum hoc tamen discrimine, quod hæc secũda est sciẽtia formalis, quia est multiplex cognitio per illationẽ vnius ex alia. Prima, ad summum est virtualis, & eminẽtialis, quia cũ sit vnica cognitio, nõ datur formalis deductio vnius ex alia, vt ex præmissis. Habet autem perfectissimam euidẽtiam obiecti non visi, in viso, à quo est deducibile, & sic est virtualitèr scientia.

12 Difficultas est an nostra Theologia sit strictè scientia. Ratio dubitandi est, & propter quam negant communitèr recentiores, quia non est cognitio clara fundata in principijs euidentibus, sed potius obscuris, nempè mysterijs fidei.

13 Si dicas primò, nostram Theologiam fundari in Theologia beatorum clarissima: ergo iam fundatur in principijs claris. Respondetur, & benè, esse clara, pro beatis, non pro nobis: & sic nobis, nec est clara, nec scientia.

14 Si secundò, mysteria fidei esse nobis clara per miracula, per quæ fiunt euidentèr credibilia: ergo fundantur in principijs claris. Negant antecedens, quia aliud est esse euidentèr credibilia, & aliud euidentèr vera. De veritate eorum, nulla est euidentia, & sic nec sufficientia ad scientiam.

15 Assero in nobis esse strictè scientiam. Ita Diuus Thomas, & plures alij. Probatur, quia scientia in rigore est cognoscere rem per causam, & quod illius est causa, & quod aliter se habere non possit. Ad hoc autem sufficit certitudo. Sic certissimè noscimus risibilitatem Chri-

sti non reuelatam, deducendo illam ex humanitate reuelata. Nec obest, quod Aristoteles ad scientiam sępè requirat claritatem. Respondetur enim loqui de scientia naturali,quam solam agnouit ;non de præscindente à naturali,& Theologica,quam non nouit.

16 Nec obest secundò, ex Aristotele, de singularibus non datur scientia; atqui Theologia pręcipuè est de Deo, & alijs singularibus: ergo non est scientia. Respondetur enim de singularibus, prout contingentibus, & fallibilibus non dari scientiam, benè verò de illis sub modificatione infallibili. Sic agit de illis Theologia. Insuper. Regularitèr nos non habemus scientiam de singularibus, quia differentias indiuiduales non penetramus per euidentiam, benè verò per fidem diuinam, quam cum Aristoteles non nouisset, nihil mirum quod negauerit de singularibus scientiam. Theologia præterea, non est de solis singularibus, sed de innumeris vniuersalibus agit.

ARTICVLVS IV.

AN SIT VNA SIMPLEX QVALITAS, ET vna scientia.

17 SVppono Theologiam beatam,& nostram esse specie diuersas. Illa enim nititur Deo, vt clarè viso. Hæc Deo,vt obscurè manifestante.

18 Difficultas est an nostra sit vna qualitas. Duplex est celebris sententia. Affirmant Thomistæ contra Recentiores tenentes esse vnam vnitate aggregationis.Probant, quia omnes eius actus, & conclusiones nituntur vnico motiuo formali, & fundantur in vno, nempè in ente, non vt est,sed vt deducibili ex mysterio vt reuelato,sicut proptereà fides est vna, quia tendit ad veritates, non vt sunt,sed vt dictas à Deo.

19 Nec obest 1.Si dicas omnes sciẽtię naturales nitũtur vnico principio,nempè lumine naturali,sed nõ propterea sunt

ſunt vna : ergo nec Theologia. Diſtinguo maiorem , vt principio actiuo,concedo,vt motiuo obiectiuo,nego. Vnitatem ergo ſcientiæ,non facit vnitas principij,nec luminis actiui , præciſè; ſed vnitas obiecti formalis ſpecificatiui , vel motiui , quo nituntur. Vocatur lumen actiuum omne principium intellectuale,quia media cognitione in quam influit illuminat obiectum; ſic vocamus lumē fidei, & lumen prophetiæ, habitus earum, qui ſunt comprincipium actiuum. Non ergo ſumitur vnitas ſcientiæ ab his, ſed ab vnitate motiui illuminati.

20 Nec obeſt 2. Trinitatem , Incarnationem , Iudicium vniuerſale reuelata , eſſe valdè diuerſa ; atqui in illis nituntur concluſiones Theologicæ : ergo ſunt ſpecie diuerſæ. Diſtinguo maiorem, ſunt valdè diuerſa materialitèr,concedo, in ratione motiui, ſiue in vi mouendi ad aſſenſum concluſum,nego. Quia non mouēt,niſi ſub ratione entis reuelati , quo pacto nulla eſt in illis formalis diuerſitas. Nota valdè ly , *in vi mouendi ad concluſiones Theologicas*,quam vnitatem in ratione motiui,non habent beati cum nobis, quia viſa,valdè diuerſimodè mouent, ac credita.

21 Aſſero nihilominus. Noſtra Theologia actualis, non eſt vna,ſed multiplex in ſpecie. Probatur, quia concluſiones Theologicę in motiuo differunt , non enim deducunt ſuum obiectum ex myſterijs reuelatis vtcumque, ſed ex illis vt myſteria talia , diuerſaque ſunt. Etenim hæc concluſio : ergo Chriſtus eſt riſibilis: non eſt potens riſibilitatem deducere ex quolibet reuelato , quia non quodlibet eſſet medium aptum : ergo deducit ex humanitate reuelata , vt humanitas eſt , quia ſola humanitas reuelata , vt humanitas, deſeruit ad riſibilitatis vt talis illationem , licet vt reuelata deſeruiat ad maiorem illationis certificationem.

22 Nec obeſt,quod talis concluſio provt Theologica ſolum ſpecificatur formalitèr à riſibilitate , vt deducibili ex reuelatis:ergo non verè, ab illa vt tali. Diſtingo enim antecedens,vt Theologica in genere,concedo,vt Theolo-

gica risibilitatis in specie, nego antecedens, & consequentiam, quia vt illatiua connexionis illorum extremorum Christi, & risibilis inter se, nititur in tali vno tertio specifico, vt tali, nempè humanitate reuelata. Non enim posset niti Trinitate reuelata.

23 Sicut autem omnis scientia in genere, habet assentiri suo obiecto, quia illato, & deducto ex præmissis obiectiuis; & hoc non obstante, specie differunt scientiæ naturales, eo quod quælibet assentiatur suo obiecto speciali, quia illato ex talibus specialibus præmissis, similitèr Theologicæ actuales conclusiones de diuersis specie obiectis, vt illatis ex diuersis specie præmissis, specie different.

24 Assero 2. De habitu Theologiæ nostræ, quoad vnitatem discurrendum est sicut de vnitate logicæ. Hæc enim etiam elicit syllogismos, & artificia specie diuersa. Hanc intellige conclusionem de Theologia habituali si sit habitus naturalis. Si tamen supernus sit, de quo infrà, fortè propter suam altitudinem erit specialiter capax eliciendi diuersos specie actus, sicut de practico, & speculatiuo dicetur articulo sequenti.

ARTICVLVS V.

AN SIT SCIENTIA PRACTICA, vel speculatiua?

25 RESpondeo vtramque rationem habere. Prçcipuè autem est speculatiua à præcipuis obiectis, quia de Deo, incarnatione, alijsque solemnibus speculabilibus, multa deducit ex reuelatis. Simul autē est practica respectu plurium obiectorū, quę dirigit vt fiāt, v.g. Sacramenta, opera bona: vel vt fugiantur, v.g. peccata. Ità Diuus Thomas hic.

26 Nec ex hoc inferas contra illum, non fore vnum numero habitū. Respondet enim esse habitū altioris ordinis, ac perconsequens esse posse practicum, & speculatiuum,

uum,quia quæ in inferioribus dispersa, & diuisa sunt, in superioribus identificari valent. Nec enim practicum, & speculatiuum in ordine ad diuersos actus,sunt differentiæ oppositæ scientiæ vt sic, etiam apud Thomistas, sed solùm scientiæ naturalis,& inferioris. Apud alios,nec respectu istius sunt oppositi.

26 Obijcies. In rigore tota Theologia est speculatiua,etiam prout versatur circa opera illa quæ sunt praxis: ergo nec partim est strictè practica. Antecedens probatur. Ad scientiam practicam non sufficit versari,circa praxim: potest enim intellectus, versari circa illam, modò speculatiuo,scilicet speculando illam,disputando de illa, non vt fiat (non enim mouet, nec imperat vt fiat, quia mouere vt fiat est proprium imperij, *fac hoc*) sed disputando vt sciatur; atqui sic versatur Thologia,circa Sacramenta, & actus humanos. Ad ipsam enim, non spectat mouere voluntatem vt faciat, sed per disputationem instruere intellectum vt illa sciat: ergo versatur modo speculatiuo,estque totalitèr speculatiua.

27 Respondetur negando assumptum. Ad probationem respondetur quoties scientia dat regulas de praxi pro instructione, vt quando res facienda est, fiat iuxtà illas, iam versari circa praxim modò practico; non quidem practico immediato, siue per modum applicationis ad opus, sed practico per modum principij directiui ad opus. Applicare enim pertinet *ad fac hoc*: dirigere verò ad cognitionem instruentem de faciendis, pro casu quo facienda sunt.

28 Nego igitur Theologiam agere de Sacramentis præcisè vt sciantur,sed dirigendo electionem pro suo casu. Adde ex alijs Doctoribus Theologiam posse esse in eodem actu speculatiuam,& practicam formalitêr,quia speculando aliquas veritates de Deo, vt vltimo fine, ex vi talis cognitionis, disponit saltim mediatè ad practicandum amorem de ipso,& sic disponit ad applicationem.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

DE DIGNITATE, ET CERTITVDINE Theologiæ.

29 ASsero, vt in plurimum, ipsam esse digniorem, & certiorem omnibus scientijs naturalibus. Ita Diuus Thomas, & communitèr Theologi. Probatur, quia dignitas scientiæ sumitur ab obiecto, & certitudine. In vtroque autem excedit. In obiecto, quia agit de Deo, & mysterijs supernis altissimis, vt eorum proprietates, siue effectus discurrat. In certitudine, quia tam ex parte principij, quam ex parte obiecti habet causas firmiores suæ veritatis, & falsitati magis repugnantes. Ex parte principij enim, nititur lumine Theologico fundato in fide; ex parte obiecti motiui nititur connexione sui obiecti cum mysterijs reuelatis: scientiæ autem naturales, imò etiam prima principia metaphysica, nituntur lumine naturali intellectus, ex se exposito errori: ergo exceduntur à Theologia in certitudine.

30 Nec obest 1. Aliæ scientiæ excedunt Theologiam in claritate: ergo sunt digniores. Nego consequentiam, quia excessus in claritate præcisè est solum secundum quid. In certitudine est excessus simplicitèr, quia illi, & non isti potest accidere falsitas, vt patet in visione virgæ in aqua, quæ est recta, & videtur curva.

31 Nec 2. Intellectus magis certificatur per visionem, quam per fidem diuinam: ergo illa est certior. Distingo antecedens. Magis certificatur certitudine subiectiua, quæ est certitudo secundum quid, & quoad nos, concedo: formali, nego. Hæc autem, est alligatio, assensus ad veritatem; estque certitudo simplicitèr; in hac excedit Theologia.

32 Nec 3. Assensus ille est minùs firmus alio, qui nó excludit omnes motus dubitationis, sicut alius ipsius: atqui nó excludit fides, sicut visio: ergo est minùs firmus. Distinguo

guo maior. Si non excludere illos occasionatur, & prouenit ex imbecillitate principij, vel motiui, concedo, esse minùs firmum. Si solum ex imbecillitate, & dispositione subiecti, sicut contingit in tentatis contra fidem, nego.

33 Nec 4. Theologia est discursiua: ergo non erit certa ex se, sed ex principijs reuelatis; atqui prima principia metaphysica sunt certa ex se: ergo erunt certiora? quam Theologia. Nego consequentiam, quia licet ista principia excedant Theologiam in ly *ex se*, hoc est excedere secundum quid. Exceduntur tamen simplicitèr in substantia certitudinis, sumpta à principio, & motiuo. Vndè hæc propositio: Verbum Diuinum, vel est incarnatum, vel non est incarnatum: non est æquè certa, ac hæc Verbum est incarnatum. Ratio est, quia illa accipit suam firmitatem à motiuo, & lumine naturali dictante, quod *quodlibet est, vel non est*, ista à diuina reuelatione, & lumine fidei, quæ sunt magis firma, nec exposita periculo, sicut intellectus.

34 Replicas. Lumen naturale etiam est à Deo, sicut lumen fidei: ergo est æquè firmum. Nego consequentiam. Tùm, quia illud est à Deo generalitèr; tùm quia à Deo dante illi naturam, quam petit. Petit autem expositam fallibilitati; è contrà habitus fidei, vel Theologię, qui sunt à Deo specialitèr, & naturæ firmæ, & non expositæ errori.

35 Nec tandem. Conclusio sequitur debiliorem partem; atqui sępè Theologia nititur vna propositione naturali: ergo non est certior. Distingo consequens, non est certior Theologia in genere, comparata ad scientias naturales, nego. Theologia in aliquo suo speciali actu permitto. Non enim est necesse, vt in omnibus excedat omnes. Vel secundo respódeo, nó est certior ex obiecto, permitto, (de actu speciali deducto, ex vna præmissa naturali). Ex habitu, & principio, nego In illa tamen conclusione erit ex obiecto æquè certa, ac scientia illa, cuius propositio est.

36 Sequitur ex his, conclusiones Theologicas, etiam in nobis esse certiores, quoad se, certitudine assensus, quæ for-

formalitèr ſtat in eo, quod habeat ſuæ certitudinis firmiores cauſas. Inſuper reddit intellectum magis certum formaliter, licet non ſubiectiuè. Formido enim facilius intrat circa credita, quam circa viſſa, attenta imbecillitate ſubiecti, & eius mala diſpoſitione. Vndè facilius expellet fidem, quam euidentiam. Sed hoc vt dictum eſt, ſolum probat eſſe minùs certam ſecundum quid, ſubiectiuè, & quo ad nos, minuſque ſubiectum quietari per illam, quam per euidentiam, quia illa minùs connaturalis eſt nobis: ſecùs ſimplicitèr, formaliter, & quo ad ſe.

ARTICVLVS VII.

AN SVBALTERNETVR SCIENTIÆ INTVITIVÆ Dei, & beatorum, & an ſit ſapientia.

37 AFfirmo ſubalternari illis. Duplex enim eſt ſubalternatio, vna ex parte principiorũ, altera ex parte obiecti, quando nempè obiectum ſubalternatæ addit aliquam differentiam accidentalem ſupra obiectum ſubalternãtis. De ſecunda negant Thomiſtæ, quia cenſent idem eſſe obiectum à beatis viſum, & à Theologia cognitum. Sed non placet, quia Theologia agit de veritate illata, quæ eſt ſuperaddita veritati per fidem creditæ, & à beatis viſæ. Nihilominus, in præſenti, ſolum aſſerimus de prima. Probatur, quia Theologia non probat ſuas præmiſſas, nempè myſteria reuelata, ſed illa accipit, & ſupponit nota Deo reuelanti, & ex hoc procedit ſecura: ergo in hijs principijs pendet omnino à ſcientia intuitiua, ac perconſequens ſubalternatur illi. Theologia ergo dici poteſt, quod procedit ex principijs per ſe notis, ideſt per ſe notis, non ſibi, ſed ſuperiori ſcientiæ, cui ſubalternatur.

38 Obijcies. Theologia verè eſt ſapientia; tùm ex Diuo Thoma, tùm, quia eſt de obiectis altiſsimis, & iudicat de rebus per cauſas altiſsimas, nempè per fidei myſteria; atqui ſapientia ſecundum Ariſtotelem, ſua principia non acci-

accipit ab alia ſcientia : ergo nec ſubalternatur illi. Reſpondeo primo cõceſſa maiori, diſtingo minorem. Ab alia humana permitto, à diuina nego, quia accipere ab iſta, ſapientiæ non deprimit altitudinem.

39 Reſpondeo ſecundò, mentem Ariſtotiles fuiſſe, quod ſapientia non admittat pro principijs ſuis concluſiones alterius ſcientiæ. Non enim videtur æquum, quod ſapientia habeat pro principio, ſiue pro capite, quod alia ſcientia habet pro extremitate. Non autem negauit ſapientiæ, quod accipiat ab alio principia, quæ verè ſint prima principia, & per modum intelligentiæ, qualia ſunt præmiſſæ fidei. Concludit ergo ſapientia veritates ſuas ex principijs ita primis, quæ non debeant probari per alia.

40 Propterea ergo dixit Ariſtoteles ſapientiam, eſſe ſimul & intelligentiam, & ſcientiam. Intelligentia eſt in ſuis præmiſsis, ſiue principijs, quæ nec probat, nec egent probari. Sciẽtia autẽ eſt, in illatione cõcluſionis, ex illis. Sed quomodò Theologia præmiſſas ſuas, ſiue principia fidei non probat cũ ſæpè de illis diſputet? Reſpondeo, diſputare defendendo illa, non verò poſitiuè probando per alia principia intrinſeca, ſaltim quatenùs fidei aſſenſus, & principia eius, ſunt.

41 Infero Theologiam verè eſſe ſapientiam, licet Ariſtoteles ſolam metaphyſicam ſapientiam eſſe dixerit. Quod verum eſt de ſcientijs quas ipſe cognouit; Theologiam autem non nouit. Cum enim ſapientia de omnibus rebus habeat iudicare, & ſimul de alijs ſcientijs, & hoc habeat Theologia (reprobat enim omnia, quæ principijs fidei quam ipſa tuetur, diſſona ſunt) verè erit ſapientia. Nec obeſt primò, quod ſapientia ſit ſolum contemplatiua veritatis; atqui Theologia etiam eſt practica: ergo. Diſtingo maiorem: ſapientia ordinis inferioris concedo, ſuperioris nego, quia hæc vtrumque amplectitur.

42 Nec obeſt ſecundò, quod ſapientia eſt donum Spiritus Sancti, ſecùs Theologia, cum reperiatur hæc in multis

multis peccatoribus. Respondetur enim, non esse idem sapientiam donum, & sapientiam discursiuam. Nam hæc est per modum illationis doctrinalis; illa per modum inclinationis, & impulsus suauissimi, cognoscentis altissima.

43 Nec obest tertiò, in virtutibus mentis differre scientiam, & sapientiam: ergo Theologia, quæ est scientia non erit sapientia. Respondetur differre formalitèr solum, quia scientia est præcisè, certa ex certis. Sapientia verò illatio certa rei altissimæ ex certis etiam altissimis. Secundò respondetur, sapientiam, & scientiam strictam differre inter se, quia hæc est certa ex certis per causas non altissimas, militare tamen sub scientia in genere, quæ tantum dicit illationem certam ex certis, & postea contrahitur ad sapientiam, & ad scientiam in specie, per speciales differentias.

ARTICVLVS VIII.

AN HABITVS THEOLOGIÆ SIT supernus entitatiuè.

44 NOta primò, supernum esse, quod superat vim, exigentiam, siue debitum, & proportionem naturæ. Secundo supernum, aliud esse tale in entitate, aliud solum in modo quò habetur, vt si cæcus repente, & sine medicamentis fiat videns. Tertiò, vt res sit superna, non esse attendendum ad requisita, siue causas remotas, & mediatas, & præsuppositiuè se habentes, sed ad proximas, & immediatas. Ita vt si istæ sint naturales, effectus, harum vi productus, naturalis sit. Ratio est; tùm quia requisitum illud supernum remotum, per vim naturalem proximam modificatur. Tùm quia non repugnat in natura virtus conditionata, vt posito aliquò superno, possit naturalitèr versari circa illud. Sic beata Virgo Christum puerum supernaturalissimum, naturalitèr portabat, loco de vno ad alium.

45 No-

45 Nota quartò, non repugnare Theologiā, tùm actualem, tùm habitualem supernam, si nempè ad eliciendam conclusionem ex præmissis fidei (quæ aliàs naturalitèr deduci posset de eodem obiecto) Deus det auxilium supernum, vt euadat entitatiuè superna, non tam ex obiecto, quā ex principio (de quo Ripalda tomo 1. disp. 55. S. 1. Sicut scientia infusa, Christi de obiectis naturalibus, in materia de scientia Christi, solet asseri superna ex principio. His positis.

46 Recentiores plurimi docent Theologiam esse naturalem. Ratio à priori est, quia licet discursus Theologicus supponat præmissas supernas fidei, tamen non procedit ab illis immediatè, sed procedit à naturali vi, & ab arte discursiua intellectus. Positis enim illis præmissis, intellectus facillimè, & naturalissimè, & per proprias vires, & absque speciali adiutorio Dei, cóclusionem eliciet, ut causa immediata, & proxima; imò mirum esset, quod non eliceret: ergo immediatè non procedit à premissis, sed à causa omninò naturali, positis illis præmissis.

47 Respondebis, procedere ab intellectu, & simul à speciebus impressis de illis obiectis, quæ supernę sunt vt ...rè effectus præmissarum. Procedit inquam ab illis, ...ia ex obiecto, & potentia paritur notitia. Contrà, tùm ...ia tales species, etiam si de mysterijs fidei sint, possunt ...e naturales, quia vel sunt, quæ per sensus intrauerunt ...m Parrochus docebat mysteria fidei, & sic sunt natura..., vel sunt illis similares. Tùm etiam, quia licet conclu... procedat ex directione præmissarum supernarum, sed ... quatenùs supernę sunt, sed quatenùs modificātur à natu... vi intellectus discursiua, & sic operatio est naturalis.

...6 Obijcies, Theologica conclusio necessario suppo... principia superna fidei: ergo est superna. Distinguo ...equens. Est superna præsuppositiuè, & originariè, & ve... ...n semine concedo; formalitèr, entitatiuè, & in se, ne... & ratio est, quia in se, deductio illa conclusionis non ...er præmissas supernas, sed illis positis, fit immediatè humana, & viribus intellectus.

49 Ob-

49 Obijcies 2. Discursus Theologicus imbibit vt partes, præmissas supernas. Distinguo antecedens. Vt supernas nego, vt modificatas, & coaptatas modo illi, quo deseruiant vi naturali argumentatiuę concedo. Supponuntur ergo supernæ. sed non deseruiunt formalitèr vt supernæ, sicut in discursu probabili ex præmissis probabili, & superna, ista non deseruit vt superna.

50 Sequitur ex his motiuum Theologiæ, licet sit supernum in genere entis, sed non in genere scibilis, siue in deducibilitate, sicut in discursu Theologico probabili ex præmissis de mysterijs fidei, vt reuelatis, qui esset in hęretico, illa conclusio esset de re illata ex obiectis supernis in se, non verò in genere scibilis. Quod si Theologia dici soleat superna, id habet propter obiectum aliqualiter diuinum, & propter ordinationem ad Deum, & reuelata.

51 Sequitur secundo, in hæretico non posse dari strictam Theologiam, quia licet hęc sit naturalis, petit tamen præsuponere mediatè, & remotè supernæ fidei præmissas, quæ in hæretico non datur. Satis probabilia sunt hæc.

ARTICVLVS IX.

ASSERITVR SVPERNVS.

52 NIhilominus assero conclusionem Theologicam ex præmissis fidei debere esse entitatiue supernam, à comprincipio superno, eleuante vim naturalem discursiuam intellectus, ad exigentiam supernarum præmissarum, vt vltimę dispositionis. Hoc intelligo loquendo regularitèr. Probatur. Talis conclusio est certa certitudine formali, in qua superat omnes scientias, & principia naturalia, vt supra dictum est; atqui nulla cognitio de obiecto obscura, est certa certitudine essentiali formali, nisi sit superna, & à principio superno: ergo conclusio Theologica debet esse superna.

53 Major per se patet, nam certitudo subiectiua, & obie-

.:ectiua procedens ad immobilitate obiecti,etiam datur
hęretico de mysterijs,quæ credit;cum tamen sit ex se,
sius assensus,solum opinatiuus,expositusque errori:ergo
la certitudo formalis est propisima verè, & strictè
ıeologiæ,quin sufficiat subiectiua, & obiectiua.
54 Hinc fit,quod licet ad illationem ex præmissis fi-
i,sufficiant vis intellectus,& species naturales impressę,
verum est sumpta illatione in genere tendentiæ infe-
atis, non in ratione certissimæ formalitèr. Insuper 2.
et talis illatio accipiat certitudinem à præmissis su-
rnis remotè se habentibus,id verum erit de certitudi-
accidentali subiectiua,& etiam obiectiua, non verò de
:titudine entitatiua, quia entitati talis i llationis non
et essentiale, imò nec debitum, tales præmissas super-
s præcessisse, Tùm, quia ab illis nullum accipit influ-
m. Tùm, quia connexio extremorum cùm tertio, à qua
ıquam à medio specificatur, & deducitur, sufficientèr
æpararetur,per præmissas non supernas,vt in hęretico.
55 Vndè certitudo formalis entitatiua necessario petit
luxum supernum:ergo est superna.Ex quibus patet ad
gumenta contraria. Quod si numerantes virtutes, &
bitus supernos,non numerant inter illos Theologiam,
fortè est, quia eius supernaturalitas valdè est in opi-
ıone.
56 Tertiò, probatur conclusio nostra ab inconuenien-
Sequeretur enim contra communem sententiam in
teria de Incarnatione,dari medium entitatiuè natura-
in quo Angelus demonstrare posset Incarnationis exi-
ıtiam,si conclusio Theologica naturalis est. Probatur
hoc syllogismo: *Omnis homo inconcreto, vel habet sub-
ıntiam creatam, vel increatam; atqui hic homo (nempè
ristus) non est completus per creatam: ergo per increa-
ı.* Ecce illationem per se connexam cum Incarnatione:
ergo detur medium naturale,dicendum est hanc esse
:itatiuè supernam.
57 Dices. Conclusio sequitur debiliorem partem: er-
hæc couclusio debet esse naturalis, saltim quia maior

propositio est naturalis. Vndè non vitatur inconueniens. Respondetur distinguendo antecedens. In his quæ se tenent à principio, nego antecedens. Concedo, in his quæ se tenent ab obiecto, scilicet vniuersalitate, vel particularitate. Supernaturalitas autem à principio sumitur, vt dictum est.

ARTICVLVS X.

AN THEOLOGIA SIT ARGVMENTATIVA, & quomodo.

58 Assero primò, cum Diuo Thoma esse argumentatiuam. Primò, quia multa probat per illationes, & argumenta certissima. Secundò, quia dissoluit argumenta, quæ sunt contra eius conclusiones, & contra mysteria fidei, quæ sunt ipsius principia.

59 Quæres primò, an in suis argumentis procedat euidentèr? Respondeo, non procedere euidentèr positiuè, quia fidei principia, in quibus fundatur obscura sunt. Procedit tamen euidentèr negatiuè. Facit enim euidentiam de eo, quod argumenta contraria, non conuincant; euidens enim est solui probabilitèr.

60 Quæres secundò, quæ sunt loca Theologica. Per loca Theologica intelligimus promptuaria quædam, ex quibus Theologia assumit arma, siue principia, præmissas, & media, quibus probet suas conclusiones. Communitèr decem assignantur loca. 1. Sacra Scriptura. 2. Traditio diuina. 3. Ecclesię authoritas. 4. Concilium legitimè congregatum. 5. Definitio Pontificis. 6. Authoritas Sanctorum Patrum. 7. Authoritas Theologorum, siue Doctorum iuris Pontificij. 8. Naturalis ratio. 9. Philosophorum authoritas. 10. Authoritas historiæ humanæ.

61 Ex duobus primis, & ex Definitione trium sequētium, sumitur certissimum argumentum, quia sunt de fide. Vndè negare conclusionem legitimè deductam ex illis, vel esset hęresis, vel error in fide. Dixi ex Definitione

ne trium ſequentium, quia ex his quæ reperiuntur in Concilijs, & Bullis Pontificijs, ſolę definitiones ſunt de fide. Rationes verò, quæ ſunt motiuum definiendi, vel aliæ interloqutiones, licet magnam habeant probabilitatem; non tamen ſunt de fide.

62 Sextus locus, ideſt communis omnium Patrum conſenſus, in dogmaticis (non in alijs) ita firmum facit argumentum, vt licet non faciat propoſitionem de fide, facit proximè definibilem. Septimus autem, ideſt communis Theologorum conſenſus in re graui, licet limites magnæ probabilitatis non excedat, eſt tamen tam venerabilis, vt ſine cenſura, & nota temeritatis, nemo valeat diſſentiri. Sicque facit argmentum valdè firmum. Si verò eſſet in doctrina fidei, vel morum, communis conſenſus omnium, vel ferè omnium, ab illis ſeparari erroneum, vel errori proximum eſſet. Tria vltima loca, deſeruire poſſunt Theologo ad argumentum probabile, non verò ad firmum, ac ſtrictè Theologicum.

63 Quia inter hæc loca Sacra Scriptura principatum tenet, de ea breuitèr aliquid dicemus.

QVÆSTIO II.

DE SCRIPTVRA SACRA.

ARTICVLVS I.

DE EIVS NATVRA, ET VERSIONIBVS.

64 Scriptura Sacra, eſt *liber Sacer, & diuinus reuelatus, & dictatus à Spiritu Sancto, quem ſacri Authores litteris mandauerunt.* Per hæc vltima verba, differt Verbum Dei ſcriptum à Verbo Dei tradito, ſiue Traditione diuina, quæ eſt Verbum Dei non ſcriptum.

65 Per illa verba *dictatus, & reuelatus* differt Sacra Scriptura à Definitione Pontificia. Hæc enim infallibilem habet certitudinem à Spiritu Sancto, Pontifici aſsiſtente, ne erret in definiendo, ſicut Pedagogus aſsiſtit Puero ne cadat; ſed non à Spiritu Sancto reuelante, & dictante, &

 loquen-

loquente per eius os,sicut per os, & calamum Prophetæ. Dictauit enim,vel singula verba,vel saltim sententias,cuilibet sacro Scriptori tanquam Scribæ suo, & Amanuensi.

66 Hæc Scriptura Sacra complectens vetus,& novum Testamentũ,& in eis,libros illos,quos TridentinũCanonicos definiuit,apud nos est in Biblijs,&Latina Vulgata,cuius vera intelligentia in corde residet EcclesiæCatholicę, ad quã spectat quinam libri sint Canonici definire, eisq; per os Pontificium verum sensum, & intelligentiam ê Cathedra Petri dare. Solum aduerto libros sacros omnes Vulgatæ, & eius partes, esse Canonicos, & de fide,vt docet Tridentinum (exceptis 3. & 4. Esdræ,qui ad finem Vulgatæ reperiri solent.) Inter Canonicos autem, alij sunt Protocanonici, & sunt illi de quorum fide numquam fuit dubium in Ecclesia, sed fuerunt ab initio, & semper in Canone. Alij Deuterocanonici, de quibus fuit aliquando dubium. Vide de hoc Bellarminium tom. 1.

67 Dixi *in Latina Vulgata*. Non quia Spiritus Sanctus Sacram Scripturam in lingua Latina dictauerit, sed quia,cum dictasset vetus Testamentum in Hebraica,si non totum,ferè totum; in Græca autem novum, exceptis aliquibus libris; postea à fontibus illis, in quibus scripta sunt, in alias linguas, variasque versiones translati sunt, nẽpè in Chaldaicam,Græcam,Syriacam,& Latinam. Fuerũtq; plurimæ traslationes,& traslatores. Vndè,& reperitur versio 70. Interpretũ. Aquilæ Pontici,Theodotionis, Symmachi Samaritani,Origenis, & aliorum. Reperitur etiam versioChaldaica,& versio Syriaca,plurimæq; aliæ.

68 Inter omnes autem,Latina,quæ Vulgata vocatur omnimodam authoritatem habet,non solum in magnis, sed etiã in minimis, vt constat ex Tridentino,sessione 4. Hęc est illa quam Diuus Hieronymus, fortè non sine assistentia, & directione Spiritus Sancti,vltimo correxit, & emendauit. Huic vtpotè purgatissimæ inter omnes (& de fide, secundum omnes partes) aliæ omnes debent cedere,quia de aliarum,imò nec de fontium omnimoda puritа-

ritate,nó conſtat: fortè enim à Iudæis,vel alijs inimicis, aliquantulum ſunt deprauati in odium Catholicæ Religionis. Vndè aliæ verſiones, eatenus habẽt authoritatem probabilem, quatenùs Vulgatæ non contrariantur.

69 Quod ſi aliqua ſunt loca in Vulgata, quæ videntur contrariari fontibus, & iuxtà fontes, meliùs verti poſſunt,vt aliqui Catholici admittunt, reſpondetur ſuppoſito,quod idem locus plures poſsit ſenſus literales habere,verſionem Vulgatam ſolum vertiſſe iuxtà vnum,ſed verum. In eo ergo quod alius vertat alium, & fortè principaliorem, nulla eſt contrarietas, ſed nuda diſparitas. Nec dicere,meliùs verti potuiſſe quam eſt in Vulgata,eſt contra Tridentinum.

ARTICVLVS II.

DE SENSIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ.

70 SEnſus,ac ſignificatio, hic pro eodẽ ſumuntur.Eſt autẽ duplex ſenſus. 1.Litteralis. 2.Spiritualis,ſiue myſticus. Literalis,eſt quem verba ſumpta propriè,vel metaphoricè, immediatè ſignificant, vt v. g. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Significatum immediatũ verborum,eſt creatio cœli,& terræ. Myſticus verò eſt,quem non ſignificant immediatè verba, ſed res illæ ſignificatæ per verba. Abrahã duos filios habuit,Iſmaël,& Iſaac. Significatio literalis, & immediata, eſt generatio horum filiorum. Per illos autem duos filios, ſignificati ſunt duo populi,ſcilicet Iudaicus,& Chriſtianus. Iſti enim ſignificantur per res ipſas ſignificatas per verba.

71 Literalis eſt duplex, vnus proprius,& alter metaphoricus. Ille eſt quem verba immediatè ſignificant,ſumpta in ſignificatione propria,vt *Chriſtus mortuus eſt.* Iſte eſt, quem verba immediatè ſignificant, ſumpta tamen in ſignificatione methaphorica, v. g. *Leo de Tribu Iudà vicit*, ideſt *Chriſtus fortiſsimus, & deſcendens de Tribu Iudà vicit.* Vndè verba illa: *Vicit Leo*, non ſignificant Leonem quemdam vincentem, per quem Leonem ſignificetur

Christus, iste enim esset sensus spiritualis, & mediatus. Sed verba illa Leo, &c. translata à significatione propria ad metaphoricam, significatione sua metaphorica, & translatitia, significant immediatè ipsum Christum fortissimum.

72 Iste ergo sensus, etiam est rigurosissimè, & proprijssimè litteralis, quia etiam, si fundetur in significatione vocis metaphorica, formalitèr tamen est de significatione immediata, in quo consistit definitio sensus litteralis. Est autem D. August. regula certissima, lib. 8. super Genesi ad litteram, communitèrque recepta, verba Scripturæ sempèr esse interpretanda in sensu, & significatione propria, & non in metaphorica, nisi in illa reddant sensum absurdum, vitandum per acceptionem metaphoricam. Prima pars patet, quia si liberum esset sumere verba metaphoricè, tota eluderetur Scriptura. Secunda probatur, quia, Leo de Tribu Iudà implicantiam inuoluit, si de verò Leone sumatur, secùs, si de metaphorico.

73 Solet esse grauis difficultas, an quando Prophetæ v.g. reuelatur aliquid sub aliqua imagine, quæ verè non fuit in rerum natura, sensus ille sit litteralis. V.g. Apoc. 12. Ecclesia repræsentata est Ioanni, *tanquam mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus, &c.* Ratio dubitandi est, quia verba textus, sunt de muliere illa, per quam significatur Ecclesia. Ergo ista non repræsentatur per verba, sed per res significatas per verba.

74 Sed nihilominus, oppositum docui in materia de sensibus Scripturę, quam latè, è ipsius Cathedra olim dictaui. Ratio est, quia sicut verba possunt sumi translatitiè, & metaphoricè, & sic sumpta immediatè significare rem, sic res ipsa potest sumi ænigmaticè, translatitiè, & metaphoricè, & sic sumpta immediatè significari. Ecclesia ergo, sub ænigmatè illius mulieris immediatè significatur per illa verba.

75 Hinc circa illam grauem difficultatem de sensu litterali parabolæ, plures docent, distinguendas esse duas par-

partes,nempè, & parabolam,& applicationem eius. Sensus litteralis partis applicatiuæ, est res cui applicatur; partis verò parabolicæ, ipsa similitudo : res autem significata,est sensus spiritualis. Sed non placent,quia regulariter vtriusque partis, sensus litteralis, est res ipsa significata. Sed in parte applicante,significatur propriè : in parabolizante verò methaphoricè, quando ista non est historia,sed confingitur.V.g. in vocatione ad conuiuium, metaphoricè significatur immediatè, vocatio gentium, quę tamen in applicatione, significatur litteraliter propriè.

76 Confirmatur. Sicut nullibi fuit in rerum natura verus Leo descendens de Iudà,per quem mediatè significetur Christus, ideoque cogimur explicare immediatè illa verba,non de Leone verò,sed de metaphorico,nempè Christo;sic nullibi fuit vera mulier,tã magna, quę posset vestiri toto Sole, & habere supra caput duodecim stellas, per quam significetur Ecclesia : Ergo etiam cogimur dicere, significatum immediatum illius textus, esse Ecclesiam ipsam, ænigmaticè figuratam in muliere illa vestita Christo Sole,fundata in Maria Luna,& coronata Apostolis,vt stellis. Ergo est sensus litteralis.

77 Quæri solet, 1. An idem locus posſit habere plures sensus litterales? (De pluribus, vno litterali, & alio spirituali, certum est, & constabit art. sequenti.) Affirmat communis sententia cum Diu. Thom. & ponit exemplum in illo loco : *Ex Ægypto vocaui filium meum*, qui locus intelligitur letteraliter de populo Israëlis, & simùl Diu. Matth. illum explicat de reditu Christi ab Ægypto. Sed meliùs probatur ex illo : *In principio creauit Deus*. Ly enim *in principio* sonat, *in Filio*. Item, *In initio temporis*. Item, *Ante omnia*. Ecce plures sensus ad litteram.

78 Et confirmatur, quia vertentes Scripturam Sacram è fontibus, solent valdè discrepare in aliquibus locis,& sensus valdè diſsimiles eruere. Hoc autem facilè componitur, si admittatur multiplex sensus litteralis in

eodem textu. Ratio autem a priori est, quia Spiritus Sanctus specialis Auctor, multa in vna clausula comprehendere, & vno verbo dicere facillimè potuit, imò, & decuit, & propter hoc Scriptura Sacra est immensum Pelagus, à quo innumerabiles sensus, tanquam riuuli deduci valent.

79 Quæritur 2. An Sacra Scriptura debuerit vti metaphoris in littera? Respondetur affirmatiuè cum Diu. Thom. Probatur. Tùm, quia Scriptura, dictata est pro hominibus instruendis. Homo autem meliùs instruitur per signa sensibilia, & ducitur ad cognoscenda insensibilia. Hanc conuenientiam intellige respectu eorum, quæ homo per metaphoras faciliùs percipit, quã absque illis. Tũ, quia si sæpè difficilè, st ex his metaphoris verum sensum deducere, hæc ipsa difficultas multũ prodest vt homines studiosiores fiant, & humiliores, sicque meritum augeatur. Et precipuè, vt ipsa Scriptura Sacra sit ob suam profunditatem, in maiori veneratione apud nos.

ARTICVLVS III

DE SENSV SPIRITVALI.

80 SPiritualis, qui vocari solet, Mysticus, est ille quẽ Spiritus Sanctus, dum refert aliquam historiam, vel dicit aliquã rem, simùl per rem illã immediatè dictã, intendit mediatè significare. V. g. dum refert transitum Israëlis per mare rubrum, Moyse cum virga ductore, intendit significare transitum hominis de seruitute peccati ad filiationem Dei, Christo per sua merita, & crucem ducente.

81 Triplex est sensus spiritualis. Nempè allegoricus, tropologicus, & anagogicus. Differunt, quia allegoria per res veteris Testamenti, significat, quæ pertinent ad Ecclesiam militantem, & quæ ad ipsam generalitêr sumptam pertinent. V. g. Legem Euangelicam, nouum Testamentum, Sacramenta, &c. Tropologia est de rebus particu-

ticularitêr à nobis operandis, id est, de operationibus moralibus, & propterea pro eodem sumitur sensus tropologicus, & moralis. Anagogia, est de his, quæ sunt in æterna gloria, siue in Ecclesia triumphante. Hos tres sensus, & vlteriùs litteralem, versibus sequentibus explicant communitêr Doctores.

Littera gesta docet. Quid credas Allegoria.
Moralis quid agas. Quo tendas Anagogia,

82 Explicari solet exemplo Hierusalem. Hæc enim sumpta litteralitêr, significat Ciuitatem illam, Metropolim Iudeæ, in qua Christus passus est. Spiritualitêr verò: animam Christianam tropologicê. Ecclesiam militantem allegoricé. Ecclesiam triumphantē anagogicê. De prima dicit Isaias 52. *Consurge, sede Hierusalem.* De secunda, Apoc. 21. *Vidi sanctam Ciuitatem Hierusalem descendentem de calo, &c.* De tertia, ad Galat. 4. *Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra.*

83 Hos sensus intentos esse à Spiritu Sancto, certum est. Tùm est scriptura ad Gal. 4. vbi dicitur: *Quod Habraham duos filios habuerit, vnum de libera, & alium de ancilla*, dictum esse per alegoriam, nam hæc sunt duo Testamenta. Tùm ex communi Sacrorum Doctorum, sic frequentissimè scripturam interpretantium.

84 In fine, nota 1. Non esse necessarium, quod isti omnes sensus conueniant cuilibet scripturæ loco. Aliqui enim ita sensu contenti sunt litterali, vt non videatur, alius intentus. Vt v.g. *Diliges Dñm Deum tuum*, &c. *Deus tuus, Deus vnus est.* Licet autem Paulus 1. Corinth. 10. dicat, omnia in figurá contigisse populo Israël, ly omnia, Cornelius à Lapide, non intelligit generaliter de omnibus, sed de his quę immediaté dixerat Apostolus. Insuper, licet omnia essent in figura, & mysterio, sed non in triplici sensu, sed in aliquo.

85 Nota 2. Sensum accomodatitium frequentèr esse in vsu, apud Doctores. Sic Quidam Auctor, Cuidam Priori Monasterij mortuo, accomodauit verba illa pro concione: *Et venit prior ad monumentum,* Ioan. 20. Hunc sensum, vt

talem

talem, non esse intentum à Spiritu Sancto, commune est apud Auctores. Ratio est, quia purè accomodatitius, nec est intentus per verba, nec per res significatas per verba, aliàs esset litteralis, vel spiritualis. Solum ergo est quædam accomodatio illorum verborum iuxtà nudam Grammaticalem significationem, & præter intentum scriptoris. Nec obest, quod apud plures, Matthæus cap. 2. verba illa: *Ex Ægypto vocaui filium meum* citauerit in sensu accomodatitio, & fortè Scriptores alij sacri, vsi sunt tali accomodatione. Respondetur enim negando assumptum, quia Mathęus adduxit in sensu litterali, vel saltìm spirituali, & non in sensu, præter intentionem Spiritus Sancti.

86 Tandem nota Theologiam argumentatiuam à quatuor sensibus posse sumere argumentum firmum, & certum, si certò constet à Spiritu Sancto esse intentos; probabilitèr verò, si constet probabilitèr. A puro autem acmodatitio, nullo pacto; siquidem vt tale, est præter Spiritus Sancti intentionem. Iste tamen, licet ad argumentum non deseruiat, ad instructionem tamen, & explicationem, & quasi à simili, optimè deseruire valet.

ARTICVLVS IIII.

DE VSV SACRÆ SCRIPTVRÆ pro concione.

87 DE vsu pro argumentis, dixi art. superiori, præcipuè in fine: Nunc de vsu pro concione. Scopus autem, solum est deseruire per prima rudimenta Tyronibus, vt saltím a longè concionis artificium salutare incipiant: non per regulas, prouectis; quia nec isti egent, & alij libri, eis pleni sunt.

88 Concio igitur est Sermo ad populum, qui potest esse, vel de Sancto, vel de Tempore (idest Dominica, vel feria.) Consistit autem (supposita salutatione ad petendam gratiam ordinata) eius artificium, in triplici, vel quadruplici conclusione, siue propositione, (vulgo, *Discur-*

cur-

curso, protuesta, vel *assumptio*) quarum quælibet duplici, vel triplici probatione, quæ regularitèr sit instar syllogismi, fulciatur. Sicut enim Tyro defendens Theses, solet in voce proponere tres, vel quatuor conclusiones; v.g. *Logica est practica*, qua probata, duplici, vel triplici argumento, transit ad aliam; v.g. *Logica est simplex qualitas*. Quam similitèr duplici, vel triplici probat argumento, sic concionator.

89 Pono exemplum. Est quis concionaturus de aliquo Confessore; v.g. Sancto Alberto, qui fecit multa miracula. Ieiunauit multum, coluitque virginitatem: Proponat super Euangelium illud: *Reliquimus omnia*. Quibus Christus sedes, & potestatem magnam promisit in præmium. Proponat inquam hanc primam propositionem, *Paupertas voluntaria hominem valdè facit potètem*. Quam immediatè probabit, Sacræ Scripturę textibus, tamquam argumentis: faciet postea applicationem ad Sanctum, qui fuit potens Opere, & Sermone, quia pauper erat. Qua propositione probata, & aplicata, transibit ad aliam, & aliam, quibus probatis, & aplicatis, finita fœlicitèr erit concio.

90 Si autem interroges. Qualitèr disponenda sit probatio, siue argumentum, per Scripturæ Textum? Resp. Quod ad eundem ferè modum regularitèr loquendo, ac probatio conclusionis in defendente Theses. Ibi enim probatio, regularitèr est syllogismus quidam, tres continens partes, maiorem, minorem, & consequentiam, ita tamen, vt pro conse uentia deducatur, ipsissima conclusio, quæ probanda erat. Patet. Probandum est, *quod Logica est practica*. Probatio disponitur sic. *Illa scientia est practica, quæ est propter opus; atqui Logica est propter opus: Ergo Logica est practica*. Ecce quomodo argumentum habet tres partes, & in tertia deducitur ipsissima conclusio, quę probanda erat.

91 Similitèr ergo in concione, probatio desumpta ex textu habet tres partes. Prima est narrare textum. Secunda super illum, mouere quæstionem. Tertia est responde-

re

re ad quæstionem, talitèr, quod responsio, sit ipsa propositio probanda. Pono exemplum. Probemus, illam propositionem: *Paupertas facit hominem valdè potentem.* In actibus Apostolorum, cap. 2. dicitur, quod Petrus, & Ioannes in porta Templi, inuenerunt claudum, qui petijt eleemosynam ab eis, & Petrus pro eleemosyna dedit ei restitutionem cruris, & sanitatem. (Ecce narrationem textus, quæ est prima syllogismi pars.) Quæro: Vndè Petro tanta potētia in salute danda, vt fecerit repente, quod omnibus totius mundi medicis impossibile erat. Vndè Petrus Piscator, & homo rudis, potuit fieri tàm eximiè potens? (Ecce secundam partem, siue quęstionem supra textum.) Attende, quid Petrus ad petitionem responderit. *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula.* Petrus omnia reliquerat, argento, & auro carebat. Paupertate voluntaria ornabatur. Erit ergo tàm eximiè potens in opere, & Sermone, quod videatur omnipotens. *Voluntaria enim paupertas hominem facit valdè potentem.* Ecce tertiam partem, & responsio est, ipsa, quæ probanda erat conclusio.

92 Hac finita probatione, adhibe similis thenoris aliam. Elias, in terra constitutus, imperio vocis cœlum claudebat, in 4. Reg. lib. (Ecce probationis primam partem.) Adde secundam. Vndè tam potens, vt de terra imperet cœlis? Quia pauper erat, & nihil pręter melotem possidebat, respondit Chrisostomus. Mira potentia! Sed verà paupertas hominem facit esse eximiè potentem. Ecce tertiam partem. Post quam, si vis, adde alias probationes, & applica sic. Propterea, Sanctus Albertus, tot potuit patrare portenta in terra, & in cœlo, quoniam reliquit omnia, & quoniam pauper erat.

93 Hac propositione sit conclusa, fiat progressus ad aliam. *Sequuti sumus te.* Albertus sequtus fuit Christum in multo, & asperrimo ieiunio. Propterea ferè Deificatus apparebat, sicut post ieiunium in Iordane Christus, Filius Dei à Patre proclamatus est. *Ieiunium, etenim, & hominem Deificat, & Deo ferè coæquat.* Hæc propositio proban-

da

da est, simili trium partium probatione sic. Moyses, & Elias gloriosa Christo as'istunt in Transfiguratione. (Ecce primam.) Sed cur isti præ Abraham, & Dauidè, eliguntur, qui ore pleno Matthæi 1. Christi Patres in eius genealogia celebrantur? (Ecce secundam.) Isti quadraginta diebus constantèr ieiunauerunt. Transfiguratio assistentes gloriosos, Christo in maiestate, & gloria, quasi coæquabat. Eligantur igitur ieiunatores præ alijs. Quia ieiunium corpus extenuando, homines quasi Deificat, & Deo ferè coæquat. Ecce tertiam partem. Applica. Quid mirum, si Albertus ieiunans rigidè, quasi Deificatus appareat, &c. Similes poteris alias adhibere probationes, posteaque transire, ad tertiam, & quartam, & quas pro tempore licuerit propositiones; v.g. quod Albertus fuit vir Angelicus, quia virgo fuit. Habet autem virginitas de hominibus Angelos facere. Adhibebis probationes, & aplicabis. Sicque conclusa erit concio.

94 Moneo autem aliqua. 1. Quod pro eleuando concionis artificio, Tyro curabit concionatores audire optimos, & ab eorum sumere concionibus, prototipon. Quod quidem proderit multò plùs, quam plures addiscere regulas concionandi, quæ non tam deseruiunt fructui, quam labori, & capitis defatigationi, Experientia teste.

95 Secundò. Quod pro inueniendis similibus propositionibus, probationibusque adeat libros clasicos Recentiorum; v.g, Sylbeiræ. Biezæ, aliorumque: in quorum indicibus, verbo Paupertas, & verbo, ieiunium, &c. multa inueniet, quæ postea componere curet, non solum eligendo meliora, sed nitendo disponere, stylo optimo, & eleganti; ornata enim locutio multum supplet, etiam si discursus, alias non ita sint ingeniosi. Vt autem thesaurum pro concionibus congregare posit locupletem valdè, incipiat à puero, habeatque duos codices, semperque studens cum calamo, & attramento, in vno notet omnes cóceptus, quos selectos inuenerit, qui non sunt pro præsẽti assumpto. Offeret etenim se occasio, in qua deseruiãt. In alio frasses Hispanicás optimas, quas memoriæ cómẽdet,

sicut

ficut fieri solet de Latinis, in studio Grammaticæ. Vidi enim elegantissimos, summosque concionatores hæc facientes, qui postquam aliquot annis in hoc laborauerunt, comparant stylum elegãtem, eumque quasi connaturalem fecerunt, & magna cum facilitate, ac dexteritate, fine nouo studio, aut labore loquuntur.

96 Tertiò. Dixi *regulariter* probationes fieri modò dicto. Etenim potest aliquando, probationis loco, ingeri, inter alias, simile aliquod, historia apta, sententia, vel textus, licet quæstionis, aut interrogationis (vulgo *reparo*) capacia non sint. Quando autem Tyro, in concionatoribus prouectis repererit, stylum ab instructione ista discrepantem, notet curiosè differẽtiam, vt addiscere possit, & imitari, illum diuersum concionandi modum.

97 Hac igitur instructione (quam solam, plures fecisse Concionatores, expertus sum) per modum digressionis, in Tyrocinij gratiam prælibata, redeo iam ad articuli assumptum.

98 Assero ergo, concionum vsui, optimè deseruire posse sensum litteralem, & mysticos, cum à Spiritu Sancto prætensi sint, aptissimeque probent atque suadeant, Catholicas veritates, muneris Concionatorij proprias. Hos autem sensus, è littera probabilitèr eruere liberum est Concionatori docto, si tamen solidè, & fundatè, illos colligat ex littera; etiamsi sint noui: dũmodò Sanctorum Patrum, & communi Doctorum intelligentiæ, non sint oppositi, sed ad summum dispares.

99 Sensu autem purè accomodatitio etiam liberè vti potest. Licèt enim non sit efficax ad probandum, solet esse ad persuadendum. Habet enim tunc, rationem exempli siue similis, quod experientia teste, valdè persuasiuum esse solet. Et hæc de Sacra Doctrina, & Scriptura.



TRACTA-

TRACTATVS II.

DE ATTRIBVTIS DEI.

PRæcipuum Theologiæ subiectum, & superemi-nens, est Deus Vnus, & Trinus. Ideò de eo pri-mum incipit Diuus Thomas agere, à quæstione 2.

DISTINCTIO II.

DE COGNOSCIBILITATE DEI.

QVÆSTIO III.

DE COGNOSCIBILITATE EXISTENTIÆ, quoad an est.

ARTICVLVS I.

AN DEVS EXISTAT, ET VNDE CONSTET.

100 AFfirmo primã partem, cum omnibus Catholicis, & toto orbe. Probatur ex Scriptura, vbi Psalmo 13. vocatur insipiens ille, qui *dixit in corde suo* (quasi coram hominibus proferre erubesceret) *quod non est Deus.* Item probatur ratione q. productio, dispositio, & gubernatio omnium creaturarum, non potest esse absque aliquo supremo numine, omnia producente, & gubernante. Hoc autem est 1. causa, siue Deus.

101 Imò non solum est certum, sed etiam euidens inuestigantibus, sano animo, Deum existere. Constat hęc euidentia ex Paulo ad Romanos 1. dicente: *Inuisibilia Dei ex his, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas.* Vbi *ly conspiciuntur* euiden-

dentiam denotat. Taliter autē se habet hęc existentia, vt necessario, & indefectibiliter existere sit de essentia Dei. Imò differentia proprissima Dei à creaturis. Sed de hoc infra.

102 Circa 2. Assero constare, non à priori, sed à posteriori, & ex creaturis, ita alté clamantibus, vt conuincant intellectum, si non tenacem, saltim sanum, & non male dispositum.

103 Prima pars patet, quia existentia Dei, non probatur per principia: ergo nec à priori. Licet autem ex ratione primæ causæ vt talis, probetur existentia, non est à priori, sicut risibilitas per rationalitatem. Tùm, quia existentia non est proprietas primæ causæ, sicut risibilitas, sed quid inclusum: & sic probatio est de incluso per includens, sicut si rationale probetur per hominem. Tùm, quia ipsa ratio primæ causæ, non alitér constat nobis, quam ex creaturis: non ergo à priori. Nec obest, quod demonstratio sit cognitio rei per causam, &c. ergo à priori. Nego consequentiam, quia non est per causam essendi, sed per causam, siue rationem assentiendi, quales sunt creaturæ propter quas primæ causæ assentimur.

104 Secunda pars probatur. 1. Quia in seriê causarum, aliqua debet dari independens, & increata, ne detur mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis. 2. Quia si non detur vna prima causa necessario existens, & independens, sed omnia sint contingentia, euenire posset, quod nulla existeret; tunc ergo omnia fierent impossibilia, quia nihil recipere posset esse, à non habente esse, quod tamen absurdum est. Confirmatur ab inconuenienti. Si enim omne ens est dependens, omne erit imperfectum in genere entis.

105 Obijcies 1. A medio contingenti, non probatur euidenter causa necessaria; atqui creatura est contingens: ergo non probat necessariam existentiam primæ causæ. Distinguo maiorem, si medium contingens petat necessitatem causæ, saltìm mediaté, nego; si non petat mediatè, nec immediatê, concedo mai. & min. & nego conse-

quen-

quentiam. Petit enim mediatè existentiam necessariam primæ causæ vt constat ex 2. argumento pro secunda parte nostræ conclusionis num. 10.

106 Obijcies 2. Plures sapientes negarunt existentiam Dei: ergo non est euidens. Nego consequentiam. Euidens enim est, quoad rem, sed ex tenacitate, & mala dispositione sua conuicti non sunt. Vide supra à num. 32. Tertiò demonstratio debet esse ex necessarijs: ergo non ex creaturis contingentibus. Distinguo antecedens: ex necessarijs in existentia, nego; in connexione, & ratione inferendi, concedo. Istā autē iam habent, tùm ex sua non repugnantia essentiali; tùm ex suppositione, quod existat.

107 Obijcies 4. Creaturæ non demonstrant Deum, quoad quid est, siue quoad essentiam. Adhuc enim manet lis in quo consistat essentia Dei: ergo nec quoad an est. Consequentia probatur, quia quæstio *an sit*, non est de quouis ente, sed an sit Deus, vt Deus: ergo si non noscitur essentia, nec existentia. Resp. Nos ex creaturis vtrumque noscere vltimatè, & quod existat, & quod sit ens infinitè perfectum diuersum à creaturis, ac per consequens noscimus quidditatem physicam Dei (licet sit lis circa metaphysicam.) Quia tamen, non noscimus in seipso quidditatiuè, & perfectè, sed abstractiuè, & imperfectè, & admodum creaturarū, ideò negatur nosci, quoad quid est.

108 Obijcies 5. Quælibet scientia, & demonstratio supponit suum obiectum, *quoad an est*: ergo nulla potest demonstratio dari probans existentiam Dei, sed supponens. Resp. Non esse verum de omnibus. Nam aliquæ de suo obiecto, solum supponunt, *quid nominis*, (idest quid significet illud nomen;) ipsæ autē probāt postea, *quid res*, idest existentiam significati per tale nomē, & sic cōtingit hic.

In fine quæres an hæc euidentia physica de existentia Dei per creaturas sit de fide? Affirmo, tùm ex loco Pauli adducto, tùm ex Sapientiæ 3. *A magnitudine speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Fit enim ita patens, ac si videretur.

109 Nec obest 1. si dicas: scriptura illam ponit eui-

dentiam quæ sufficit, vt homines sint innexcusabiles; atqui ad hoc sufficit euidẽtia moralis. Qui enim nõ crederet Matritum existere, innexcusabilis esset: ergo scriptura loquitur non de euidentia physica, sed de morali. Respondetur negando maiorem, nam non posuit solum euidentiam, quæ sufficiat, sed quę superabundet, vt sint innexcusabiles. Connexio autem creaturæ cum Deo, physicam facit euidentiam, quæ reddit magis innexcusabiles.

110 Nec obest 2. Ergo non solum erit hæreticus negans existentiam Dei, sed etiam negans physicam euidentiam existentiæ, cum tamen aliqui Catholici solã euidentiam moralem admittant esse de fide. Consequentia autem probatur, quia negat euidentiam à Sacra Scriptura affirmatam. Nego consequentiam, quia non negat propositionem, formalitèr & in actu secundo de fide, sed materialitèr, & quasi remoté. Duplex enim est propositio reuelata. Vna quæ veré est reuelata, & constat certissimé esse reuelatam, & provt talis proponitur ab Ecclesia. Aliã quæ habet primum, sed non secundum, quia reuelatam esse, & ab Ecclesia propositam, solum constat probabilitér. Ad hæresim non sufficit primum sine secundo, quia per primum est de fide remoté, & quoad se, non proximé, & quoad nos. Nam hoc habet per propositionem Ecclesiæ.

Dices. Ergo si probabilitèr constat de certitudine, & de propositione Ecclesiæ, erit probabilitér hæreticus, qui negat. Resp. negando consequentiam, quia solum est hæreticus, & errans in fide, qui est pertinax. Iste autem solum est, qui certo scit Ecclesiæ propositionem, non qui opinatiué. Vndé negans euidentiam physicam existentiæ Dei, forté erit temerarius, sed non hæreticus.

ARTICVLVS II.

AN EXISTENTIA DEI, SIT PER SE NOTA respectu nostri?

111 PRobatum est, esse notam per aliud nobis viatoribus, nempé per creaturas. Dificultas est, an

etiam

etiam per se? Illa est propositio per se nota, in qua prædicatum ita est de ratione subiecti, vt sola terminorum explicatione proposita, fiat patens, & intellectum conuincat, vt *omne totũ est maius sua parte. Maior est hæc aula, quã eius medietas*. Explicatis enim terminis, non est necessaria probatio.

112 Est autem duplex. Alia per se nota, quoad nos. Alia per se nota, quoad se tantum. Vtraque conuenit in eo quod prædicatum sit de ratione formali subiecti. Item, sit veritas statui intellectus proportionata, proportione ordinis, & quod vtraque quantum est ex se, sit per se nota (siue per se ipsam noscibilis in actu primo) si ad sint termini sufficientèr explicatiui. Poterit enim tunc absque alia probatione conuincere intellectum. Differunt tamen, quia illa, quæ est per se nota quoad nos, est per se nota in exercitio, & in actu secundo, & absolutè, & quoad efficaciam, quia respectu nostri, adsunt termini sufficientes. Quę autem, est per se nota tantum quoad se, est solum per se nota in actu primo, ob defectum terminorum sufficientium, propter quem, & non propter aliquam improportionem ordinis, manet clausa, & abscondita quoad nos.

113 Assero ergo, non esse per se notam, quoad nos viatores, sed tantum, quoad se. Ita communitèr Thomistæ, & plures alij. Prima pars probatur, quia non patet nobis ex sola terminorum explicatione, nec in via habemus terminos, sufficientèr explicatiuos: quacumque enim primæ causæ, & entis necessarij explicatione data, non manet intellectus conuictus, quod verè, physicè, realitèr, & in actu exercito existat, id quod in actu signato, *& quo ad quid nominis* verba illa significabãt vt existens. Confirmatur. Quia existentiam Dei negarunt Atheistę: ergo non est per se nota, quoad nos. Consequentia probatur, quia non est per se notum, id cuius oppositum, aliquis intellectus rationis capax, tenere potest. Propositio enim, ex terminorum sola explicatione intellectum cõuincens, ita illum necessitat, vt non relinquat locum dubitandi,

114 Secunda pars, nempè esse per se notam quoad se, comparatiuè ad viatores. Probatur; quia prædicatum est de ratione formali, differentiali subiecti; & quoad se, est veritas quędam ordinis naturalis, sicut, & viator: & si termini adessent in via, sufficientèr explicatiui, intellectum conuincerent in via, sicut conuincunt in patria. Sicut autem argumenta contra Mysterium Trinitatis sunt solubilia certissimè, & euidentèr quoad se, quoad nos autem solum probabilitèr, quia deficiunt nobis notitiæ requisitæ ad euidentem solutionem, quæ tamen non deficient in patria; similitèr, existentia Dei est per se nota, quoad Beatos; non verò quoad nos, quia nobis deficiunt termini sufficientèr explicatiui, quos illi habent.

115 Sequitur 1. Propositionem per se notam quoad intellectum, esse innegabilem, propter inclusionem prędicati in subiecto, claré cognitam, & explicatam, licet propositio per se ipsam nota quoad sensum, possit esse negabilis. V. g. *Petrus est niger*. Vel *Sol hodie lucet*. Posset enim intellectus dicere, nigredinem, vel lucem illam esse solum apparentes. Cum enim prædicatum, non sit de ratione formali subiecti, intellectus non conuincitur ad non negandum.

116 Sequitur 2. Respectu viatorum, hanc propositionem: *Deus est trinus*, non esse per se notam, adhuc quoad se, quia est veritas superna, & cum qua intellectus absque lumine est improportionatus. Non enim deficit solum sufficientia terminorum, & dispositio, sed etiam proportio ordinis, quę tamen datur respectu existentiæ Dei. Item sequitur, *hominem esse risibilem*, respectu nostri, non esse per se notum, adhuc quoad se in Republica hac; quia prædicatũ nõ est de ratione formali, quidditatiua subiecti.

117 Tertiò sequitur, fortè non esse possibiles alios terminos sufficientèr explicatiuos existentiæ Dei præter visionem beatam. Quia cognitionem Dei immediatam quidditatiuam, quæ sit abstractiua, siue non intuitiua, repugnare, fortè probabilius est. Nec obest, quod ad hanc propositionem: omne totum est maius sua parte: non requi-

quiratur explicatio intuitiua : ergo, nec ad hanc : Deus existit. Nego consequentiam, quia illa propositio, est immediata de toto, quoad essentiam; ista de Deo immediata, quoad existentiam, & sic intuitiua. Dices 2. Ergo æqualem virtutem superadditam luminis, requirent explicatio immediata existentiæ Dei, ac Trinitatis. Concedo consequentiam, quoad actum secundum; adhuc tamen differunt in ratione per se notæ quoad se, in proportione ordinis, vt dictum est.

ARTICVLVS III.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

118 OBijcies 1. Contra 1. partem: Deus est summum omnium bonorum, quæ sunt, & ita summum, vt nihil melius excogitari possit. Atqui euidens est, ex terminorum explicatione, dari tale bonum. Ergo, & Deum. Minor patet 1. Quia summum omnium bonorum, quæ dantur, verè datur 2. Quia bonum quod *exercitè*, & verè existit, melius est, quam quod signatè solum. Ergo si est Deus, id quod melius, eo ipso existit *exercite*. Si enim verè non existeret, iam posset excogitari aliud bonum melius.

119 Respondetur, distinguendo maiorem: Deus, est summum bonorum, & melius omnium, quæ dantur. Hoc inquam est Deus, ex parte obiecti realitèr verè, & quoad esse, concedo: quoad probari, nego, quia apud illum, qui solum admittit bona creata, & defectibilia, non est verum, quod summum omnium bonorum existentium, & excogitabilium sit Deus, vel 1. causa, quia non datur. Vndè dicent, quod summum bonum omnium, quæ dantur, verè datur, sed non propterea Deus datur. Ex quo patet ad minorem, & primam probationem. Ad secundam, concesso antecedenti, distinguo consequens. Existit exercitè, *quoad esse* melioris boni, (imò primæ causæ) concedo, *quoad probari*, nego. Licet enim Deus, sit res omnium melior, & melius sit, quod exercitè existat, quam signatè,

adhuc restat probandum, quod talis res prima, & necessaria, & tam bona, à parte rei detur.

120 Obijcies 2. Nomine Dei intelligitur, ens necessarium, & indefectibile; sed est per se euidens, etiam quoad nos, ens necessarium existere: ergo & Deum existere. Minor patet ex sola terminorum explicatione, quia ens necessarium, & indefectibile, est illud cui ita de per se conuenit existentia, vt in nullo euentu ei deficere possit. Nota pro responsione aliud esse *quid nominis*, & aliud *quid rei*. Potest enim dari euidentia, declarans quid significet nomen, quin detur de existentia rei significatæ. Vndè & datur existentia signata, & datur exercita. Primæ sufficit esse significatam per nomen. Ad secundam requiritur vlteriùs quod res illa, sit in re, & in exercitio posita, sicut significatur per illud.

121 Hinc benè aduertunt aliqui Recentiores inter nomen, & verbum posita in propositione, dari in modò significandi magnam differentiam. Nomina enim significatiua existentiæ, important existentiam in actu signato, & quoad *quid nominis*, non curando de existentia rei in re. Verba verò important in actu exercito, indicando rem existere verè, & in re.

122 Ad argumentum ergo, concessa maiori, quoad *quid nominis*, nego minorem, quia non est per se euidens significatum harum vocum: *Ens necessarium, & indefectibile*: existere. Ad probat. respondetur, explicationem illorum terminorum esse existentiam necessariam, & indefectibilem. Est tamen existentia, solum in actu signato, & quoad *quid nominis*, non verò quoad *quid rei*, & in actu exercito. Data enim illa explicatione per nomen, dum deuenimus ad affirmandum per verbum, non est nobis euidens per se, an existat, an sit chimera.

123 Dices. In hac propositione: *Necessarium, existit indefectibilitèr*. non solum nomen, sed etiam verbum importat existentiam: ergo in re. Distinguo antecedens. Verbum provt explicatiuum nominis, concedo, provt affirmatiuum alicuius diuersi à, *quid nominis*, nego antecedens,

dens,

dens,& consequentiam. Solum autem verbum affirmans *quid rei*,est quod importat existentiam exercitam. Vndè illam propositionem, distinguo : Necessarium exercitè, existit indefectibilitèr,concedo : necessarium signatè, nego.

124 Infero, de Deo non posse dari ignorantiam inuincibilem, saltìm multò tempore durantem, quia licet eius existentia non sit per se nota quoad nos, creaturæ tamen validè illam vociferantur, vt innotescat cuilibet ratione vtenti. Infero 2. quod Deus sit colendus, esse per se notum, & quoad se,& quoad nos, quia cognita existentia Dei semèl,ex ipsis terminis patet, absque alia probatione, ius quod habet ad cultum.

ARTICVLVS IV.

AN ETIAM SIT NOTA PER FIDEM?

125 RESpondeo esse,& contineri in Scriptura passim, sicut & sapientia, & bonitas, &c. credenda saltìm ab indoctis.Cùm enim isti euidentiam non habeant, per fidem credere debent, vt assensum certum de Dei existentia eliciant. Imò, & pro doctis saltim quando actum euidentiæ non eliciunt, quia in habitibus non est incompatibilitas. Pro doctis verò,& indoctis, etiam est de fide, existentia Dei, vt principij ordinis supernaturalis, continceturque in primo articulo, in illis verbis: *Patrem omnipotentem*, idest, tam ad naturalia, quam superna. Item, est obiectum fidei pro omnibus, quatenùs dedit esse naturale rebus *in tempore*, vt principium ordinis naturalis. Quod continetur in articulo : *Factorem cœli,& terræ*, quantum enim ad productionem in tempore, eum nulla daretur euidentia, potuit pro omnibus condi fidei articulus.

126 An autem viri docti,de existentia Dei,quoad an est (quo pacto est illis euidens) possint simùl fidem habere,lis est magna dirimenda in materia de fide, vbi an

fides,& euidentia de eodem obiecto possint esse simùl,latè controuertit.. r. Negantes fidem hanc in viro docto,non propterea fraudant illum merito fidei, quod sufficientèr saluatur in præparatione animi, sicut erat in Christo. Item, quia licet non credant Deum, possunt credere in Deum, idest, in illum, sub ratione superna vltimi finis, & actus fidei repetendo, meritum augebunt.

127 Dices. Ergo doctus peccator, non potest iustificari, & placere Deo. Probatur consequentia ex Paulo ad Hebr. 11. *Sine fide, impossibile est placere Deo; Accedentem autem ad Deum, oportet credere, quia est; & inquirentibus se, remunerator est*; sed qui habet euidentiam existentiæ Dei, nequit credere, *quia est*. Ergo. Nego consequentiam. Ad probationem, assero sensum Pauli, non esse, vt seorsìm credat, *quia est, & quia remunerator est*, sed quod vtrique assentiatur; existentiæ, regularitèr per fidem; etsi aliquando per euidentiam, meliùs erit, inquit Caietanus, ad locum Pauli. Dices, assensum *quia est* non esse purum requisitum, & præambulum, sed esse meritum de congruo: ergo est assensus fidei. Nego antecedens. Nam iam manet sufficiens meritum fidei in assensu de Deo, vt remuneratore.

128 Secundò, resp. Doctum de existentia Dei, euidentiam habitualem habere sempêr, secùs actualem, & tunc potest fidem exercere. Dices. Eo ipso, quod excitetur species de existentia Dei, excitatur species euidēs, sicut in illo, qui vidit Matritum, excitatur species visi, impediens fidem. R. distinguendo antecedens: Species determinans ad assensum euidentem, nego: facilitans, & difficultatem tollens ad fidem, concedo. Cum enim hæc euidentia ex creaturis, non sit de illis euidentijs, se ipsis intellectum conuincentibus, sed potiùs de illis, quibus intellectus facilè non conuincetur, species relicta, non necessitat seipsa regularitèr ad exercitium assensus euidentis, ex motiuo euidenti; sicut necessitat species relicta ex visione & sic locum relinquit fidei, illa, secùs ista.

129 Resp. 3. Sufficere fidem virtualem circa articu-

los

los illos,qui aliàs innotescunt.Hæc est exercitium scientiæ infusę, quod à Deo solere infundi in via transeunter, docet Ripalda: *Et autem, qui est eliciturus assensum naturalem infructiferum, infundit Deus supernum, altioris ordinis, vt fructuosè eliciat.* Debet ergo credere, *quia est*: credere formalitèr, vel æquiualentèr.

130 Sic Paulus post raptum, vel non excercebat experientiam, conuincentem physicè (quia fortè non dabat Deus auxilium supernum nouum, sicut nec dat Dæmoni euidentiam physicam de statu gratiæ amisso) sed fidem, vt dictum est de docto; vel dirigebatur, sicut Christus à scientia infusa in suis meritis, circa ea, quæ viderat. Quod si locus citatus loquatur de fide rigurosa, requisita ad placendum Deo, intelligitur, non in iusto, sed in *accedente*, idest, in transitu à peccatore ad justum. In augmento autem meriti, fortè est dabilis amor supernus exardescens ex sola cognitione illa: *O bonitas Dei!* quę non est fides stricta, cùm non nitatur diuina reuelatione. Sed decisio huius pendet ab illa quæstione fidei: An assensus attingens mysterium, & non reuelationem, sit assensus fidei.

131 Pro complemento nota aliqua. 1. Licet existentia Dei respectu docti, esset purum prę ambulum ad fidem; adhuc posse attingere fide superna, illam indirectè, & in alio, nempè in remuneratore, & habere meritum indirectè de illa, modò dicto. & si credat illam, vt reuelatam, & vt contentā in Scripturis pro in doctis. 2. Habere fidem de articulo Creatoris, provt dicit Deum, vt creantem in tempore. 3. Strictè posse credere in Deum, quia hoc est, credere in ipsum, vt vltimum finem supernum: ad quem omnia ordinet. 4. De existentia Dei, rusticum habere assensum firmiorem formalitèr per fidem, quam Angelus per puram demostrationem. Dixi formalitèr; subiectiuè enim Angelus, certior est: & formalitèr erit æquè certus, per assensum fidei de existentia indirectè credita.

132 Quintò, existentiam Dei, dici à Diu. Thom. non

esse

esse articulum fidei, quia non est ex mysterijs illis capitalibus quatuordecim, sicut nec Eucharistia. Est tamen mysteriũ aliàs de fide credibile. Tandẽ nota, rusticũ, dũ vt iustificetur, credit Deũ remuneratorẽ, credere illũ, vt Auctorẽ supernũ, quia sub hac ratione est regularitèr specificatiuus actuum supernorum. Non tamen sub nomine *Superni*, sed sub conceptu remunerationis magnæ, & altissimæ, in qua altitudine supernaturalitas indicatur.

ARTICVLVS V.

QVOMODO DEVS IN VIA A NOBIS cognoscatur.

133 QVidam indocti dicere solent Deum verum à nobis in via non cognosci, sed aliquid aliud loco Dei. Sed profecto falluntur, vt statim constabit.

134 Respondeo ergo. Deus non noscitur à nobis per speciem propriam, benè verò per speciem creaturarum, & ad instar earum. Sicut enim Angelum noscimus ad modum iuuenis, ita Deum ad modum rei corporeæ. Imò semper conceptus illi quos de Deo formamus, sunt imperfecti, partiales, & inadæquati. Vna enim cognitione noscimus sapientem, (imò vna sapientem actu, altera potentem Logicè) alia verò omnipotentem, & alia inmensum. Cum enim quælibet sit limitata, abstractiua, & in alio, velut in imperfectissimo speculo, nulla sufficit adæquare ipsum, & ideo ad multas recurrimus.

135 Sicut enim, vita Christi Domini, non potest per vnam imaginem, tota repræsentari, sed per multas seorsim; v.g. vnam repræsentatiuam eius, vt pueri; aliam vt transfigurati; aliam vt crucifixi, eo quod per quamlibet, vtpotè imperfectam, solum partialitèr, & inadæquatè sit repræsentabilis, sic Deus inadæquatê solũ, repræsentatur in via per quamlibet seorsim cognitionem, & per singulas, ex diuersis creaturarum speciebus formatas.

136 Obijcies. Deus noscitur à nobis ad modum creaturæ; atqui esse creaturæ, non est esse ipsius Dei: ergo non

non noscitur ipse Deus, sed creatura loco Dei. Pro responsione nota primo, nos de Angelo, siue Deo, duos regulariter formare conceptus. Primus est, *non vltimatus*, dum concipimus ad modum corporis, sed non sistimus in tali conceptu, sed transimus ad formandum alium conceptum *vltimatum*, quod non sit corpus, sed spiritus. Innitimur ergo in primo rei alienę, vt ex illo transire possimus ad formandum conceptum de esse proprio: sicut qui innitur baculo in vna ripa fluminis, facitque vim in illo, vt saltet ad aliam in qua quiescat.

137 Nunc ad argumentum concessa maiori, & minori, nego consequentiã, quia licet intellectus noster apprehendat Deum ad modum corporis in conceptu non vltimato, non tamen ibi sistit, sed transit ad iudicandum vltimatè, nec Deum esse corpus, nec Angelum iuuenem, nec habere illud esse ad cuius modú cognoscútur, sed potius aliud esse incorporeum valdè diuersum. Sic dum arbores videmus per vitrum philosophicum, siue rubrum, & eas videmus rubras inultimatè, benè vltimatè noscit intellectus, in se non esse rubras, sed virides.

138 Vndè cognitio nostra, non erit falsa de Deo, sicut cognitio ęnigmatica, siue rei in ęnigmatè non est falsa. Intellectus enim, de Angelo, non affirmat iuuenem, sed potius de eo, ad modum iuuenis apprehenso, negat esse iuuenem. Cognitio enim emendans, quod erat alitèr apprehensum, falsa non est.

139 Hęc cognoscendi imperfectio, ita est nobis in via innata, vt non solum in Deo mille immisceat intellectus aliena, sed etiam in obiectis creatis. Dum enim intellectus affirmat identitatem inter animal, & rationale, immiscet ibi extrema, & distinctionem, & ligamen inter illa. Sed hoc est invltimatè, & innitendo his imperfectionibus, vltimatê iudicat nihil horum dari, sed esse animal cum rationali omninò idem.

140 Nota autem, dicta non excludere, quod rusticus possit facere in hoc falsas cognitiones, si nempê vltimatè iudicat inter identificata dari distinctionem, vel An-

gelum

gelum esse iuuenem. Vide infrà q. 5. & 6. de Attributo necessario,& etiam de formalitate, quæ est essentia metaphysica Dei.

141 Aduerte in fine, conceptus quos de Deo formamus,possunt esse,vel per negationem, vel per affirmationem. Per negationem, sunt valdè imperfecti, sed verissimi, quia remouent à Deo omnem creaturæ imperfectionem, v.g. Deus non est corporeus, nec est limitatus, &c. Per affirmationem verò, secundum conceptum vltimatum,etiam possunt esse veri, v. g. Deus est à se,æternus, infinitè sapiens, &c. Licet enim affirmatiuus conceptus sempèr immisceat aliquid creatum, concipiendo ad modum creaturæ,purificatur tamen sic: *Deus est summa sapientia, quæ à nobis potest cognosci, sublatis tamen imperfectionibus.* Ex parte ergo rei significatæ in conceptu vltimato, verum cognoscimus Deum, licet cum ad mixtione alteriùs rei, se tamen tenentis solum,ex parte modi significandi.

DISTINCTIO III.

DE ESSE DEI.

QVÆSTIO IIII.

DE PRÆDICATIS DIVINIS.

ARTICVLVS I.

DECLARATVR MVLTIPLEX PRÆDICATVM Dei.

142 IN Deo sicut & in nobis, dantur varia prædicata, & formalitates verè existentes in illo. Primo, dantur Essentia, & Attributa. Essentia physica, & metaphysica. Illa est omnis perfectio absoluta Dei (exclusis rela-

relatiuis, aliàs Pater non esset à parte rei integrè Deus, cum non sit filius.) Metaphysica est, illa formalitas specialis, pręcipua, & primaria radix aliarum perfectionum. Attributa sunt prædicata illa secundaria, v. g. volitio omipotentia.

143 Secundò, dantur prædicata communia Deo, & creaturis, & alia specialia; communia sunt ens, substantia, viuens. Specialia sunt illa, per quæ differt à creaturis, vt ens necessarium, infinitum, à se, &c.

144 Tertiò, inter specialia Dei, quædam sunt essentialia, siue communia, & sunt illa, quæ pertinent ad essentiam Dei, siue ad Deum vt vnum, suntque communia tribus Personis. Quędam sunt personalia, notionalia, siue proprietatiua, pertinentia ad notas proprias cuiusque personæ, v.g. gignere, gigni, &c.

145 Quartò, ex essentialibus quędam sunt transcendentia, quædam non. Illa sunt, quæ imbibuntur in quo vis Dei Attributo, & perfectione, v.g. necessitas existendi, infinitas, ens à se. Non transcendentia, v.g. volitio, omnipotentia, quarum vna non imbibitur in alia.

146 Quintò, alia sunt positiua, alia negatiua. Illa, quæ dicunt, & explicantur per perfectionem positiuam, v.g. esse intelligentem. Ista quæ per negatiuam, v.g. esse ineffabilem, immutabilem, inaccessibilem, &c.

147 Sextò, ex perfectionibus Dei, quædam sunt simplicitèr, simplices; quædam verò non simplicitèr; sed secundum quid. Illæ sunt, quæ sunt verè perfectiones sine imperfectione, compatibiles tamen cum omni alia æquali, vel maiori perfectione, v. g. intelligere, quod compatitur cum volitione, & omni alia perfectione, quæ simplicitèr sit perfectio. Perfectio secundum quid est illa, quæ licet sit perfectio, vel nõ est sine imperfectione, vt perfectiones creatæ, que imbibunt imperfectionem finitudinis, & dependẽtiæ: vel si sine imperfectione, tamen habent incompatibilitatẽ cum aliqua perfectione æquali, v.g. volitio creandi mundum in Deo, est incompatibilis cum nolitione creandi: cum tamen vna sit æqualis alteri.

teri. Similitèr Filiatio est incompatibilis cum Paternitate, & tamen sunt æquales.

148 Ex his perfectionibus, formalitèr reperitur in Deo, quæ est simplicitèr simplex, quia melius est habere illam, quam eius oppositum, contrarium, siue contradictorium. Etiam reperitur formalitèr perfectio secundum quid: illa nempè, quæ nullam dicit imperfectionem, sed solam incompatibilitatem, cum alia æquali. Ratio est, quia Deo tribui debet, quod est perfectio, sine imperfectione. Alia verò, quę est perfectio secundum quid, & dicit imperfectionem, non est in Deo formalitèr; v.g. ratio corporei, est tamen in Deo eminentér.

149 Ex his manet explicata definitio Anselmi, nempè, perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quolibet melior est ipsa, quam non ipsa: idest melior est ipsa, quam oppositum ipsius, siue sit oppositum contradictoriè, siue positiuê contrariè. Dicitur autem in quolibet, idest in quolibet ente, vt ens est; nam enti melius esset, esse infinitum, quam finitum; esse spirituale, quam corporeum: non tamen in quolibet prout tale ens est; quia corpori non esset melius esse spiritum, quam non spiritum, imò peius, quia esset eius destructiuum.

150 Tandem Attributum est perfectio simplicitèr simplex, communis, subsequens essentiam. Cum enim Attributa sint ad modum proprietatis, debent essentiam sequi, & comittari vbicumq; sit, vt Volitio, Omnipotentia; hinc fit, vt debeat esse communis, & non personalis, quia filiatio; v.g. non committatur essentiam in Patre, nec in Spiritu Sancto. Et sic personalitas, non est Attributum.

ARTICVLVS II.

DE PRÆDICATIS COMMVNIBVS DEO, & creaturis.

151 PRimo est certum Deum esse viuentem, vita immanenti, & à se, quia intelligit, & vult. Ly *à se* non sumitur positiuè, per positiuam causalitatem, aut

aut emanationem, in quo differt à creaturis, sed *negatiuè*, idest, non ab alio: sed est viuens in actu 2. per positiuam, & formalem identitatem. Certum est. 2. Esse subs-tantiam completam, quia est ens perfectissimè per se existens, & non ordinatur ad componendum cum alio. Sed quomodo Patres aliquando negant esse substantiam, & dicunt esse super substantiam? Resp. Loqui de substantia provt substat accidentibus. Item non sola Deitas est subs-tantia, sed etiam attributa provt virtualitèr distincta ab essentia; v.g. intellectio, & volitio. Tùm, quia sunt perfectissimè in linea essendi per se. Tùm, quia sunt virtus *quo* respectu personarum, & debent esse æquè perfectę, ac istæ. Tùm propter rationem statim assignandam. Ex quibus patet etiam esse ens, vtpotè existens à parte rei.

152 Quæritur an differentia formalissima Dei (idem de differentijs attributorũ) provt differentiat Deũ à creaturis, imbibat formalissimè substantiã? Hęc quæstio coincidit cum illa metaphysicæ, an differentiæ formalissimè includant ens? Affirmo differentiam Dei à creaturis, & attributorum inter se ipsa, esse formalissimè substantiam. Probatur, quod imbibit formalissimam, & positiuam oppositionem cum accidenti, formalissimè est substantia. Patet, quia nequit esse quid commune substantiæ, & accidenti, nec accidens. Debet ergo esse substantia. Atqui differentiæ formalissimę Dei à creaturis, vt tali, repugnat esse accidens, & inhærere. Concretũ enim ex asseitate, siue infinita simplicitèr perfectione ex vna parte; & imperfectione inhærendi, ex alia; est monstruum horribile, & repugnans: ergo illa differentia est formalissimè substantia.

153 Dices conceptum metaphysicum differentiæ illius, præscindere à substantia, & accidenti. Contra: ergo posset contrahi illa differentia quantum est ex se, ad esse accidens, sicut animal præscissum, potest absque repugnantia contrahi ad esse brutum. Vndè perfectionibus Dei, qua talibus, non repugnaret identificari cum accidenti. V.g. perfectio illius, cum imperfectione istius, ne-

cessi-

cessitas cum contingentia, infinitudo cum limitatione, quæ absurdissima sunt.

154 Objicies. Sequitur, quod risibile sit formalissimè rationale; sed hoc est falsum: ergo, & illud. Maior probatur. Vel rationale, vt tale est compatibile, cum carentia risibilitatis, vel incompatibile. Non primum, quia risibilitas est proprietas, quarto modo, & natura nequit esse sine illa. Ergo secundum. Atqui incompatibilitas, cum carentia risibilitatis, solum cumpetit risibilitati: ergo si competit rationalitati vt tali, hæc erit formalissimè risibilitas.

155 Respondetur, negando maiorem. Ad prob. Resp. Rationalitatem, vt talem, metaphysicè loquendo non dicere incompatibilitatem immediatam, & formalem cum carentia risibilitatis, sicut eam dicunt necessitas, & contingentia. Vndè metaphysicè loquendo, non destrueretur rationalitas, eò quod deficeret risibilitas. Quod autem risibilitas sit proprietas quarto modo, probat esse incompatibiles physicè, rationalitatem, cum carentia risibilitatis, secùs metaphysicè immediatè. Sicut animali hominis vt animali, non repugnat metaphysicè esse brutum, benè verò realitèr, & physicè.

156 Infero, idem dicendum de rationali v.g. & alijs differentijs, quæ cum vt tales sint principium physicum operandi vitalitèr, non possunt, non esse, ens, & existens, & incompatibile, cum carentia entis immediatè.

157 In fine nota proprietates transcendentales entis Deo strictè conuenire. Est enim verus, bonus, & vnus. Verus; non solum veritate in cognoscendo, & dicendo (de quibus in materia de fide) sed veritate transcendentali, quæ vel est cognoscibilitas, vel conformitas sui, cum apparientia; sicut illud dicitur verum aurum à differentia auricalchi, quod in re, & exercitè, est illud, quod apparet. Inter omnia autem entia, nullum habet magis de veritate, & minùs de sola apparientia, quam Deus.

158 Item est bonus, quia bonitas, vel est amabilitas, vel est perfectio, siue cui nihil deest. Sicut ille est bonus

nius equs, cui nihil deest de equina perfectione; imò Deus est bonus per essentiam, eo quod perfectiones, recentes rē bonam, quæ creaturis conueniunt accidentalitèr, vel extraessentialitèr, Deo essentialitér conueniunt: vt existentia, & actualitas conueniens ei metaphysicé essentialitér, vtpoté perfectio de formalissima linea essendi, vel essentialitér, saltim essentialitate physica; v.g. esse omnipotentem, volentem, &c.

159 Tandem est vnus: repugnat enim Deo, vera multiplicitas. Hoc autem etiam habet per essentiam, à differentia nostri. Petri enim essentię non repugnat, quod detur alius Petrus, & quod perfectio alterius Petri desit huic; at Deo, vtpoté essentialitér omnem perfectionem possibilem habenti, repugnat essentiæ ipsius, reperiri in alio perfectionem, quæ (eo ipso) deesset isti; & sic de conceptu Dei est, esse vnicum, & solum, & singularem.

ARTICVLVS III.

AN IN DEO DETVR FORMALIS ESSENTIA, formaleque attributum.

160 Sermo est de essentia metaphysica. Est autem essentia metaphysica in quolibet ente, perfectio propria, & specialis talis entis, ex se perfectior alijs, & ita prima inter omnes speciales, vt sit cæterarum radix. Propter hæc, in homine, rationale est eius metaphysica essentia, quia est formalitas, non generica, sed specialis, & nobilior, radixque risibilitatis. Attributum autem strictè, est perfectio illa se habens, vt proprietas dimanans, & essentiam comitans, vt nuper dictum est.

161 Nota insuper, in essentia metaphysica, non esse idem omnino perfectionem, quæ est essentia, & perfectionem ipsam, vt est essentia: quia hoc secundum, supra primum addit conceptum radicis. Quæstio ergo est, loquendo de essentia metaphysica, an detur in Deo essentia formalis? Et sermo potest esse, vel de formali à parte rei, vel de formali per rationem cum fundamento. Loquendo de formali à parte rei,

162 Assero 1. In Deo, (& idem est in homine,& in quolibet alio ente) datur essentia metaphysica , quæ tamen adæquatè non est formalis. Patet, quia essentia metaphysica, dicit vtrumque conceptum, nempè perfectionis specialis,& nobilioris, & insuper conceptum radicis; atqui conceptus radicis , non est formalis : ergo essentia adæquaté sumpta,non est quid formale. Minor patet,quia radix formalis postulat distinctionem formalem à parte rei,quę non datur,inter essentiam,& proprietates.

163 Datur igitur in Deo formalitas illa siue formalis Deitas;non tamen,quę sit formalitér radix,sed virtualitér,quatenùs equiualet radici,geritque munera radicis. Insuper datur in Deo formalis vollitio , non tamen formalitér dimanans à Deitate,sed virtualitèr: ergo licet in Deo dentur formalitèr perfectiones illæ , quæ sunt essentia,& proprietates, non tamen dantur formalis essentia, & formales proprietates,sed virtuales.

164 Sic dragma argentea in valore,est 24.denarij, & est formalitér dragma argentea:non tamen est formalitér 24. denarij,sed virtualitér, & ęquiualentér ; quia habet formam, & rationem dragmæ argenteæ , non tamen formam , & rationem 24. denariorum , sed tantum eorum æquiualentiam. Vndé,in conceptu metaphysico essentiæ Dei ,duo reperiuntur,vnum de formali , aliud de virtuali, siue de munere. Deitas,est quid formale ; ratio autem radicis solum est quoddam munus.

165 Obijcies, in Deo Deitas, & in homine rationalitas distinguntur à ratione radicis, possuntque pręscindi ab illa: ergo ipsæ,non erunt essentia,sed conceptus radicis erit essentia.Nego consequentiam,quia hoc non obstante,non desinet esse essentia,quia ratio radicis superaddita illis , non est noua formalitas , sed nouum munus eiusdem formalitatis,constituens illam in ratione adæquata essentiæ : quę simul dicit formalitatem nobiliorem,& munus radicis.

166 Quæritur an detur essentia formalis per rationem? Similitèr quęri solet an detur in Deo actus primus

in-

intelligendi per rationem? Lij;per rationem:in vtraque quæstione, eodem modo sumitur, & de secunda infra. Nunc de prima quæstione sermo est.

167 Nota 1. ex nuper dictis in hoc Articulo: aliud esse formalitatem, quæ est essentia, & aliud exercitium, siue munus essentiæ, & radicis. Nota 2. Cum dicimus *essentiam per rationem*, an detur in Deo? non esse existimandum, quæstionem procedere de essentia, vel formalitate ficta, sed de vera, & reali. Verê enim datur in Deo Asseitas, necessitas existendi, verè Intellectio, Volitio, Omnipotentia, &c. Quid ergo indicat Iy, per rationem? Respondeo 1. Formalitates illas, nihil habent ex parte sua de opere rationis. Ex parte 2. nostra, virtuales illæ emanationes, concipiuntur, vt *formales*, vel instar *formalium*, saltim invltimatè, & tunc formalitas, quæ erat essentia virtualis, per rationem, & cognitioné, fit obiectiuè *formalis*. Illa ergo formalitas vera Dei, quam concipimus admodum radicis cum fundamento, vocatur essentia per rationem, sed invltimatam. Vltimatè enim benê noscimus, nec vnam esse radicem alteriùs, imò nec dari vnam, & aliam, licet admodum distinctarum concipiantur à nobis.

168 Quodnam autem est fundamentum à parte rei, vt vna formalitas concipiatur vt primaria, & vt radix aliarum? Respondetur. Quod (metaphysicè loquendo) vna sit ratio propter quam Deo conueniant aliæ. Non enim se habent disparatè. Est enim Deus volitiuus, quia est intellectiuus. Ex quibus sequitur tales perfectiones, in Deo existere verè, subiectiuè, & formalitêr; licet modus eas cum illis muneribus radicis, & emanationis, concipiendi, proueniat ab imperfectione nostri intellectus, sic invltimatè concipientis.

169 Assero ergo 2. In Deo datur formalitas, quæ sit essentia metaphysica in se, & fiat essētia formalis (prout distincta ab attributis formalibus) per rationē ratiocinatam, & cum fundamento in ipsa re. Probatur, quia in Deo, verè reperitur formalitas aliqua specialis, & nobilior,

lior, quam ratio nostra (fundamento sumpto à diuersitate prædicatorum, quæ sunt in Deo, & simùl à creaturis) concipiat, vt differentiam primariam Dei, radicemque aliorum attributorum; atqui tale munus radicis, & talis Primitas in vna perfectione respectu aliarum, non datur formalitèr à parte rei, nisi solum virtualitèr, vt constat ex prima assertione: ergo esse formalitèr habet per rationem.

170 Difficultas ergo sequens erit. Inter formalitates specificas, & proprias Dei, quæ verè, & subiectiuè sunt formalitèr in Deo, quænam sit ita præcipua, atque primaria, vt præbeat fundamentum intellectui nostro, ad hoc, vt de illa iudicet, quod gerit munus essentiæ, & aliæ gerant munus proprietatum. Siue de quanam, cum hoc fundamento, intellectus affirmet: hæc est essentia, & aliæ sunt proprietates.

QVÆSTIO V.

DE ESSENTIA DEI.

ARTICVLVS I.

QVÆNAM DEI PERFECTIO SIT ESSENTIA *metaphysica ipsius?*

171 De physica iam est dictũ n.142. consistere in toto esse absoluto diuino, non verò in relatiuo, quia in qualibet Persona est per identitatem tota essentia physica Deitatis, non autem est per identitatem, duplex alia persona. De metaphysica autem potest esse quæstio an stet formalissimè in ente à se, siue in Asseitate formali, vel radicali. An in infinitate, siue perfectione in genere substantiæ, vel in omni genere. An in ratione actus purissimi. Quælibet ex his habet Patronos satis celebres. Existimant enim Deum methaphysicè constituendum per perfectionem, quæ sit de linea essendi, quales sunt illæ, quas assignauimus. Alij autem ex aduerso assignant pro formali constitutiuo Dei, intellectionem actua-

actualem, per modum actus purissimi. Alij potentiam intellectiuam, per modum actus primi. Alij tandem aggregatum ex intellectione, & volitione actualibus.

172 Assero cum communiori sententia. Consistit essentia metaphysica Dei in actuali intellectione, per modũ actus purissimi à se. Purissimus vocatur, qui est intelligens actuale, & nec habet admixtionẽ actus primi, nec actus secundi. Probatur, quia gradus intelligendi à se, est primus, specialis, & proprius Dei, & præcipuus inter omnes, & est radix virtualis volitionis, & omnipotentiæ. Constituit autem essentiam Dei ille gradus, non solum vt dicit intellectionem, sed etiam vt dicit intelligentem, quia vt dicit vtrumque, constituit perfectionem intelligendi adæquatam, sicut rationale, vt dicit apprehẽsiuum, iudicatiuum, & discursiuum: ergo essentia metaphysica Dei stat in hoc.

173 Secundò, quia essentia Dei, debet esse de linea inter omnes perfectissima; intellectiua autem perfectior est, linea essendi, & linea volendi, cum hæc sit secundaria, illa verò communis etiam lapidibus. In ea autem, nihil datur perfectissimum, nisi actualitas intelligendi, completa, substantialis, & per se subsistens, sine vlla admixtione potentialitatis, continens tamen omnem perfectionem intelligentis, absque imperfectionibus potentiæ, operationis, actus primi, & secundi: ergo stat in ea.

174 Obijcies 1. Intellectio dicit imperfectionem operationis. Ergo essentia non stat in illa. Nego antecedens, de intellectione per modum actus purissimi. De quo infra, dum de simplicitate Dei.

175 Obijcies 2. Intellectio vt talis, & vt essentia, habent diuersa connotata, nempè obiectum, & attributa: ergo sunt diuersæ formalitates. Nego conseq. vt n. 165. sed vna, cum nouo munere virtuali, sicut rationale, vt differẽtia à rugibili. Sunt ergo diuersæ, solũ quoad conceptus nostros invltimatos, & per Analogiam ad res creatas. Et sic intelligendus est D. Thom. si alicubi distinguit essentiam à natura; esse, ab intelligere.

176 Obijcies 3. Intelligere, non est in Deo radix omnium attributorum: Ergo non est essentia. Antecedens probatur, quia Deus non ideo est infinitus, immensus, &c. quia est intelligens; sed potius, quia est ens à se, vel actus purus in essendo. Distinguo antecedens: non est omnium specialium, nego antecedens. V. g. volitionis, & omnipotentiæ: transcendentium, concedo, non esse per se. Sed, nec homo per rationale est radix veri, boni, visiui, auditiui, nisi per ens, & per animal. Sic Intelligens habet, vt sit infinitum per Asseitatem in se imbibitam.

177 Hoc argumentum satis vrget pro Asseitate, vel alio prædicato speciali de linea essendi; cum enim infinitas, & similia, sint specialissima Dei, debent non à prędicato communi, vt visiuum in homine, sed ab alio proprissimo Dei procedere, & istud videtur esse essentia. Propterea dixi essentiam complete, esse intellectionem, prout à se, Asseitate quasi primaria; non præcedente, sed inclusa transcędentèr in intellectione. Sic Intellectio erit radix omnium specialium Dei.

178 Si dicas hoc esse constituere essentiam ex duplici linea. Nego consequentiam, sed ex vna, cum suo transcendentèr incluso; sicut homo constituitur per rationale substantiale, & substantia in ipso inclusa. Lineam; autem specialem essendi, non facit ens commune omni lineæ, sed ens dicens formalem diuersitatem, (vt in non viuentibus) ab intellectiuo, sicut istud dicit eam à volitiuo.

179 Obijcies 4. Scientia Dei, est attributum: ergo non essentia. Antecedens est commune apud Thomistas, & Diu. Tho. qui etiā docet Beatitudinē consistere in operatione intellectuali, & sic est attributum. Resp. 1. Si in Deo detur aliqua scientia secundaria de creaturis, fortè sub hac ratione esse attributum. Sicut enim cóceptus essentialis omnipotentiæ stat solū in posse, ad quidquid nó repugnat; determinatio autem absoluta ad hoc, vel illud, se habet metaphysicè secundariò, sic scientia Dei essentialis, stat in intellectione de Deo, & aliæ formalitates

scien-

ſcientiæ, poſſunt ſe habere ſecundariò. Sed non dari attributum ſcientiæ fortè eſt probabilius.

180 Sed quid ad Diu. Thomam? Suppono, intelligere in homine, inuoluere potentiam, ſpeciem, vel potius obiectum loco ſpeciei, & intellectionem ipſam. Pono 2. Intelligere creatum attenta ſola perfectione intelligētis, non egere virtute intellectiua, intellectione, influxu obiecti. Nequit tamen eſſe ſine illis, quia eſt polymixtum, & ex fruſtulis, & non ſimplex (vulgo, *no de vna pieça*) ob creaturæ imperfectionē. Sicut currus nequit ſine ſtrepitu moueri, licet illo non egeat eius motus vt talis.

181 Pono 3. In ipſo intelligere Diuino, vt ſic, imbibi illa omnia eminentèr, & ſecundum quod dicunt de bono, non ſecundum quod dicunt de malo, & imperfecto. Vndè Deus tā eſt ſine illis, actualiſsimè intelligens, ac ſi haberet, virtutis, & actus ſecundi, & influxus obiectiui rationes differentiales. Hinc fit, quod intellectio ſub ratione talis, non dimanet, nec ſit attributum, ſed eſſentia. Si autē D. Thom. oppoſitum indicat, loquitur de attributo quoad nos, non quoad ſe, ſiue de intellectione in conceptu inultimato, per modum operationis, ſumpto fundamento à ſimilitudine cum creaturis; non verò fundamento ſumpto ab ipſo Deo.

182 Dixi imbibi ſpeciem impreſſam, ſiue obiectum. Illud enim, habet de ſuo, influxum in cognitionem, qui in Deo non eſt per modum producentis, vt in nobis, ſed ſolum *ſpecificantis, & terminantis*, in genere cauſæ formalis. Sicut autem influxus formalis non eſt verus influxus, ita nec obiectum verè influit, ſed purè ſpecificat, ſublatis influxus imperfectionibus.

ARTICVLVS II.
ARGVMENTA ALIA.

183 OBijcies 5. Obiectum primarium intellectionis, eſt eſſentia Diuina, quæ eſt primum intelligibile, & primum volibile; atqui intellectio non habet hoc, ſed intercedit virtualis diſtinctio inter obie-

ctum,& intellectionem : ergo in intellectione , non stat essentia. Minor probatur, quia vt intellectio: & vt obiectum, æquiualet rebus creatis distinctis, vt talibus. Sicut animal,& rationale, Angelo,& bruto,& propterea distinguuntur virtualitèr. Confirmatur,quia vt obiectum, & vt intellectio,conueniunt cum diuersis, habentque diuersas diffinitiones.Ergo distinguuntur virtualitér.

184 Resp. Concessa maiori, nego minorem , nempè habere distinctionem virtualem. Ratio est ; quia licet æquiualeát diuersis,& distinctis,nó tamē distinctis ex sua linea,& ratione formali,sed distinctis ex propria,& creata imperfectione:quod non sufficit ad distinctionem virtualem. Etenim,obiectum in creatis distingui à cognitione in quam influit,& intellectum à cognitione,quam causat,non prouenit à diuersis lineis , & motiuis specificantibus (sicut in volitione, & intellectione; sensatione, & discursu) cum habeant idem motiuum , & specificatiuum formale,nempé veritas, sed ex imperfectione creaturæ, quæ est, tantæ simplicitatis incapax. Vndé æquiualentia Dei ad has , non affert distinctionem virtualem in ipso.

185 Ad confirmationem,fateor,habere diuersas definitiones,sed præscisiuæ,siue diuersas tamquam conceptum confusum,& clarum.Sicut homo,& ens.Non verò diuersas diuersitate lineæ positiua.

186 Obijcies 6. Essentia Dei,debet esse in omni genere perfecta per essentiam; sed intellectio , est solum in suo: ergo non est essentia. Maior probatur. Tùm,quia ita habent communitèr Patres , & Scholastici. Tùm , quia gradus intellectiuus , non est perfectus , nisi vt includit omnes formalitates suæ lineæ. Ergo nec essentia Dei nisi vt claudit omnem perfectionem , & esse Dei.

187 Resp. Aliud esse essentiam Dei propriè , aliud impropriè. Prima partitur in physicam (de qua n.142.)& in metaphysicam; quæ dicit perfectionem Dei primariam, radicem attributorum. Essentia impropriè , dicit totam entitatem Dei , siue totum esse realitèr diuinum, sed latè

est

est, Esse, Substãtia, & Essentia Dei: c'auditque absoluta, & relatiua. Sermo hic, est de metaphysica. Nego, ergo mai. nam sufficit, si sit perfecta in suo genere formalitèr, & in omni alio radicalitèr, & identicè. Attributa enim, cum essentiam modificent, ponẽdo eam in alijs lineis diuersis, debent superponi in ipsa essentia. Patres loquuntur de essentia impropria. Ad illud de intellectiuo est disparitas, quia omnis intelligendi formalitas est de eadem linea, secus omnis perfectio Dei.

188 Objicies 7. Intellectio est essentia, atqui peccata etiam, quoad malitiam continentur in intellectione: Ergo, & in essentia: Ergo Deus erit eorum virtus, & causa. Concessa maiori, nego minorem. Repræsentantur enim; sed non continentur, nec continentia formali, nec eminentiali, & sic nulla. Vel distinguo minorem. Continetur, vt repræsentatum in repræsentante, concedo: Vt effectus in causa, vel idea, nego minorem, & conseq.

189 Objicies tandem. Intellectio, est constitutiuum essentiæ diuinæ: ergo differt ab illa. Prob. conseq. quia constitutiuum, & constitutum, cum sint correlatiua, distingui debent. Contrà; quia idem dicere posses de animali rationali, respectu hominis. Resp. tamen, neg. conseq. Ad probationem, resp. Esse relatiua, non secundum esse, sed secundum dici, & invltimatè, & ex imperfectione rationis ratiocinantis, sine fundamento in ipsa re: Imò nec in analogia à creaturis.

190 Infero 1. Essentiam Dei, non stare in infinitate, licet hæc sit propria Dei. Tùm, quia hæc, est transcendens. Tùm, quia non dicit esse Dei, sed modum essendi, nempè sine limite. Dixi esse modum, non vt excludam ab essentiali, & transcendenti, & incluso, sed solum à ratione per se primaria, & speciali.

191 Idem dico de Necessitate essendi, Asseitate, &c. quia vel sumitur pro radicali, vel pro formali? Si primum, non est de gradu formalissimo perfectiori viuentis, & intelligentis. Si de formali, est transcendens. Tùm, quia natura Diuina, est participabilis aliquo modo à creatura,

tura,

tura, secùs prædicata transcēdētia, licet autē ista sint priora gradu intellectiuo. non sunt priora per modū radicis, sed in subsistendi consequentia, quia vniuersaliora.

ARTICVLVS III.

DE SVBSISTENTIA QVID SIT.

192 Explicata essentia metaphysica Deitatis, videndum est, an habeat complementum proprium absolutum, distinctum à relatiuis? Nota 1. Subsistentiam complere substantiam; sicut inhærentia accidens. Vndè stat illa, in perseitate formali per modū actus secundi. Hinc, naturæ vt sic, sufficit, si de se sit radicalitér perseitata. & à subsistentia formalitér. Nota 2. Perseitari, & subsistere, esse sub suis sistere, idest, esse positiué independens à supposito alieno.

193 Non à proprio. Tùm, quia humanitas in nobis pendet à sua suppositalitate, per quam compleatur, & sustentetur. Tùm, quia anima separata, licet subsistat in actu 2. est communicabilis, & nata, dependere ab homine in concreto, & tamen subsistit in illo. Item, si in Deo detur subsistentia absoluta, adhuc manet communicabilis, & terminabilis à tribus suppositis, proprijs tamen. Vndè eius subsistentia, & perseitas naturæ Diuinæ propria, non stabit in incommunicabilitate, aut terminatione vltimata, sed in sola independentia formali actuali ab alieno supposito, per quam redditur plene perseitata. Hinc subsistentia vt sic, stat in positiua independentia formali à supposito alieno.

Nec opponas, quod humanitas, si esset absque omni subsistentia, adhuc esset formalitèr, & exercitè independens à supposito alieno, nec tamen esset subsistens. Resp. enim, tunc non esse independentem physicè formalitèr positiué, nec positiué incompatibilem cum alieno, sed solum esset independens radicalitér à se; à carentia alieni, logicè, & negatiuè.

194. Di-

194 Dices 2. esse cōtra rationē subsistētiæ, dependentiā à proprio supposito. Probatur. Dum ens, per se creatum, excludit dependentiam à subiecto; tam proprium, quam alienum excludit: ergo subsistentia, à proprio supposito, & non solum ab alieno. Resp. Nego consq. quia subsistere, est in suis sistere (suis per identitatem, vel productionem.) Sistens autem in supposito proprio, verè sistit in suis. Quod autem pendet à subiecto proprio, vel alieno, nō est verè independēs à subiecto, vt postulat creatio, sed dependens, vt dependet verè accidens, & ideo creatio excludit proprium, & alienum, subsistentia verò solum alienum.

195 Hæc ergo independentia, siue positiua perseitas formalis, diuiditur in incommunicabilem, & communicabilem. Illa est suppositalitas, estque præcipua subsistentiæ species; hæc verò non, vt dictum est.

196 Nota 3. Circa incommunicabilem, siue personalem: non habere de suo, quod reddat incommunicabilem naturam ipsam. Deitas enim, posita Paternitate, adhuc est communicabilis filio. solum ergo concretum personæ, est incommunicabile. Dices: Humanitas personata, eo ipso est incommunicabilis: ergo à personalitate. Concesso antecedenti, nego consequentiam, sed à personalitate, supposita naturæ infœcunditate substantiali ad intra, quæ non supponitur in Deo. Ideò Deus manet communicabilis.

197 Dices 2. Subsistentia (saltìm naturæ totalis) est vltimus terminus, & complementum naturæ: ergo reddit naturam vltimo terminatam. Resp. esse complementum, & terminum, de abstracto, reddentem concretum in actu 2. idest, de humanitate, hominem, de Deitate, Deum. Sumitur enim concretum, per modum habentis naturam. Item vltimum, non quoad efficatiā, & excludendo vlteriorem: sed vltimum quoad sufficientiam, idest, non indigentem compleri per aliud in linea illa concreti. V. g. Dei: Si autem vlteriùs compleatur, non erit ex indigentia in illa linea, sed vel in alia, vt anima rationalis per materiam, vel ex fœcunditate, vt in Deo.

AKTI-

ARTICVLVS IV.

AN DETVR SVBSISTENTIA ABSOLVTA in Deo.

198 PRęter tres relatiuas admittunt plures ex Thomistis, & non Thomistis in Deitate, subsistentiam communem tribus personis per quam Deitas reddatur in concreto Deus, siue per modum habentis Deitatem. Oppositum tenent Vazquez, & alij plures.

199 Probant isti. Subsistentia de se est terminus, & complementũ naturæ: sed Deitas nõ est completa, nec vltimo terminata per se, ante personalitates: ergo nec subsistens. Minor patet, quia adhuc manet terminabilis, & complebilis per tres personalitates. Resp. ad maiorem, esse complementum in linea perseitatis, & independentiæ ab alienis, non verò in linea incommunicabilitatis ad propria.

200 Probant 2. Subsistentia naturę perfectę, & totalis, eo ipso est incommunicabilis, & est personalitas; atqui illa subsistentia esset naturæ totalis, & completæ in linea naturę, v.g. Deitatis: ergo redderet Deitatem incommunicabilem, & personam; essetque in Deo contra fidem, personalitas quadruplex. Maior patet, quia non alia ratione subsistentia animæ separatę non est personalitas, sicut humanitatis, nisi quia hæc est naturæ totalis, illa verò partialis. Resp. esse incommunicabilem alienis, secùs proprijs, sicut humanitas communicatur, & pendet à suppositalitate propria. Ad prob. neg. mai. sed quia humanitas est infœcunda ad intra.

201 Tertiò, quia ratio subsistẽtiæ, non stat in independentia positiua à suppositalitate, nec propria, nec aliena: ergo stat in ratione complementi, & vltimi termini, & incommunicabilitatis. Antecedens probatur: non à propria, vt probatum est; non ab aliena, quia humanitas subsistit per subsistentiam Verbi, & tamen pendet ab illo, vt sustentaculo alieno. Stat ergo ista in ratione vltimi ter-

mini

mini reddentis incommunicabile. Resp. negando antecedens. Ad probationẽ respondeo stare, in independentia ab alieno. Humanitas autem per subsistentiam Verbi completur, & terminatur vltimo, non tamen subsistit in rigore huius nominis, quia stat in alienis.

202 Obijcies 4. Dantur subsistentiæ personales: ergo superfluit absoluta. Nego consequentiam, quia ista dantur ad perfectionem ipsius essentiæ. Illę verò ad fœcunditatem, & incomunicabilitatem vnius personæ ad aliã. Vndè nec istæ erunt superfluæ. Deus ergo in concreto, stat in seipso, & in sua subsistentia absoluta: in Patre autem, stat ex superabundantia se extendendi ad nouam lineã relatiuam, & fœcunditatis. Sicut Verbum producitur in Deo necessario, non tamen ex necessitate intelligendi, sed ex superabundantia, & fœcunditate.

203 Obijcies 5. In humanis, solum principium, *quod* generandi filium est subsistens, nempè Pater non verò *quo*, nempè humanitas. Ergo, & in Diuinis. Resp. nego consequentiam, quia in creatis principium *quo*, nempè humanitas, non debet esse ex se actus purissimus, & completissimus in linea substantiæ, sicut in diuinis. Resp. æ. In creatis solum dari vnum modum essendi complete: incommunicabilitèr, & personalitèr. In diuinis autem duplex nempè, communicationis proptèr fœcunditatem: & perseitatis, siue indepẽdentię à supposito alieno, proptèr perfectionem.

204 Obijcies 6. Ergo Deus cũ personis, facit ens per accidens, quia Deus vt talis, non ordinatur, ex se, ad componendum virtualitèr cum illis. Nego consequentiam, quia ordinatur ex fœcunditate, licet non ex necessitate, vt immanentèr per purissimam idẽtitatem habeat illas.

205 Obijcies vltimo, Concilia, & Patres, pro eodem sumentes personalitatem, & hypostasim, quæ hypostasis est idẽ, ac subsistẽtia; & respectu omnis naturæ erit personalitas. Resp. Sumi sic sæpissimè, sed non sempèr. Potest enim sufficientèr sumi pro complemento naturæ in ratione independentis ab alieno supposito.

206 Asse-

206 Assero ergo talem subsistentiam admittendam in Deo. Habet pro se Diu. Thom. & aliás auctoritates videndas apud Auctores, præcipuè in materia de Trinitate. Ratione autem prob. quia Deitas ex seipsa, debet esse perfectissima in genere entis, & substantiæ, antecedenter ad relationes: Ergo per seipsam formalissimè debet esse actualissima, & formalissimè perseitata, & completa positiuè, & actualitèr. In quo differt ab humanitate, quæ cum non sit actus purus, & per se perfectus, potest à se esse radicalitêr perseitata; & formalitèr ab aliquo superaddito, nempè à subsistentia distincta. Secùs Deitas. Confirmatur, quia Deus vt Deus, est communis tribus Personis, & vt actus purissimus, & perfectissimus: atqui vt sic, est concretum, & subsistens: Ergo per seipsum, & in genere absoluto dicit subsistentiam, modo iam explicato.

207 Infero, subsistentiam transcendere omnia Dei attributa, quia si quodlibet formalissimè imbibit substantiam, ex num. 152. vtique, perfectissimam in genere substantiæ, ac per consequens concretam, completam, & positiuè independentem, & oppositam alieno supposito. Et idem dicendum de existentia; quia quodvis attributum, vt tale debet esse perfectum in genere entis, & sic actualissimum, & incompatibile immediatê, cum carentia existendi.

ARTICVLVS V.

DE EXISTENTIA NECESSARIA DEI, an sit de essentia.

208 NOn est idem esse essentiã, & esse de essentia, nam ad hoc sufficit imbibi in illa, vt in homine animal, & substantia. Deo conuenit prout diuerso à creaturis, existendi necessitas, & essentialis ad existendum determinatio. Creatura enim ita existit, vt eius existentia sit contingens, & defectibilis, & possit absque existentia actuali metaphysicè manere, secùs Deus. Dixi substantiã, & subsistẽtiã esse de essentia. Nunc de existentia.

209 Asse-

209 Assero existentiam esse de conceptu metaphysico, & formalissimo Dei. Ita Diuus Thomas sæpissimè, & communitèr Theologi. Prob. quia essentia Dei non cōcipitur benè, & clarè penetratiuè, nisi concipiatur, vt quidditas perfecta in linea essendi; atqui actualitas, & existentia est perfectio proprijssima (imò, & maior) lineæ essendi: ergo sine illa, non concipitur essentia Dei, sicut non concipitur perfecta linea intelligendi, per solum posse intelligere, sed per actu intelligere, quia hoc dat vltimam lineæ perfectionem, & actualitatem.

210 Respondebis, sufficere si concipiantur prædicata diuina cum non repugnantia existendi, v.g. intelligere simplicitèr infinitum, vt radix existentiæ; etenim eo ipso concipitur Deus diuersus à creaturis secundum conceptum communem, & differentialem. Et confirmatur quia Deus per *necessarium*, sufficientèr differt à creaturis vtpotè contingentibus. Necessitas autem, non est existentia; sed potius concipitur, vt alligatio, & determinatio ad illam, ac per consequens, se habens quasi *vialitèr* ad illam.

211 Contra; quia aliud est sumere Deum, vt differt à creaturis, aliud vt plenè, & perfectè differt. Ad differendum, fortè sufficit determinatio ad existendum, sicut, & homo per iudicatiuum differt à brutis, secùs ad differendum per differentiam plenam, & perfectam in sua linea. Intelligere ergo infinitum vt tale, debet concipi vt ens, non quidem imperfectum, nec præscindens à perfecto, & imperfecto: sed vt summè perfectum. Ratio autem non repugnantiæ, cum præscindat ab actualitate, non est esse quoddam perfectum, sicut alius mundus non habet esse perfectum: ergo Deitas vt talis, dicit essentialitèr, & constitutiuè actualitatem, & existentiam, vtpotè perfectionem complentem in actu 2. lineam essendi.

212 Sequitur 1. Quod sicut essentia hominis, est animal rationale imbibens in sua essentia, defectibile; ita essentia Dei est esse diuinum, vt actuale, & vt existens. Vndè ad existentiam, Deus non se habet vialitèr, & quā-

do

do explicatur per non repugnantiam, vel determinationem ad existentiam, est explicatio invltimata.

213 Sequitur 2. In Deo, Esse diuinum, & Existere, non esse duos conceptus cum fundamento in ipso, sed duos ex parte nostra tanquam implicitum, & explicitum. Nec obest, quod disputamus de Deo: an est, & quid est: sumitur enim à ratione ratiocinante, & ad summum ab analogia à creaturis, & sic intelligendus est Diuus Thomas, si alicubi ait essentiam esse priorem existentia in Deo. Quando dicimus, *cum fundamento ab ipsa re*; nota illud valdé, quia supponit in obiecto diuersas lineas, secùs, quando *ex sola Analogia ad creaturas*.

214 Sequitur 3. Non propterea voluntatem, & omnipotentiam intrare constitutiuam essentiæ Dei, sed consecutiuè, licet sint perfectiones Dei de linea essendi. Etenim existentia ad intelligere, se habet de linea essendi inclusa, & pertinens ad intelligere intensiuè transcendentèr; at perfectiones voluntatis, & omnipotentiæ, vt tales, pertinent ad intelligere, extensiuè, idest provt ad aliàs lineas extendendum. Vndè intellectio diuina est incompatibilis immediatè metaphysicè cum carentia existendi; cum carentia autem volendi, solum physicè: vel si metaphysicè, solum mediatè, attento conceptu metaphysico intelligentis simplicitèr infinitì.

215 Sequitur tandem, dum concipitur, *Deitas existens* per modum concreti, concipi sic invltimatè. Similitèr cum concipitur *quo*, & *quod*, siue existentia, & existens, & Deus vt subiectum, & existentia vt forma. Et tandem Deum, cum Patres dicunt, sibi esse rationem existendi, non est quia sit ratio per modum radicis, sed quia est illi essentiale existere, & ad summum est quasi ratio formalis, sicut rationale respectu hominis.

†

DIS-

DISTINCTIO IV.

DE ATTRIBVTIS SPECIALIBUS Dei.

QVÆSTIO VI.

DE SIMPLICITATE DEI.

ARTICVLVS I.

IN QVO STET SIMPLICITAS DEI?

216 Simplicitas Dei est perfectio illa, per quam excludit omnem compositionem realem intrinsecam ex partibus intra se, & omnem componibilitatem, & potentialitatem ad compositionem intrinsecam sui, cum alio. Per simplicitatem ergo, non excluditur pluralitas (nam hæc excluditur per vnitatem) sed componibilitas, & compositio.

217 Certum est Deum esse simplicissimum, & purissimum actum. Est enim totus actus, siue totus actualitas, & nullam dicit mixturam potentialitatis, & inclinationis ad componendum cum alio. Triplicem actum agnouit Philosophia, nempè actum primum, secundum, & actum purissimum immunem à ratione primi, & à ratione secundi. Isti duo non sunt totalitèr actus, seù quilibet dicit mixturam, vel potentiæ, (vt eam dicit actus primus,) vel potentialitatis; hanc dicit actus secundus, v. g. intellectio actualis creata, quę cum de se sit forma, dicit componibilitatem, potentialitatem, & ordinationem ad componendum cum intellectu.

218 Solus ergo Deus est purissimus actus, absque

vlla admixtione potentialitatis, nec intra se, nec cum alio: quia non ordinatur ad componendum. Est ergo, vt dictum est, totus, & totalitèr actus, quia in intelligendo est actualissimus, similitèr in volendo, in existendo, &c. Vndè eius intelligere actuale differt à nostro actuali, quia nostrũ talitér est actus, vt mixturam imbibat potentiæ, ex parte intellectus; & potentialitatis, ex parte intellectionis. Componitur ergo, ex frustulis cum iuncturis. Deus sine illis quia est totus simplex (*de vna pieça.*) Est suũ intelligere, suum esse, suum existere, suum subsistere, &c. Vndè nec est perse actus primus respectu suarum perfectionum, nec item est secundus, quia isti mutuo dicunt, ordinem ad compositionem, cui opponitur diuina simplicitas. Vid. n. 180.

219 Ratio à priori huius repugnantiæ est. Primò, Asseitas Dei. Vbi enim realis partium distinctio reperitur, ad hoc vt istæ coniungantur ad componendum vnum, debet pro priori præsuponi causa, vel principium, quod coniungat actiuè illa; atqui hoc repugnat Deo cum sit ens à se: ergo, & cõpositio. Secunda ratio, est summa Dei perfectio. Huic enim repugnat compositio. Probatur. Compositio fit ex incompletis, & imperfectis, & partibus, quarum vni deficit, id quod supplendum est per vnionem cum alia; atqui summæ perfectioni repugnat similes imperfectiones habere intra se inuisceratas: ergo repugnat illi compositio.

220 Denique primitati Dei, qua est primum ens, repugnat compositio. In compositis enim, vna pars pręsupponi debet ad aliam, vel saltim ad totum, vel prioritate naturę, vel originis, vel rationis cum fundamento: ergo cum Deus sit istud totum, aliquid erit à parte rei prius, vel quod cum fundamento concipiatur, vt prius ipso Deo. Conf. quia Deus per formalitates indistinctas, potest esse ens à se, intelligens, volens, potens, multò perfectius, quam homo sit animal rationale, & risibile.

221 Obijcies 1. In Deo præter vnitatem, per quam Deus est vnus, indiuisus; & incompositus, dantur tres Per-

sonæ,

sonæ, quæ faciunt vnum: Christus enim dixit: *Ego, & Pater vnum sumus*: ergo, & datur compositio à parte rei. Concesso antecedenti, nego consequentiam, quia pluralitas, non excluditur per simplicitatem, sed compositio, vt dixi in initio. Personæ autem non faciunt compositionem, nec cum natura, quia cum ipsa non vniuntur, sed identificantur: nec inter se, quia inter se non dicunt vnionem, sed oppositionem: sunt autem vnum in natura, sed non vnitate compositionis, sed vnitate identitatis.

222 Objicies 2. Persona Christi est composita ex Humanitate, & Verbo: ergo non solum illa, sed etiam Verbum dicit componibilitatem: ergo, vel ista non excluditur per simplicitatem, vel Deus non est omninò simplex. Concesso antecedenti, distinguo consequens. Verbum dicit componibilitem strictam, & propriam, nego, quia ista est propria formæ physicæ, & entis incompleti, & importantis potentialitatem. Latam, & impropriam, concedo. Hæc enim cum sit pura terminabilitas, per non repugnantiam complendi, & perficiendi aliud, nempè humanitatem, non est componibilitas propria, sed solum illa, quæ importat incompletionem, & capacitatem, vt per talem compositionem perficiatur, aut mutetur ipsa.

ARTICVLVS II.

QVAM COMPOSITIONEM EXCLVDAT *simplicitas Dei?*

223 TRiplex est compositio. Realis: formalis: virtualis, & rationis. Prima, est ex partibus realitèr distinctis. Hæc, vel est physica substantialis per modum naturæ, v. gratia ex materia, & forma, vel physica accidentalis, vt ex subiecto, & accidenti; vel physica integralis, vt in corpore. Vel metaphysica, ex essentia, & existentia: vel ex natura, & suppositalitate. Secunda, nempè virtualis, ex partibus formalitèr identificatis, tamen se habentibus ad denominandum, quasi si essent realitèr di-

ſtinctæ. Tertia rationis, quæ eſt ex partibus ſola ratione diſtinctis, vt animal, & rationale.

224 Aſſero 1. Simplicitas Dei excludit omnem compoſitionem realem formalem, vt probatum eſt articulo præcedenti. Dices, licet in Deo non ſit realis potentia actiua ad intellectionem eſſentialem, eſt ad liberam: ergo iam Deus dicit componibilitatem realem. Diſtinguo antecedens: eſt potentia formalis, nego: virtualis, concedo, quia non eſt tanquam ad nouum exercitium formale diſtinctum, ſed tanquam ad nouum munus per identitatem formalem conueniens, & non per formalem compoſitionem aduenicns.

225 Aſſero 2. Non excludit virtualem, & æquiualentem reali, ſublatis imperfectionibus. Probatur, quia Deus ita eſt, & denominatur volens per volitionem eſſentialem ſuam, imò, & multò meliùs, & ſtrictiùs, quam homo per ſuam, & hoc, abſque imperfectionibus incompletionis, & potentialitatis.

226 Probatur 2. Quia tanta eſt diuina vnitas, quanta ſit diuina ſimplicitas; atqui in illo, in quo Deus eſt vnus, admittit virtualem multiplicitatem. (Hæc enim reperitur inter Eſſentiam, & Attributa:) Ergo in eo in quo eſt ſimplex, admittet virtualem compoſitionem. Ratio autem à priori eſt; quia illa, quę manendo plura in ſe, faciunt vnum, & ordinantur ad faciendum vnum, faciunt compoſitum. Atqui, Deitas, & Attributa, manendo virtualitèr diſtincta, proptèr diuerſas lineas faciunt vnum, ſic: *Deitas eſt Volens*: & ordinātur cum prioritate, & poſterioritate virtuali, ad faciendum vnum volens: ergo, & faciunt compoſitum virtuale.

227 Hæc intellige de compoſitione eminentèr, & ſublatis imperfectionibus potentiæ, & potentialitatis, & manente ſola, & pura identitate, duas lineas identificante, vt vna per aliam denominetur, quaſi ſi diſtinctæ fuiſſent. Hoc pacto etiam poteſt admitti in Deo, per analogiam ad creaturas, compoſitio à ratione inultimata, cōcipiente virtualia, ad modū formaliū, vt dictū eſt n. 167.

228 Quia

228 Quia autem hæc virtualis compositio eminentialis, fundatur in multiplicitate virtuali, fundamentum præbente intellectui ad distinctionem rationis ratiocinatę, placet ex nostro sapientissimo Patre Lao, tom. 1. in 1. part. à n. 587. aduertere. Primò, hanc virtualitatem, & fundamentum distinctionis rationis sumi, partim ab ipso Deo, partim à creaturis. A Deo, quia ipse habet in se verè, & subiectiuè formalitates illas diuersarum linearum; à creaturis verò, quia diuersitas, & æquiualentia sumitur connotatiuè penes creaturas, quibus æquiualent.

229 Secūdò aduerte, distinctionē rationis in Deo, quę sequitur ad realem virtualem, supponere distinctionem realem in creaturis, sex modis. (Verba ferè transcribo.) Primò, quando distinguuntur perfectiones *actu realitèr* in creaturis, sic distinguūtur virtualitêr in Deo, vt Sapiētia, & Bonitas, & alia huiusmodi ex propria linea, & obiectis. Secūdò, si saltìm sint distinguibiles in creaturis. Proptèr hoc fuit in Deo ab æterno fundamentū distinguibilitatis inter has suas perfectiones. Tertiò, si creaturæ, non distinctę, nec distinguibiles realitér, terminentur ad actu distinctum, vel distinguibile. Sic proptèr terminos realitêr distinctos, distinguuntur ratione in Deo idea hominis, & Angeli. Quartò, si terminent distinctum, vel distinguibile, vt Verum, & Bonum, quia terminant in creaturis operationes, & potentias distinctas, nempè intellectiones, & volitiones.

230 Quintò, si abstrahantur à pluribus actu distinctis, vel distinguibilibus. Sic se habent ratio entis abstracta à differentijs distinctis, ratio substantiæ, ratio spiritualitatis. Sextò, si remoueant, vel alio modò connotent aliquid actu distinctum, vel distinguibile. Proptér hoc distinguuntur ratione, Immensitas, & Æternitas, connotantes; vna tempus, & alia locū. Itē Attributa negatiua, remouentia diuersas imperfectiones. V.g. Infinitas, terminū: independentia, dependentiā. Hos modos sufficiat proposuisse pro distinctione, vel cōpositione virtualibus.

ARTICVLVS III.

DE COMPOSITIONE EX GENERE, ET *differentia.*

231 Difficilius est an admittat compositionem ex genere, & differentia. Communitèr negant Thomistæ. Ratio est primò, quia genus dicit potentialitatem. Secundò, quia genus est quid commune, perfectibile, & determinabile per differentiam, & omnia argumenta facta contra compositionem realem applicari possunt compositioni ex genere, & differentia.

232 Noto 1. Formalitatem communem Deo, & creaturis posse sumi, vel fundamentalitèr, pro formalitate, quæ sit in Deo verè, & subiectiuè, vel pro illa, vt subest præcisioni, & secundæ intentioni constituenti illam extrinsecè in ratione totius potentialis. Primò modò, in Deo datur genus, & differentia fundamentales, idest formalitates illæ. Secundo modo, non sunt in Deo verè, sed id habent prout subsunt cognitioni intellectus nostri.

233 Noto 2. Distinctionem rationis esse duplicem. Vna est purè subiectiua, alia est obiectiua. Ista est, quæ ab intellectu noscitur in ipso obiecto, vt quando noscit Deitatem, vt radicem, vt distinctam noscit. Illa est purè in intellectu, vt subiecto; & est præcisiua, vt quando intellectus, formando conceptus inadæquatos, præscindit, siue noscit vnum, quin noscat aliud. Tunc facit distinctionem rationis exercitè, non verò signatè, sicut quando facit obiectiuam.

234 Assero compositionem ex genere, & differentia non repugnare Deo sumpto per conceptus inadæquatos. Dixi inadæquatos, quia adæquatus noscit Deum, vt diuersum à creaturis, & sic non erit genericus, nec ad modum generis, nec poterit concipi modò potentialitatem faciēte. Assertio probatur, quia Deus, & verè est substantia, & verè à se. & quatenùs præcisè substantia est, conuenit

uenit generice cum nobis; quatenus à se, differt à nobis: ergo non repugnat simplicitati Dei compositio ex genere, & differentia, sicut nec simplicitati naturæ Angelicæ.

235 Ad opposita respondetur, distinguo antecedens, formalitas generica dicit potentialitatem obiectiuã, siue in ipso obiecto, nego; subiectiuam, & quæ sumatur à solo actu præscindente, concedo: Hoc tamen, non derogat obiectis in suo esse, quod habent in se; non autem est inconueniens, vt obiectum per vnam cognitionem imperfectè notum, vt sic cognitum dicat potentiam, vt meliùs, & perfectius cognoscatur per aliũ conceptum differentialem.

236 Hæc autem potentialitas, aut perfectibilitas, non est obiecti cogniti, sed potius cognoscentis, nec est intrinseca Deo, & pertinens ad ipsum in se, sed extrinseca & pertinens ad ipsum, ex solo modo nostro cognoscendi confusso, cum facultate contrahendi per clarum.

237 Vndè, si replices: prædicatum potentiale, non est prædicatum Diuinum, sed creatum; atqui substantia generica, eo ipso est potentialis: ergo non est substantia Dei. Distinguo enim maiorem: potentiale ex parte sua, concedo non esse Dei. Potentiale solum extrinsecè, & quoad modum extrinsecum attingendi, nego; quia istud ex parte Dei, solum petit veram substantiam capacem terminandi cognitionem præcisiuam, & aliam contractiuam. Nec animal hominis, vt sit genus, petit aliam potentialitatem, quam istam: nempè extrinsecam, & à præcisione prouenientem.

238 Ex quibus sequitur potentialitatem, & perfectibilitatem, generis propriam, non esse receptiuam, siue ad actum, aut perfectionem quam recipiat; sed potiùs terminatiuam, & ad cognitionem, quam extrinsecè terminet, tanquam magis exprimentem formalitatem illam differentiæ, cum qua quoad se, & intrinsecè iam erat per purissimam identitatem identificata, actuata, & perfecta, quin de formalitate intrinseca aliquid illi aduenia obiectiué, per quod actueretur, aut perficiatur.

239 Adde insuper, quod licet in se, sit purê terminatiua extrinsecè, intellectus noster in modo cognoscêdi, potest illi admiscere quasdam imperfectiones positiuæ potentialitatis, siue partis materialis, & formalis, obiectiuas invltimatè, quæ tamen non derogant formalitati illi genericæ in se ipsa. Concipit enim in obiecto illas rationes, invltimatè solum; sciendo vltimatè. non reperiri in obiecto. Quod si aliquando intellectus noscit illa in ipso obiecto, etiam vltimaté, id non prouenit ex exigentia huius compositionis, sed ex imperfectione intellectus. Vid. sup. qu. 3. art. 4.

240 Nota tandem 2. Non officere huic extrinsecæ compositioni, quod differentia Dei imbibat rationes genericas, sicut in sententia plurium rugibile vt tale, imbibit viuens, substantiam, & tamen contrahit genus, vt eius differentia propria.

QVÆSTIO VII.

DE BONITATE, ET PERFECTIONE DEI.

ARTICVLVS I.

DE DEO, VT BONO.

241 BOnum dupliciter dicitur; absolutè, & respectiuè. Absolutè, idem est, ac bonum in se. Respectiuè est bonum alteri. Deum esse bonum alteri, dubitari non potest, quia est fons dans omnibus esse, & pluribus specialissima beneficia, vt iusto gratiam, & gloriam; peccatori veniam, &c. Insuper est diffusiuum sui, quia se in suis creaturis diffundit. 1. Quasi formalitèr, & exemplaritèr, vt causa exemplaris, & idea obiectiua, quam, eiusque speciales perfectiones, creaturæ participant. 2. Efficientèr, tales participationes producendo. 3. Finalitèr, animas ad seipsum, vt ad centrum attrahendo, eisque vltimam quietem, quantum est ex se disponendo. Hoc modo est bonus alteri, siue respectiuè.

242 Est etiam bonus in se; quia illud est in se bonum, cui de perfectione debita nihil deficit, sicut ille est bonus equus, cui nihil deficit de substantia, proprietatibus, integritate partium, accidentibusque equo bono, integro, & perfectô, debitis. In hoc autem sensu, bonum idem est ac perfectum.

243 Infero 1. Bonum per essentiam esse duplex. Primum, per essentiam suam, & non per participationem ab alio. Secundum, per essentiam, idest, non per aliquid accidentale. Vtroque modò est proprium Dei. Dices: Bonitas est passio entis: ergo conuenit creaturæ. Distinguo antecedens: Bonitas incohatè, & imperfectè, concedo: Bonitas absolutè, nego; quia hæc est actualitas, & existentia, quæ creaturæ accidentalitèr conuenit.

244 Infero 2. Omnia esse bona, bonitate Diuina: non vt forma intrinsicè bonificante, sed ab illa, vt exemplari participabili; ab illa, vt principio efficienti, & ab illa, vt fine omnium; quia opera sunt bona, quatenùs habent bonum finem: Hoc autem non tollit, quod sint bonæ per se ipsas, intrinsicè formalitèr. Patet, quia habent suam bonitatem, sibi intrinsecè inhærentem, à Bonitate enim Diuina sunt bonæ, solum extrinsecè.

245 De bonitate morali Dei, siue de perfectione morali, quæ stat in rectitudine Diuinæ voluntatis, agitur in materia de voluntate, & de Incarnatione examinando, an Deus teneatur ad Incarnationem.

ARTICVLVS II.

AN DEVS CONTINEAT PERFECTIONES omnium rerum.

246 QVod Deus sit perfectus, est de fide, & constat ratione; quia cum habeat in se plenitudinem essendi, nulla potest carere perfectione, sibi debita, de quacumque linea sit perfectio talis, siue intellectiua, siue volitiua, &c. Habet autem omnem perfectionem simplicitèr

citèr

citèr ſimplicem; imò, & ſecundumquid, dummodò ſit de illis, quæ imperfectionem non dicunt iuxtà, dicta n. 147.

247 Vndè, quia perfectio ſimplicitèr ſimplex eſt, quę eſt melior ipſa, quam eius oppoſitum, Deus eſt formalitèr Spiritus; quia meliùs eſt enti, vt ens, eſſe Spiritum, quam Corpus. Quando autem res corporeæ, & materiales Deo tribuuntur, id intelligitur metaphoricè, & ænigmaticê. Item eſt formaliſsimè ſimpliciſsimus, quia hoc meliùs eſt, quam eſſe compoſitum, vt probatum eſt, quæſt. præcedenti, art. 1. eſt formalitèr intelligens, & volens, & omnipotens, &c. quia hoc meliùs eſt, quam oppoſitum ipſius.

248 Obijcies: Creaturæ ſuas habent perfectiones; atqui, iſtæ ſunt in Deo eminentèr, non verò omni modò, cum non ſint formalitèr: Non enim Deus eſt formalitèr Sol, nec formalitèr animal: ergo Deus non habet omnem omninò perfectionem, nec plenitudinem eſſendi. Reſp. Deum quaſdam perfectiones continere formalitèr, alias verò eminentialitèr; formalitèr dicitur de Deo, quod in propria forma, & ratione formali, illi conuenit, vt intelligere, velle, &c. Eminentialitèr verò, ſumitur duplicitèr, nēpè eminentialitèr virtualitèr, quia virtutē habet phyſicam, illud producendi: vel eminentialitèr formalitèr, quia formalitèr continet illud, ſed cum modo altiori. V. g. in Deo dantur formalitèr, omnis perfectio de linea intelligendi, ſcilicet virtus intellectiua, ſpecies, & actus intellectionis, ſed modò quodam altiori, & eminentiori, quia illas habet, ſublatis omninò imperfectionibus potentialitatis, & compoſitionis; manente ſolum, quod formalitèr de illis prodeſt, ad actum puriſsimum intelligendi ſubſtantialem, & per ſe ſubſiſtentem.

259 Sed quid de differentijs virtutis intellectiuæ potentialis, ſiue de perfectionibus creatis, quæ ita habent imperfectionem imbibitam, vt ab illa nequeant purificari, & expoliari; v.g. homo, animalitate? Reſpondetur, has ſempèr habere aliquid perfectionis, addendo aliquod prædicatum imperfectum. Quod eſt de perfectione purificabili, ab imperfectione, vt conceptus viventis imbibi-

tus

tus in animalitate, est in Deo eminentèr formalitèr. aliud verò solum eminentèr virtualitèr, quatenùs potest in illud influere virtute altissima causæ primæ. Non verò continet formalitèr. Vndè continet formalitèr, quidquid perfectionis est, eo modò quo perfectionis est, & solum relegatur ab ipso, quod imperfectio est, & eo modò, quo talis est.

ARTICVLVS III.

AN SIT PERFECTIVS SOLO DEO, AGGREGATVM ex Deo, & creatura.

250 NOta aliud esse an dicat plures perfectiones, & aliud an dicat plus perfectionis. Vndè triplex persona Diuina communitèr asseritur à Theologis, non esse perfectior, quam vna. Licet enim addat plures perfectiones, secùs plus perfectionis, quia quælibet habet tantam, vt sit omninò augmenti incapax: multò minùs creatura poterit esse Deo, vel aggregato, perfectionis augmentum.

251 Hoc, quod difficile est admodum, intellectu, quoad sensum, solet ab aliquibus explicari per multiplex simile; v. g. indiuisibile additum lineę, non facit maius. Finitum additum infinito, nó facit maius. Gutta addita Oceano, vel ablata, nec auget Oceanum, nec minuit. Homo habens veras diuitias, si addantur vestes plenæ tinea, & dilaceratissimæ non fiet ditior. Cæsar addita illi imagine picta ipsius, quæ sit eius participatio, non habebit plus cæsaris. Tandem tempus finitum additum æternitati, non auget eius durationem, & mensuram, licet addat nouam mensuram.

252 Creatura autem respectu Dei est minùs, quam punctum: est finitissima: est minùs, quam gutta: est participatio Dei picta, & minùs quam vestis tineata, & quam tempus respectu æternitatis. Scriptura enim vocat eas esse ante Deum, quasi nihilum, & quasi non sint, &c.

&c. Sed illa exempla à multis, non admittentur, vt vera, nec vt probatiua, sed vt aliqualitèr explicatiua.

253 Assero 1. Contra aliquos, cum communi. Creatura addita Deo, non auget, nec addit plus perfectionis, aut bonitatis simplicitèr, & absolutè. Prob. 1. quia aliàs sequeretur, quòd Christus, vt subsistens in vtraque natura, posset dicere: *sum ergò melior Patre meo*, vt vrgebam in tracta. De Incarnatione, dùm sermo esset, de Necessitate morali Dei, ad Incarnationem, & disputatione de gratia Christi habituali. Patet nam in Christo reperiuntur, additę Deo, gratia habitualis summa, & vnio hypostatica, quæ inter omnia creata, tenent primum locum in perfectione.

254 Secũdò, nulla creatura cóparatione Dei, est perfectio superaddita. Prob. à priori. Vel humanitas; v.g. sumitur in Christo, secundum, quod dicit de perfectione; v.g. vt ens, substantia, viuens, & intelligens, & hoc pacto nihil addit Deo; quia Deus de hoc habet formalitèr omnem plenitudinem illarum perfectionum, & ad summum augebunt numerum, sed non perfectionem: vel sumitur secundum, differentias speciales humanitatis à Deo.

255 Hoc pacto formalitér, nihil addit de perfectione; sed potius addit fęces essendi: formalitates, enim humanitatis, quatenùs speciales; & secundum, quod supperaddunt Deo, sunt defectibilitas, dependentia ab alio: limitatio, materialitas, corporeitas, cóponibilitas. Quidquid enim creatura habet de bono, supponitur in Deo, additque solum, quod habet de malo, & imperfecto: ergo Deus ex consortio creaturæ, non fit perfectior. Sicut enim sapiens, si ei addatur sapientiæ picta imago, aut addatur vestis, non fit sapientior, quia quod additur non est sapientia, sic nec Deus fit melior absolutè, quia quod additur non est perfectio; modò, quo additur.

256 Dixi, modò, quo additur; nempè secundum esse formale, modò enim eminentiali virtuali, perfectio est, quo pacto creaturæ sunt in Deo, sed hoc modò iam supponebãtur. Vnde in illo aggregato ex Deo, & creatura, nó

da-

datur plus perfectionis, sed plures perfectiones simpliciter simplices; quia prædicata creaturæ, secundú quod dicút de bono, addūt multitudinē, sed nó plus perfectionis.

257 Dices: Christum esse meliorem Patre, non intensiuè, sed extensiuè. Contra (nisi amplius explicetur) hęc melioritas extensiua, trahit secúm aliquid boni, ad quod non extendatur Pater, vel non trahit. Si non trahit, iy *extensiuè* erit, nuda verba: si trahit: ergo Christus erit absolutè melior Patre, quia habet aliquid boni, quod non habet Pater.

258 Dixi, *nisi amplius explicetur*: opponi enim potest, quod Christus potuit facere actus infinitos meriti, & satisfactiones, per suas gratias creatas habitualem, & vnionis, quod non potuit Pater. Hoc autem est aliquid boni, & aliquod exercitium nouum Sanctitatis, per modum principij vniuersalis. Propter hoc.

259 Assero 2. Creatura potest addere Deo, aliquid melius: non quidem absolutè, sed respectiuè, & cum addito; nempé, ad aliquem finem, & in hoc sensu Christus est sanctior, & melior Patre *ad hoc*, sed non melior. Prob. 1. pars; quia Christus per gratias creatas potuit mereri, & redimere, quod est munus speciale, gratiæ, & sanctitatis, ergo fuit sanctior, cū addito, nempé ad hoc. 2. pars. Prob. esse enim meliùs ad hoc, non est esse meliùs. Pomum venenatum, non est meliùs, & tamen est meliùs, cum addito nempê ad mortem.

260 Sequitur ex his, quod Christus, non est venerabilior Patre: quia veneratio est de persona, provt ipsa est, siue iuxtà ipsam: Christus autem, non est in se melior Deo, sed melior nobis, & melior ad hoc. Quod si Christus factus dicitur à Paulo iustitia, & sanctificatio, & redemptio (quæ denotant aumentum) Resp. quod *Nobis*. Non sibi creuit, sed nobis, vt nos bonificaret, & melioraret. Vndé maximé complacuit de Verbo, vt homine; & aliquando Patres insinuant, quod magis. Sed nego quoad se, quia Christus non est melior verbo, sed magis, quoad nos, & quoad istum finem redimendi.

261 Di-

261 Dices: Quomodo nos magis laudamus Deum, ob redemptionem, si melior, & venerabilior non est? Respondetur Deum, factum esse in redemptione magis bonum, sed nobis, non verò in se. Et quia maior benefactor noster factus est, debemus magis laudare; non laude veneratiua, aut magnificatiua respiciente magnitudinem eius in se, sed gratificatiua, respiciente nostrum beneficium.

262 Infero, ex hucvsque dictis, rationem perfecti esse Deo transcendentalem, quia non sola Essentia, sed quodlibet Attributum est tale, quod nihil deest ei, in sua linea, totius perfectionis possibilis. Toti autem entitati, nihil deest de perfectione possibili in omni linea..

QVÆSTIO VIII.

DE INFINITATE DEI.

ARTICVLVS I.

AN DEVS SIT INFINITVS?

263 INfinitum est, quod caret termino, siue limite Deum esse infinitum, & illimitatum est de fide ex Psalmo, *magnitudinis eius non est finis.* Esse autem infinitum simpliciter, & essentialiter in genere entis certum est, quia Deus est illa res quæ omni caret defectu, & omnem claudit perfectionem; atqui si in genere essendi, vel in qualibet linea perfectionis haberet limitem, eo ipso haberet defectum, quia defectus est: vsque huc peruenio in perfectione, & non amplius: ergo non potest habere limitem, sed debet esse infinitus simpliciter.

264 Intelligitur autem infinitudo simpliciter, & in essentia, quia quælibet eius perfectio, & Attributum est pelagus immensum perfectionis, v.g. sapientia est pelagus claritatis in cognoscendo, & omnipotentia pelagus immensum virtutum, in posse ad omnes creaturas.

265 Ob-

265 Obijcies 1. Deus est infinitus in genere essendi: ergo nihil habebit esse præter Deum. Prob. conseq. quia si daretur infinitum hominum, præter *illud*, nullus homo daretur. Resp. 1. negando consequentiam, quia aliud est habere infinitum esse, aliud, omne omnino esse, Deus habet primum, non secundum. Nec infinitum hominum claudit omnes homines, sed homines sine termino. Resp. 2. Deum esse infinitum quoad omnem perfectionem essendi intensiuè, secus extensiuè, & participatiuè.

266 Obijcies 2. Deus est singularis: ergo non est infinitus. Probatur consequentia. Quod ita est in hoc loco, vt non sit alibi, est finitum: ergo Deus qui ita est hic Deus, & hæc res, quod non sit Leo, erit finitus. Resp. concesso antecedenti, distinguo consequens. Non est infinitus quoad numerum concedo, quoad perfectionem nego. Ad probationem respondeo si locus sit infinitus, etiam rem fore infinitam, licet non sit alibi. Dato antecedēti distinguo consequens: erit finitus improprissimè, cum addito, nempè quoad numerum, concedo: quia non est omnis res, nec omnis species: quoad perfectionem, nego, quia omnem continet formalitèr, vel eminentèr.

267 Obijcies 3. Deus est sub genere, & differentia, siue specie aliqua; atqui hij sunt termini limitatiui metaphysici: ergo est limitatus. Distinguo minorem. Limitatiui obiectiuè, siue in ipso obiecto nego; quia licet conceptus genericus præscindat, differentialis tamen addit pro differentia plenitudinem essendi. Limitatiui extrinsecè, subiectiuè, & impropriè, secundum quid, concedo: quæ tamen limitatio, cum non adferat obiectiuam imperfectionem, non opponitur infinito simplicitèr.

268 Obijcies 4. Plures Aristotelis textus, apud Lao hic disp. 35. Dicit enim, infinitum esse quantum, & habere rationem partis, & materiæ. Resp. loqui de solo quantitatiuo. 2. Dicit finitum, & infinitum, esse passiones quantitatis. Resp. similitèr. Resp. 2. intelligi posse de quantitate perfectionis.

269 Vlteriùs, dum dixit infinitum esse ignotum, & tale,

tale,quod sempér de illo, est aliquid extra (cum tamen Deo omnia sint intra) loquitur respectiuè ad nostros conceptus inadequatos, qui sempèr habent in illo, noscere plus,& plus. Tandem dum dixit,omne perfectum habere finem,loquitur de perfecto in linea creata,& de his quorum perfectio stat in perueniendo ad terminum suæ magnitudinis, siue ad finem quasi centricum, quem tamen Deus habet in seipso,sine limite, à seipso possesso.

ARTICVLVS II.

PROPONITVR RATIO DIVI THOMÆ, PRO infinitate Dei.

270 PRobat eam Diuus Thomas, ex ratione actus purissimi. Est enim Deus actus irreceptus formalitêr, & obiectiuè: formalitér, quia est per se ipsum formalissimé existens, & subsistens: ergo est per se ipsum irreceptus, & infinitus. Consequentia probatur, quia limes,& finis prouenit ex recipi,vel ex recipere,siue ex ordinari,vt recipiatur,vel vt recipiat: Deus autem nihil horum habet, nec comparatiué ad aliud, nec intra se ipsum, quia eius existentia, & subsistentia est formalissimé ipse Deus,& non aliquid receptum in ipso.

271 Quod limes proueniat a receptione, siue à prædicatis de linea receptionis,declaratur. Quia extēsio deprimitur per dicendas modificationes tres. V. g. forma, quæ ex se extendi valet ad hoc, & illud subiectum, per receptionem in hoc,limitatur ad hoc. Materia, quę ex se est capax huius, & illius speciei, per informationem, & receptionem (actiuè sumptam) huius formæ,limitatur ad hanc speciem. Ens, quod ex se est capax summæ perfectionis,per receptionem extrinsecam,obiectiuam,& metaphysicam sui esse, à causa efficienti, limitatur, & fit ens ab alio, habetque imperfectionem hanc: ergo Deus, qui omninò est purissimus atque purificatus ab omni imperfectione, de linea recipiendi, in suis perfectionibus nullam habebit limitationem,

272 Con-

272 Confirmatur, perfectio limitatur, ab admixtione aliqua de suo contrario atqui actus purissimus, nihil omninò habet de hac admixtione: tùm, quia excludit omnem receptionem, informationem, potentialitatem, tàm intrinsecam, & compositionis, quàm extrinsecam, & obiectiuam (quæ est limitatio metaphysica) accipiendi illud esse suum ab alio; tùm per lineas ipsas; quia in linea essendi, nullam habet, cum nihilo cognationem; cum non sit de eius vulva, sicut entia creata. In linea intellectiua; quia nihil habet in cognoscendo, confusionis; nihil in producendo imbecillitatis. Purissimus ergo est, & liber, ab omni omninò admixtione imperfectionis, ac per consequens, sine limitê vllo.

273 Infero, nihil creabile, posse esse infinitum simpliciter per essentiam; quia non est depurabile, & liberari potens, ab omni imperfectione de linea receptibili. Angelus enim, licet non recipiatur, recipit; & albedo abstracta à subiecto, est receptibilis: & si esset talis creatura, identificata cum sua existentia, & subsistentia, & non receptiua componibilitér; adhuc esset receptiua obiectiué, & participatiué: nam haberet suum esse receptum à Deo. Ex quibus manifesté patet, nullam creaturam esse possibilem, quæ sit infinita in generę substantię, aut essentiæ: quia omnes in tali genere habent terminos, & limites, compositionis, vel componibilitatis, vel receptionis sui esse: solum enim esse Dei, est irreceptum. Hæc iuxta D. Thom.

ARTICVLVS III.

VTRVM ALIQVID PRÆTER DEVM, POSSIT esse essentialitèr infinitum.

274 PArs affirmans prob. 1. Quia vnio hypostatica, & visio beata, ab specificatiuo infinito, infinitatur. Talis enim est res, quale specificati-

uum eius. Atqui specificatiuum conuenit illis per suas essentias : ergo sunt infinitum per essentiam. Idem de relatione Maternitatis ad Verbum, in Deipara.

275 Secundò, prob. quia infinitas, quæ non sit proprijssima Dei, potest conuenire creaturæ. Atqui datur infinitas essentialis, in vno genere, v. g. intelligendi, quæ si sit solum in illo, non erit propria Dei, cui essentiale est, esse infinitum in omni genere : ergo poterit conuenire creaturæ. Saluatur enim adhuc, sufficiens differentia, inter creaturam, & Deum.

276 Tertiò, non repugnat creatura, cui sit essentialis virtus ad infinitos effectus; indiuidua, nempè, & species infinitas, saltim syncategorematicè producendas. Atqui talis virtus, est verè infinita, & conuenit per essentiam, v. g. Soli virtus (formalis, vel radicalis) ad effectus sublunares productos, imò, & producibiles plures, in infinitam; sicut, & intellectui creato, essentialis est virtus ad cognitiones plures, & infinitas, & ad species impressas, specificè diuersas, aliorum, & aliorum obiectorum.

277 Respondebis, productionem syncategorematicam infinitorum, nec arguere infinitatem virtutis, nec perfectionis. Et ratio est, quia virtus in quolibet instanti, in quo producit vnum effectum, quasi congreditur, & exercet vires cum vno : & sic, producẽdo singulos successiuè, se habet cum illis, quasi cum vno: nec requiritur maior virtus ad singulos successiuè, quàm ad vnum. Species autem diuersæ, petunt in causa, virtutes, quasi diuersas. Si tamen cum istis congreditur successiuê, videtur, non requiri virtutem, aut vires infinitas. Aliàs, non esset in mundo virtus, tàm minuta, quæ non esset infinita. Hæc doctrina, respectu indiuiduorum, optima est.

278 Contra tamen, quia hoc non obstante, videtur vera infinitudo. Probat. Omnipotentia enim Dei in sententia D. Thomæ, non est infinita formalitèr, proptèr effectum infinitum, vnum, vel plures, simul producendos; quia in eius sententia, repugnat in creatura infini-

finitum in actu perfectionis, magnitudinis, multitudinis, & intensionis: ergo est proptèr effectus infinitos in potentia, & syncategorematicè. In sententia autem admittente, hæc infinita in actu, non repugnabit creatura tàm perfecta, quæ per seipsam habeat virtutem, ad ponendum in re, tale infinitum in actu: ergo possibilis est creatura, vel substantialis, vel accidentalis, quæ per se ipsam, & essentialitèr, habeat virtutem infinitam, sitque infinita per essentiam, in aliquo genere.

279 Nota ex dictis à me, in materia de Incarnatione, disp. 7. sect. 1. Infinitum esse duplex, strictum, & latum. Illud in se, & formalitèr est infinitum; istud verò non in se, sed terminatiuè; quia habet terminum infinitum, vt amor Dei. Sic Maternitas asseritur quodammodò infinita, proptèr Christum infinitum; licet alij maiorem infinitatem concedant; quia tenent Christum esse formam Maternitatis.

280 Strictum, & in se, est duplex: nempè *simplicitèr*, & *secundum quid*. Istud finitum est, in sua essentia: licet infinitum formalitèr, ob aliquod accidens, nempè intensionem, durationem, vel multitudinem, v.g. amor Dei infinitè intensus. Essentia enim ipsius, limitata, & finita est; & eiusdem naturæ, ac si esset vnus tantùm gradus amoris; est tamen formalitèr infinitus, in intensione; quæ illi accidentalis est.

281 Infinitum *simplicitèr* est illud, quòd in suo esse substantiali, & essentiali, est tale pelagus infinitudinis, quod in sua perfectione, vel constitutiuo essentiali, caret termino in illa linea; antecedentèr ad accidentalia. Est duplex. Vnum in omni perfectionis genere, & hic est solus Deus, in quo attributum quodlibet, est pelagus interminabile in suæ lineæ perfectione. Aliud in aliquo genere; v.g. Omnipotentia, in linea virtutis ad extra. In aliquo genere, adhuc est duplex. 1. Expressè adferens secùm, infinitum in omni genere, v.g. Omnipotētia, quę necessariò, & expresse, & immediatè est totus Deus, vel saltìm includens

Deum; & mensuratur per illum: v. g. Christus, meritum Christi, &c. 2. Est infinitum perfectionis participatæ: v. g. Quædam potentia participata, quæ per se ipsam, posset infinitas species producere, diceretque perfectionem infinitam gradualem, siue per infinitas virtutes distinctas virtualitèr, & designabiles. Idem de scientia participata. Hæc non trahit ad se expresse Deum. Fortè autem trahit mediatè, & per consequentias.

282 Quidam tenent, esse de ratione infiniti *simpliciter*, quòd non posset dari vnum maius alio. Sed hoc non videtur absolutè verum. Etenim actus meritorius Christi, simplicitèr infinitè dignificatur à persona: sed non per identitatem, nec per tam strictam communicationem, sicut amor increatus Dei. Erit igitur, maior amoris increati perfectio, & dignificatio. Hijs positis.

ARTICVLVS IV.

VERA SENTENTIA.

283 Difficultas, non procedit de infinitate lata, siue terminatiua. Hæc enim competit creaturæ, vt vnioni hypostaticæ, visioni, & intellectui, potenti, ad infinitas cognitiones: sed procedit de stricta, quæ sit formalis infinitas. Accidentalem formalem, & in actu, posse creaturæ competere, in intensione, extensione, & multitudine, tuentur Recentiores in Philosophia.

284 De infinitate simplicitèr, & per essentiã, assero, repugnare creaturæ. Prob. quia esse creaturæ, est admixtum essentialitèr mille imperfectionibus, ac per consequens limitibus: ergo in perfectione essentiali est finita, & limitata ab admixtione imperfectionum.

285 Assero 2. Repugnare infinitatem entitatiuam, & essentialem, adhuc in vno genere, loquendo de primo.

Dixi

Dixi *entitatiuam*, nam extrinsecam, & moralem actibus meritorijs Christi, & offensæ, defendimus competere, in materia de Incarnatione, quia in moralitate carent limite. Prob. assertio quia infinitas *simpliciter* in proprio genere, & linea; v.g. in linea intelligēdi, est differētia proprijssima, & specialissima, diuini attributi vt talis: quod ex seipso, est pelagus immēsum infinitudinis in illo genere. Repugnat autem omninò, coniungi differentiam specialissimam diuini attributi, cum genere creaturæ. Aliàs, differentia specialissima, & substantialitèr infinita diuini attributi, quantum est ex se, esset capax limitationis, & imperfectionis, essendi ab alio, & defectibilitatis, quàm capacitatem nemo prudens concedet. Confirmatur, quia aliàs, dabilis esset creatura, tam sapiens, & tam cognoscens de Deo, quàm cognoscat ipse Deus, & æquans totam claritatem, & perfectionem cognoscentis diuini, & similitèr, totam cognoscibilis diuini: quia Deus non plus habet de cognoscibili, quàm habeat de cognoscente.

286 Ex his assero 3. Nec infinitum simplicitèr, perfectionis participatę, est dabile in creatura in vno genere, v.g. Potentia continens gradualitèr, infinitas virtutes ad infinitas species vt tales. Infinita visio earū per infinitos gradus, quorum quilibet sit distinctus ab alio, & designabilis, & superadditus, siuè aliquotus. Probatur, quia talis virtus in speciali genere productiuo, v. g. per gradus identificatos, est proprietas Dei, quartò modò: ergo, &c.

287 Antecedens probatur, quia quælibet natura determinat sibi ab intrinseco & ex se, quasdam perfectiones sibi proprijssimas quartò modò: ergo & Deitas. Actui autem purissimo, necessariò, à se, & infinito, non videtur posse aliàs perfectiones ita rationabilitèr applicari, sicut virtus infinita gradualis, productiua; & visio gradualis infinita, iam explicatæ.

288 Dices. Adhuc has perfectiones posse conuenire creaturæ: quia cū essent participatæ, adhuc essent creaturæ. Cōtra, quia essent, & nō essent participatæ & creaturæ, sicut brutū risibile, esset, & nō esset brutū. Tū, quia ali-

qua perfectio, specialissimè conuenit Deo, per omnipotentiã, quæ vt talis, nõ conuenit per scientiã, & immensitatem. Talis autem perfectio, vt diuersa, ab ente à se, imbibito in vtraque, nihil est aliud, nisi virtus illa gradualis infinita. Tùm, quia chimericum est, aggregatum ex genere creaturæ, & differentia, quartò modò proprijssima Dei. Tùm denique, quia vt dicemus in articulo sequenti, quædam perfectiones sunt, ita proprijssimæ alicuius; vt non solum in gradu intenso, sed in remisso, & viali nequeant alij conuenire. Quid autem proprius Deo, quàm entitatiua, & per essentiam infinitas, in vno perfectionis genere?

ARTICVLVS V.

ARGVMENTA SOLVVNTVR.

289 AD primũ Resp. probare de infinitate terminatiua solum. Quando autem terminus non adæquatur ab actu (vt comprehensus à comprehensione) sed attingitur modò finito, actus nõ infinitatur ab illo. Vndè, si dicas, quòd humanitas vt subsistẽs infinitatur à Verbo, & visio Christi de infinitis creaturis in decreto, infinitabitur ab illis. Nego. De primò, quia humanitas vnitur subsistentiæ, quantum ipsa subsistibilis est, & sic finitè physicè.

290 De secundò, quia attinguntur infinita in decreto, sed tacitò, modò finito: & non attinguntur infinitæ species vt infinitæ, sed infinita indiuidua; quòd non requirit perfectionem infinitam, sed finitam, maiorem, & excedentem: non excessu graduali & designabili, sed proportionis, & indesignabili; siuè non aliquoto, sed proportionali, insufficiente ad infinitandum categorematicè. Vide Lao n. 1584 & infrà n. 326.

291 Pro responsione ad 2. nota. Perfectiones posse esse specialissimas alicuius entis, non solum in gradu

plo-

pleno,& perfecto,totaque perfectionis intensione,sed etiā in remisso;incohato,& viali.Sic,non solum est differentia hominis specialissima,rationale,sumptū proiudicatiuo,& discursiuo,sed etiā pro iudicatiuo,nā vt sic est viuens;& nec potest esse brutum,cum sit iudicatiuum spiritualitèr, nec Angelus, cum sit animal;ministrans intellectui species per phantasmata. Sic etiam non sola rationalitas est hominis proprijssima,sed etiam animalitas (sumpta in recto) vt identificata, cum rationalitate.

292 Nec dicas. Quomodo erit homo,si non est discursiuum ? Resp. eo ipso esse discursiuum, quia tale iudicatiuum,eo ipso,est incohatio discursus. Sic dixi in materia de Visione, repugnare creaturam, quę ex natura sua sit visiua Dei; quia de seipsa esset beata: cum tamen beatitudo per naturam sit specialissima Dei. Quæ eo ipso adduceret mediatè, per consequentias secum: omnem diuinam perfectionem, tanquam ipsius specialissima, & determinata incohatio: siuè tanquam gradus remissus ipsius Dei proprijssimus. Quod vtique multò fortius aptatur infinitati per essentiam, in aliquo genere. Ex hijs.

293 Ad 2. respondeo, talem creaturam infinitam per essentiā in aliquo genere,involuere contradictionē,quia esset essentialitèr creatura & non esset,sed Deus; vtpotè habens per essentiā, & identitatē, differentiam proprijssimam diuini attributi. Ad illud : *Adhuc Deus differret à creatura per infinitatem in omni genere.* R. Differre, & non differre,quia differret sumptus in gradu pleno,& intenso provt tali,& copulatiuè; sed non sumptus,in omni gradu essentiali,& substantiali, in quo differre debet : quia debet, vt dixi,etiam in remisso, siue specialissimè incohato. Imò in intenso differret, vt supponimus, & non differret;quia remissus, vtpotè incohatio intensi, etiam afferret intensum, ad creaturam, & hæc, vtrumque haberet.

294 Ad 3. respond. Repugnare virtutem ad infinitas creaturas, specie diuersas, quia hæc infinitas est perfe-

ctio specialissima omnipotentiæ Dei. Quæ, si sit ad omnes, est virtus diuina in toto gradu intenso. Si non ad omnes, sed ad infinitas, in gradu remisso, & incohato. Infinitas enim virtutis per essentiam, clamatur à PP. proprijssima Dei. Dixi, *quando est ad creaturas infinitas specie diuersas*. Si enim solum sit ad indiuidua, est infinitudo purè terminatiua, & impropria. Vnica enim perfectio, & virtus, quæ sufficit ad vnum indiuiduum, sufficit successiuè ad mille, quia se habent, tanquam vnum: imò, & ad mille, simul sufficit, sine nouo gradu, cum solo excessu proportionali.

295 At, infinitæ species, successiuè producibiles; sicut ipsę sunt diuersæ naturæ, postulant in agente diuersas specie virtutes virtualitèr; vt homo, & leo, postulant in suis parentibus diuersas virtutes generatiuas, atque in agente superiori, diuersas eminentias. Quæ virtutes, cum sint perfectiones diuersæ, diuersique virtutis gradus, cum essent simul & in actu, ponunt in agente infinitam perfectionem entitatiuam, gradualem, essentialem; quæ, omnipotentiæ, etiam in gradu remisso specialissima est.

296 Ad illud de virtute Solis, respondeti potest, esse infinitatem impropriam, & quoad indiuidua, nam in ipso non est virtus ad infinitas species, sed ad aliquas. Et licet communitèr dicatur, quòd Sol; cum homine, generat hominem, & quod influit cum alijs agentibus: non est intelligendum de influxu immediato in omnia, sed de mediato: quatenùs per calorem, lucem, & alios paucos specie, influxus determinatos; conseruat causas secundas, quæ sic conseruatę, influunt in suos effectus, absque alio, Solis immediato concursu.

297 Ad illud de intellectu, resp. Virtutē ex parte sua, solum esse ad diuersas cognitiones, & species impressas: præcisè, quatenùs tendentes ad verum, sub ratione veri: siue sub ratione quadam intentionali: diuersitas autem specifica earum, prouenit, non ab illo; sed à diuersitate specifica obiectorũ, syncategorematicè infinita. Sicut

à lu-

à lumine gloriæ, solùm prouenit confortatio potentiæ ex parte potentiæ. Obiectiua autem specificatio, summitur ab obiecto. Dices: ergo de potentia creatiua omnium, vt tali; dici poterit, ex se non esse infinitam, in perfectione, quia respicit ea sub ratione creabilitatis. Nego consequentiam. Respicit enim ea, etiam sub specificis rationibus, quibus dat esse.

ARTICVLVS VI.

AN SINT POSSIBILES INFINITÆ creaturæ.

298 LOquimur, intra limites possibilitatis: non, an possint produci in actu. Primum, docent Thomistæ cum Diu. Thom. Licet negent secundum. Recentiores, vtrumque affirmant: at aliqui antiqui, vtrumque negant.

299 Nota 2. Ex infinitate simultanea, in possibilitate, nó inferri potentiam ad simultaneã actualitatem. Tùm, quia possunt habere simultatem ex parte causæ, sine simultate productionis, vt in amore, & odio. Tùm, quia productis omnibus, sequitur contradictio, nempè, quòd omnipotentia esset exhausta, & non esset: quia per nullum terminum quantumcumque infinitum (si sit entitatiuè, & substantialitèr finitus) æquari valet. Quæ contradictio, non sequitur in infinitudine possibilium: cum restet ei, dare existentiam, quę est præcipuum in esse, & dum non dat, non est exhausta.

300 Nota 3. Duplex infinitum: Vnum cathegorematicum, & in actu aliud syncategorematicum, & in potẽtia. Illud est, quòd intra se, actu claudit infinita, & potest esse, vel in esse reali producto, vel in esse cognito. Infinita possibilia, sunt in mente Dei, in esse cognito: & in intellectu Christi, per visionem beatam, iuxtà D. Thomam.

301 Infinitum in potentia, non summitur, pro poten-

tia,& virtute,ad terminum actu infinitum; vt malè quidam suspicantur : sed pro potentia, ad terminum finitum, cui sempèr potest fieri additio. Vndè, duos dicit respectus concatenatos : vnum directum ad terminum finitum,alium indirectum,ad pelagus illud,ex quo summenda est, alia vnitas, & alia, vt termino directo, fiat additio,& additio.Sic in æternitate à parte pòst, dantur dies,qui erunt ; & isti sunt finiti ; & dantur, qui restabunt;& sunt infiniti. Sed hijs,qui erunt, inest capacitas, vt ex restantibus addatur eis,alius dies,& alius sine termino. Potentia illa ergo, est ad additionem hanc, sine termino.

302 Nota 4. Proprium esse infiniti in potentia, iuxtà Aristotelis doctrinam,carere termino intrinseco. Duplex est terminus. Intrinsecus: & iste tunc datur, quando res habet ex se,& ex natura sua *vltimum*;vltra quòd,non sit aliud. Iste repugnat infinito in potentia. Non,extrinsecus,quem quis pro libitò potest apponere, dum numerat. Diebus ergo æternitatis à parte pòst,repugnat vltimus de se, non verò pro libitò Dei, si Deus vellet dies destruere,& in aliquo cessare.

303 Dixi, esse proprium infiniti in potentia, quia apud plures,infinito in actu, non repugnat terminus intrinsecus, materialis. Si enim Deus, produceret lineam infinitam in longitudine, incipiendo ad hoc gymnasio versus Orientem, ex hac parte iam haberet terminum; ex alia autem,non repugnat illi habere : quia adhuc haberet in actu tot puncta, quot non possent,successiuè percurri per totam æternitatem ; neque ad vltimum peruenire.

304 Quòd linea illa, adhuc esset, strictè infinita,patet. Tùm, quia infinitum, ex Aristotele est, illud, *cuius partem accipientibus, sempèr restat aliquid, & aliquid accipiendum.* Tùm, quia de ratione infiniti est, quòd eius partes distent *interminabilitèr* ; ita vt numquam, terminus, successiuè percurrendo, inveniri possit. Vtrumque

ve-

verificatur de illa linea, etiam si claudatur terminis, quia interminabilitèr distant.

305 Confirmatur, quia infinitum potest duplicitèr summi, nempè per modum infiniti, & per modum finiti. Quando sumitur vno ductu, non sumitur per modum infiniti, sed modo finito; quia non sumitur, vt vult Aristot. *ita vt sempèr maneat, aliquid extra*. Vndè D. Thom. docens visionem beatam Christi, esse finitam adhuc: docet, attingere infinita in decreto; quia illa attingit, modò finitò: ergo si puncta illius lineæ, ita distant interminabilitér, vt successiuè percurri non posset, per totam ęternitatem, adhuc manebit infinita.

306 Nec obest: quod tali lineę, possent addi aliqua puncta: ergo non erat infinita in actu. Nego consequentiam, quia dabile est infinitum, participans de vtroque, de *in actu*, & de *in potentia*: quia potest fieri additio: & linea summa, non est producibilis, quia indesignabilis. Infinitum ergo in actu, capax est augmenti materialis. Apud Deum enim, in esse cognito, maior est, multitudo omnium creaturarum possibilium, quàm sola multitudo omnium lapidum possibilium. Hijs positis.

307 Assero, creaturas possibiles, esse *actu, in esse cognito, infinitas*. Ita D. Thom. & eius Interpretes. Prob. 1. à priori, quia data quavis Dei participatione, est dabilis alia, & alia in infinitum. Sicut si Sol sit æternus, à parte post, data, qualibet lucis productione, est possibilis alia, & alia, sine termino. 2. Quia in æternitate à parte post, erunt infiniti dies, plures, & plures; & actus beatorum, & damnatorum: Atqui non erunt infiniti illi, qui producentur successiuè: ergo erunt infiniti illi, qui restant: ergo sunt possibiles, infinitæ creaturę, Conf. hæc infinitas, non repugnat ex parte Dei, siquidè eius potentia, producendo, non minuitur; atqui, nec ex parte creaturarum ostenditur repugnantia: ergo sunt possibiles infinitæ.

308 Respondebis; repugnare ex parte ipsarum; quia re-

repugnat infinitum in actu, vt multis probant Thomistæ. Omne autem possibile, potest reduci ad actum. Sed quid, de diebus æternis, & actibus beatorum? Respondet Recentior, finiendos esse: & ne æternitas deficiat, postea repetendos. Sed contrà 1. Quia licet repugnaret infinitum in actu, (cuius oppositum docui in Philosophia,) adhuc possunt esse, infinitæ creaturæ possibiles, in esse cognito: non vt simul producantur, sed diuisiuè, vt in notabili. 2.

309 Contrà 2. Quia argumenta impugnantia, infinitum creaturarum, impugnant infinitum repetitionum. Contradictio enim, numeri finitorum maximi, tàm militat contrà repetitiones infinitas, quàm contrà creaturas infinitas. Repetitiones enim, erunt distinctę, & vna, post aliam. Contrà 3. Quia Deus, semper est participabilis magis, & magis, & cum maiori augmento diuisiuè. Hoc autem, non potest fieri per actum repetitum, sed per actũ nouum altioris perfectionis.

310 Obijcies. Apud D. Thom. licet sint possibiles, infinitæ magnitudines finite (idem de intensionibus) est tamen impossibilis magnitudo infinita; constans partibus infinitis actu, adhuc in esse cognito: ergo; & multitudo infinita; adhuc in esse cognito. Nego antecedens, de quo articulo sequenti. Antecedenti dato, nego consequentiam; quia vt obiectum actuale, contineat infinitam multitudinem in esse cognito; solum requiritur, quòd infinitæ vnitates, ponibiles successiuè, actu terminent cognitionem. At, vt magnitudo in esse cognito sit, & contineat infinitam longitudinem, in esse cognito; requiritur, vt illæ partes, omnes sint vnitæ, in vnam magnitudinem, & non sufficit, successio earum in esse rei. Illud tamen, in sententia Diui Thomæ, repugnat.

AR-

ARTICVLVS VII.

AN SIT POSSIBILE INFINITVM IN esse producto.

311 Difficultas est, de *infinito in potentia*, & de *in actu*, & de *summo*. Diximus ex infinito in posſibilitate, & ex infinito in potentia, non probari, posse dari infinitum in actu, in esse producto. Videamus, an ex alio capite probetur.

312 Assero 1. Potest reipsa, dari infinitum in potentia. Conclusio est, Diui Thomæ, & Aristotelis, & eam probant omnia argumenta, pro conclusione articuli præcedentis.

313 Obijcies: si dies æternitatis. v.g. essent posſibiles in infinitum plus, & plus; daretur in illis numerus, maximus finitorum: vltra quem, iam nullus daretur finitus, sed infinitus: atqui talis numerus repugnat: ergo, & infinitum in potentia. Maior patet, quia si in numeris finitis, non perveniretur ad maximum, carerent termino, & non essent finiti, contrà suppositionem.

314 Minor prob. quia dato tali numero dierum, vel dies subsequens, faceret cum numero præcedenti, finitum; vel infinitum? Si finitum: ergo ille numerus erat, & non erat, inter finitos, maximus. Si infinitum. Contrà, quia finitum, additum finito, non facit infinitum, vt docet Aristoteles: & quia habet terminos, qui percurri poſſunt in tempore.

315 Dices: Dies illos esse infinitos, & percurri; sed tempore infinito. Contrà, quia habent principium, & finem, & percurruntur *terminabilitèr*, sicut, & tale tempus. Infinitum autem, solos illos terminos patitur, *qui distant interminabilitèr*; ita vt numquam, numquam, percurri posſint.

316 Respondeo ergo: hoc argumentum, etiam militare, contrà infinitas reproductiones earundem creatura-

ra-

rarum; quia illæ, vtpotè, à parte rei distinctæ, saltim virtualitèr; & diuerso tempore factæ; habebunt etiam in computatione successiua, numerum finitorum maximum, vel non habebunt. Quidquid respondeas, &c.

317 Respondeo 2. Quòd non habebunt. Dies enim qui erunt, & erunt, sempèr sunt finiti, & potest Deus in quocumque cessare si vellit, & solum datur infinitudo, in cumulo eorum, qui restabunt. Nec est contrà naturam finiti, carere termino; si ita sit in actu, finitum: vt simùl sit infinitum in potentia, cuius additio, & additio finita, numquam perveniet ad infinitam actu. Vndè Pyramis, vel scala finitorum, de cuius gradu fiat transitus immediatus ad infinitum, per additionem finiti, neganda est, vtpotè destruens infinitum in potentia. Longè ergò alia via, ad infinitum in actu perveniendum est, nempè vno ductu, cahaos illud amplectendo.

318 Assero 2. Infinitum in actu, non repugnat. Ita Recentiores. Ratio est: tùm, quia ex eo, quòd Angeli infiniti existant, & sicut habent simùltatem potentiæ, habeant productionis, non apparet repugnantia: cum ipsi inter se; contradictionem, non dicant. Tùm, quia si Deus ab æterno produxisset mundum, vt putauit Aristoteles, si in quolibet die produxisset vnum Angelum, iam transissent successiuè infiniti dies, & manerent permanentèr, Angeli infiniti. Tùm, quia si repugnaret infinitum hominum, maximè, quia totum, non esset maius sua parte; v.g. infinitum de manibus, & infinitum de digitis. Vtrumque enim, contendunt fore æquale, quia vtrumque infinitum. Contrà, quia vnum infinitum, materialitèr potest esse maius alio. Vndè, non repugnat in multitudine.

319 Item, nec repugnat in longitudine: licet enim linea infinita, deberet claudi terminis, non est contrà naturam infiniti, siquidem ita *interminabilitèr* distarent, vt accipiendo partem lineæ, restaret per totam æternita-

tatem accipienda, alia, & alia pars. Nec in intensione, quia licet intensio infinita, petat pro subiecto proportionato, substantiam infinitam: quæ tamen non est dabilis in genere substantiæ; id est verum, si recipere deberet naturalitèr, secùs si obedientialitèr, & diuinitus. Deus enim, potest simùl potentiam in infinitum dilatare. Quòd si Aristot. & D. Thom. negant infinitum in actu, solum negant de summo. cui additio fieri nequeat.

320 Assero vltimo. Non est possibile infinitum summum, cui non possit fieri additio. Prob. 1. Quia Deus sempèr est participabilis plus, & plus, etiam si sit participatus per actu infinitas; nõ enim virtus exhauriri valet per quascũque creaturas, quas creet; quia istæ, sempèr sunt substantialitèr finitæ, & illa substantialitèr infinita; nec æquari valet per illas. 2. Quia summum, siue vltimũ, non est designabile: sicut enim, licet sit verum, quòd aliquis æquus requiritur, ad æquitandum, Deus noscens omnes, non noscit determinatè hunc requiri, sed vagè. Item, licet in homine (qui ad singula venialia, diuisiuè vitanda, est potens: impotens autem, ad omnia simùl) impotentia hæc ad omnia, debeat in aliquo veniali verificari; non tamen tale aliquod, est determinatum, & designabile, sed vagum; hoc, vel illud; similitèr Deus, nequit designare creaturam vltimam, vltra quàm non possit aliam, & aliam.

321 Obijcies: non est inconueniens, quòd sapientia Dei, ita noscat omnia sua cognita, vt non possit ad plus: ergo idem de omnipotentia. Nego consequentiam, quia ibi æquatur, per æquale, hic per inæquale. Cognitum enim Dei, cum includat ipsam Dei essentiam, vt medium noscendi creaturas, æquale est simplicitèr, scientiæ: secùs cumulus possibilium, respectu omnipotentiæ.

322 Obijcies vltimo. Deus noscit omnes creaturas, & numeros, & species possibiles, quæ tamen sunt inæquales, sicut numeri: ergo vna, debet dari vltima, & excedens: ergo potest Deus illam designare, & producere. Resp. Concesso ant. dist. conseq. vna determinata,

&

& designabilis excedens, nego, vaga, concedo. Etenim Deus, dupliciter potest cognitione, ferri in omnia possibilia, v. g. in omnes dies æternitatis. 1. In illos, vt singulos, & diuisiuè, ex parte obiecti. 2. Vt omnes copulatiuè, ex parte obiecti.

323 Primo modo, cognoscit de *hoc die, quod erit, sed cum suo posteriori*, & de illo *cum suo posteriori*, & sic singulos designat, sed cum alio determinato, & excedenti, quia ita est natura infiniti in potentia, quòd noscatur cum additione, & additione.

324 Secundo modo, noscit omnes copulatiuè, & licet fortè nòsceret ibi, aliquem diem fore, excedentem alios, quia ita petit inæqualitas numerorum, sed non determinabilem, sed vagum, Deoque indesignabilem, (& potius, summum negatiuè, quàm positiuè; idest, quòd extra omne, non datur aliud) quia ita petit natura infiniti, in actu etiam cognito: de cuius essentia est, illa confusio, cahaos, & indeterminatio vaga. Non ergo est producibile infinitum summum.

325 Neque ex hijs inferas. Si possibile est in creatura, infinitum intensionis: ergo, & perfectionis. Etenim amor Dei, quo intensior est, eo perfectior est. Respondetur enim, concedendo de perfectione accidentali, quia hęc est quasi modus infinitudinis, nempè intensio, multitudo, &c. Secùs de perfectione essentiali, quia hæc est proprijssima Dei.

ARTICVLVS VIII.

DVO NOTABILIA.

326 IN fine nota 1. data, vagè, perfectione essentiali participata summa, non esse infinitam, quia eius excessus, non est gradualis, sed proportionalis, & sic finitus, sicut in visione Christi. Excessus gradualis, est, qui dicit gradus virtualitèr distinctos, designabiles,

aliquo-

aliquotos, & se excludentes ; itavt vnus addat supra alium, formalitatem distinctam. Proportionalis, non est nouus gradus, sed antiquus, cum aliquo nouo modo, non adæquatè distinctè, sed illum includente.

327 Vndè, partes proportionales, vocantur indesignabiles, commixtæ, & se communicantes; quia vna, includitur in alia communicata illi, & quòd superadditur, nó est nouum designabile, & aliquotú, sed noua terminatio sola; sicut in homine differentia à brutis, & auibus, nó addit formalitatē, supra rationale, sed terminationem. Sic visio Christi, noscens infinita, excedet aliàs, non gradualitèr, & per infinitas repræsentationes; sed per vnam Dei, addito excessu infinito, sed proportionali, & syncategorematico; sicut in rota currus, punctum centricum, respiciens circumferentiam rotæ, non differt ab alio, vt respiciente medietatem; excessu punctorum, sed excessu terminationis ad plura. Idem ferè de perfectione summa vaga, quæ non excedet, excessu graduali, sed syncategorematico, & proportionali; licet fundato in gradu finitò, multò maiori.

328 Nota 2. Omnia possibilia simùl, licet æquent omnipotentiam æqualitate quantitatiua, sed non æqualitate perfectionis. Nec indè inferas: ergo productis omnibus, non sequitur contradictio de exhausta, & inexhausta: sed solum, quòd est exhausta, quoad quantitatem, & non quoad perfectionem. Sicut æternitas, à parte pòst, æquabitur per dies à parte pòst, quoad quantitatem, non quoad perfectionem.

329 Resp. negando consequentiam; quia si non est æquata quantú, ad perfectionē: nec erit quoad quantitatem; quia quòd manet in Deo de perfectione, est participabile plus, & plus à creaturis. Et sic, est exhausta, quoad quantitatem, & non est. Dies autem æterni, comparantur ad æternitatem intrinsecam Dei, quoad solam extrinsecam correspondentiam, & numerum extensionum virtualium; quia sola hæc, est participabilis ab illis, non æternitatis perfectio ipsa, intrinseca.

QVÆSTIO IX.

DE IMMENSITATE DEI.

ARTICVLVS I.

ALIQVA NOTANTVR.

330 NOta 1. Deum, secundum fidem, esse immensum. Vndè, quantum est ex se, est ita diffusus, & quasi virtualitèr extensus, instar aëris, vt nulla sit de facto creatura, cui non sit intimè præsens. Et idem respectu alterius mundi, si producatur. Præsentiam intimam voco, per quam Deus coexistit *intimus*, idest, *intrà ima*, & viscera. Cum tamen præsentia corporis ad locum, sit *extima*, idest, *extrà ima*, siue exterior correspondentia corporis ad locum.

331 Nota 2. Locum, ad corporeum, & spiritualem, dici analogicè; ille enim, duo dicit. Primum, est superficies continens, sustentans, & capiens intra se, locatum. Id non habet locus spiritualis. Secundum est, esse *terminum præsentiæ, & indistantiæ, & contactus physici rei præsentis ad ipsum.* In primo sensu, creatura non est locus Dei, quia non continet, nec sustentat Deum, sed potiùs è contrà. Vndè dixit August. in Psalm. 121. *Tu habitas in domo. Si substracta fuerit, cadis.* (Ecce quomodo locus sustentat locatum.) *Deus autem, sic habitat in cœlis, vt si ipse discesserit, ipsi cadent.* Vide quomodo est in illis, sed sustentando illos.

332 Solum ergo est locus in secundo sensu, creatura, respectu Dei; quia est terminus præsentiæ, & contactus Dei, indistantis à creatura, & sustentantis ipsam creaturam. Deus igitur potest dicere creaturæ; *sum præsens tibi, vt loco, tenendo te.* Cum tamen creatura, loco corporeo, dicere debeat: *sum præsens tibi vt loco, tenenti me.* Creatura ergo solum participat de loco Dei, esse terminum præsentiæ, & contactus Dei.

333 Not

333 Nota 3. Quòd Deus, respectu creaturæ, duplici ratione sit præsens. Vna est intimitatis, & penetrationis cum illa, & diffusionis intra illam; sicut anima est physicè diffusa, & penetrata cum corpore. Alia verò ratio, est physici contactus; cum enim præsentia, sit quidam contactus physicus coniungens locum, & locatum: & actio productiua præstet hoc munus in Deo, qui per eam tangit physicè terminum, nempè creaturam, & cum iam vterque supponatur intimè indistans, per præsentiam intimitatis; solum additur iste contactus, per quem, positiuè fit præsens, præsentia; altera. Has duas presentias probat notabile sequens.

334 Nota 4. Deum esse in rebus triplici modò, nempè per *essentiam*; siue intimam sui penetrationem, cum illis. Per præsentiam; id est per cognitionem, & visionem. Omnia enim, oculis eius sunt præsentia. Per *potentiã*; quia in omnibus operatur dãdo esse, & conseruando. Ecce in 1. & 3. duas præsentias, nuper explicatas.

ARTICVLVS II.

AN DEVS PER IMMENSITATEM SIT infinitè diffusus.

335 ESSE in se ipso, ad modum aëris diffusum in infinitum, plus, & plus, sine limite, extensumque virtualitèr in ordine ad se, à nobis tenendum est. Pro quo nota; quòd sicut quantitas, dicit duas extensiones formales, vnam in ordine ad se, per quam vna pars est extrà aliam: item aliam in ordine ad locum: sic Deus est diffusus in ordine ad se, antecedentèr ad correspondentiam ad locum (imò etiam si nullus esset locus) diffusione sui substantiali, virtuali. Et quando adest creatura, fit de nouo illi correspondens, & præsens. Primam sui diffusionem habet Deus, non solum intrà mundum, sed etiam extrà ipsum in infinitum, itavt si creet hodie alium mundum, vt correspondeat de nouo

illi, tanquam loco; non eget extensione vlla noua, in ordine ad se; nec ire de isto mundo ad illum, quia iam erat sufficientissimè, & infinitè extensus, & diffusus.

336 Non enim se habet Deus intrà hunc mundum, sicut se habet anima rationalis intrà corpus pueri, quæ si corpus crescit, ipsa debet de nouo extendi, vt possit illud informare. Sed se habet Deus, sicut si anima pueri esset etrà puerum extensa, tota illa extensione, quàm habebit factus vir: itavt anima in eo tunc, non egeret extendi in ordine ad se, sed solum, aucta materia, de nouo informare illam.

337 Hæc assertio est contra aliquos Doctores, asserentes, quòd sicut anima pueri, vt informet partes de nouo aduenientes, in seipsa debet extendi, similitèr Deus. Prob. tamen conclusio nostra. Quia Scriptura, & Patres sæpè docent Deum à cœlis non capi, & præcipuè 3. Reg. 8. Ergo, quia eius extensio, amplior est toto cœlorum ambitu, imò, & toto mundo. Vndè D. Dionysius cap. 9. de Diuinis, nomin. ait: *Deum omnia penetrare, & supra omnem magnitudinem, se diffundere*. Ecce expresè diffusionem extrà mundum, quàm defendimus.

338 Confirmatur; quia Verbum Diuinum, licet sit humanitati, præsens, est tamen adhuc extrà illam, in se ipso diffusum magis, & magis, vt videre poteris optimè explicatum à Magistro Arana in suo Indice Morali. Verbo: *Presencia de Dios*. Hoc ipsum cernitur in Eucharistia. Consecratis enim formis in diuersis locis, Verbum, quòd per concomittantiam est sub vna, etiam erit sub alia in alio loco, quin egeat ire de hoc, ad illum.

339 2. Ratione, quia si alius mundus produceretur, Deus esset in illo; & in illo spatio à nobis ficto, mediante inter vtrumque mundum, nam aliàs, esset discontinuatus. Nec dici posset, esse per virtutem in medio: quia hoc solum est, posse esse; non verò esse sufficiens, tollere discontinuationem. Insuper esset in illo alio múdo. Atqui non esset in il o transeundo ad illum, nam impotens est transire per motum localem de hoc ad illum; nec per

repro-

reproductionem sui in alio loco, sicut reproducitur, & replicatur anima rationalis, in nouis partibus alimenti. Ergo esset in illo, quia supponeretur iam, diffusus in infinitum, extrà mundum. Confir. à paritate diffusionis in ordine ad se, & ad locum, in quantitate. Prima autem Deo conuenit necessariò, vtpotè independens à creaturis; licet enim, mundus non esset, Deus esset. Ergo licet non sit, potest esse diffusus, in ordine ad se. Sicut Angelus, & homo, possent in spatio imaginariò, esse diffusi in ordine ad se, quin in ordine ad locum: Ergo talis diffusio conuenit Deo, sempèr, & actu; quia quod necessariò conuenit, sempèr conuenit.

340 Obijcies, Deus non est in spatijs imaginarijs. Ergo, nec extra mundum diffusus. Nego conseq. de quo infra, art. 5.

341 Obijcies 2. Quando puer crescit, anima ipsius, non supponitur extensa, & diffusa, adhuc in ordine ad se, sed diffunditur tunc, in ordine ad se, & in ordine ad materiam nouam, per nouam informationem. Ergo Deus, ante alium mundum, non supponitur diffusus, sed diffunditur, & simùl incipit inhabitare nouum mundum. Concesso antecedenti, nego conseq. Disparitas est. Tùm quia, cũ anima sit, ex se, forma corporis; non potest esse in illo, nisi informando illud, & non extra. Tùm, quia animæ competit, posse moueri localitèr, & ire, de loco ad locum: vel per adductionem, vel per reproductionem, causantem in illa, nouas replicationes: quæ omnia Deo repugnant.

ARTICVLVS III.

PER QVID DEVS, SIT FORMALITER, præsens rebus.

342 PRima sententia asserit, quòd per diffusionem, & immensitatem. Ita Recentiores. 2. Quòd per operationem, & influxũ in ipsas res. Ita Themistæ,

qui, non sunt intelligēdi, de præsentia, per operationem, exclusa immensitate, sed præsuppofita. Eſt autem duplex difficultas. Prima. An ex operatione, probetur benè, intimitas, & penetratio Dei, cum rebus; siue præsentia immensitatis. 2. Difficultas. An etiam sit præsens rebus, per ipsam operationem.

343 Noto ex Ariſtot. mouens, & motum, debere eſſe ſimùl loco: ſimùltate, & immediatione virtutis; id eſt producens, & productum. Quòd patet experientia; quia, siue agens operari poſsit, in paſſum diſtans: siue non poſsit, certiſsimum eſt; quòd virtus ipſius agentis, debet physicè tangere ipſum paſſum. Sic Sol, dum operatur metala in viſceribus terræ, producit illa, per calorem ad viſcera terræ miſſum; tanquam per virtutem operantem, nomine Solis. Hoc poſito. Pro reſponſione ad primam difficultatem.

344 Aſſero 1. Ex operatione Dei, benè probatur præſentia intima Dei in omnibus rebus. Ita D. Thom. & alij plures. Prob. 1. ex ſcriptura. Paulus enim inquit, actorum 17. *Quòd Deus, non longè abeſt ab vnoquoque noſtrum.* Ecce præſentiam Dei in nobis. Cuius præſentiæ probationem, addit ſic: *In ipſo enim, viuimus, mouemur, & ſumus*; id eſt, vt explicant Patres, *per ipſum.* Inſuper Dauid Pſal. 138. probat, Deum eſſe in cœlo, in inferno, & vbique, ſic: *Si aſcendero in cœlum illic es. Si deſcendero in infernum, ades. Etenim* (ecce probationem) *illuc manus tua, deducet me, & tenebit me, dextera tua*; id eſt illic operaris.

345 Secundò, probatur ratione. Agens nequit operari, abſque eo quod virtus ipſius, tangat phyſicè id, quod, vel in quo operatur; atqui virtus Dei, eſt realitèr ipſe Deus: ergo ſi ex operatione, benè probatur præſentia virtutis; etiam benè probatur præſentia phyſica ipſius Dei. Maior patet, etiam de actionibus tranſeuntibus (nàm de immanentibus, non eſt dubium) quia elementa, non operantur, niſi virtus eorum perveniat ad paſſum: & animal, non generat aliud animal, niſi ſaltèm ſemen,

ſemen, vt virtus ipſius, procedens ab ipſo, ſit immediatè præſens fœtui, in vtero.

346 Nec dicas, Deum poſſe agere in diſtans; virtute à ſe miſſa, in paſſum; ſicut poteſt producere gratiam, medijs inſtrumentis, & ſicut Sol in viſceribus terræ: ergo tunc, benè ex operatione, inferetur præſentia phyſica virtutis; ſecùs præſentia phyſica Dei. Contrà, quia nullus eſt effectus, in quem Deus non influat, quatenùs eſt cauſa prima; atqui virtutem cauſæ primæ, vt talis, nequit Deus creaturæ alicui communicare, quia eſt ex reſervatiſsimis Dei: ergo hoc munus, debet exercere, per virtutem omnipotentiæ ſuæ, & non per aliam: ergo ſicut talis operatio, benè probat præſentiam intimam virtutis, & omnipotentiæ, ita, & Dei: & licet poſsit vti creatura, vt inſtrumento, non verò, vt cauſa prima. Tunc ergo; & inſtrumenti, & cauſæ primæ ſimùl, exercet cauſalitatem; quæ vt procedit ab inſtrumento, probat ſolam præſentiam virtutis: provt à cauſa prima, virtutis, & ex illa formaliſsimè, præſentiam ſuppoſiti. Ex quibus patet, diſparitas ad Solem, & aliàs cauſas ſecundas.

347 Nec obeſt, ſi dicas. Deus eſt virtutis infinitæ: ergo ex hoc capite, poteſt agere in diſtans: ergo operatio, vt talis, licet ſupponat materialitèr immenſitatem, & præſentiam; ſed formalitèr, non infert, nec probat illam. Nego conſequentiam: quia à ſua infinita perfectione habet, quòd ſit ita diffuſus, vt nequeat eſſe diſtans, licet poſsit facere, quòd agens creatum, operetur in diſtans: quia huic, non repugnat diſtantia ſuppoſiti, ſecùs operationi, à virtute cauſæ primæ vt talis, procedenti.

348 Nec 2. Vel operatio immediata, probans præſentiam, eſt immediata immediatione ſuppoſiti; vel virtutis? Si ſuppoſiti, probatio ſupponit, quòd erat probandum. Si immediatione ſolum virtutis; ex hac, non ſequitur immediatio ſuppoſiti, vt patet in Sole: ergo eſt bona probatio. Reſp. probationem loqui de immediatione virtutis, & ex hac probatur, per legitimas con-

sequentias connexas, immediatio suppositi, & præsentia: & sic non supponitur probandum, sed probatur.

349 Quo autem pacto, operatio inferat præsentiam physicam Dei? Respondetur, distinguendo in Deo duas præsentias: vna potentialis quæ est ipsa diffusio in ordine ad se, & est præsentia in actu primo, (est enim ipsa immensitas, quę non est pręsentia in actu secundo, ad locum; sed potiùs est ipsa vis repletiua loci, siue ratio in actu primo, essendi in illo) quæ prærequiritur, ante productionem creaturæ. Alia actualis, per quam iam est præsens actu, creaturæ. Secundam, probat operatio, & probat à priori: quia cum ratio, vt Deus sit in actu secundo intimè, in creatura, sit quòd eam produxerit, prius est producere illam, quàm intima coexistentia cum illa, & in illa. At, diffusionem Dei, in ordine ad seipsum, probat à posteriori, idest, ab effectu: quia si Deus operatur extra mundum, v.g. diffusus erat: vt posset absque mutatione sui, producendo alium mundum, illi coexistere.

ARTICVLVS IV.

DE RATIONE FORMALI PRÆSENTIÆ Dei in loco.

350 Loquimur iam, de ipsa præsentia Dei in actu 2. Quæ, adhuc potest esse duplex, loquendo de præsentia physica: nempè negatiua, & positiua. Illa, est indistantia, siue penetratio Dei cum rebus, per intimitatem in ipsis. Ista, est contactus intimus, & positiuus physicus, inter Deum, & creaturam, vt diximus art. 1.

351 Thomistæ, communitèr docent, Deum omnibus rebus esse formalitèr, & in actu 2. præsentem, per operationem. Vndè, videntur, non aliam agnoscere pręsentiam Spirituum, in loco; nisi per operationem.

352 Assero 1. Spiritus potest esse in loco per præsen-

sentiam indistantiæ, penetrationis, siue intimitatis, distinctam ab operatione. Ita Recentiores communitèr Prob. 1. Quia nulla est repugnantia, in eo quod Angelus, sit physicè indistans à corpore; v.g. à cœlo Impyreo, vel à spatio medio, per quòd transit, dum venit ad nos, quin in illis operetur aliquid; sicut anima D. Petri, potest corpori infundi, quin ei vniatur, vel in eo operetur. 2. Si per impossibile, daretur extrà mundum, aliquod ens distinctum à Deo, & non productum ab ipso; Deus esset præsens illi, & intimus, intimitatè penetrationis, & indistantię solius.

353 Tertiò, Angelus est in rebus antè operationem. Patet. Hæc est differentia inter Deum, & Angelum, quòd Deus ponitur in rebus, producendo illas, & pro posteriori: sicque, diuina operatio, sicut est fieri creaturæ, est fieri denominationis, præsentis. Vndè, operatio Dei, non supponit creaturam, sed facit: & faciendo, tangit physicè & quasi resultat ex productione in fieri, creaturam esse à Deo, physicè tactam, *in facto esse*, Deumque coexistere, & penetrari, cum illa.

354 Sed Angelus supponit corpus, vt posit operari in illo, educendo aliquod accidens, de eius potentia: cumque nequeat operari in distans, necessariò debet supponi penetratus, atque indistans ab illo: ergo, licet postea fiat positiuè præsens per contactum operationis; supponebatur antea, præsens per indistantiam.

355 Assero 2. Ratio formalis, pręsentię positiuę Dei in rebus, est operatio. Ita D. Thom. Prob. 1. Quia pręsentia positiua, est illa forma, per quam locatum, & locus, se immediatè tangunt formalitèr; in rebus corporeis tactu quantitatiuo, continentis, & contenti; in spiritualibus, contactu virtutis, quæ facit, vt sint tangens, & tactum; atqui, non datur alius contactus virtutis positiuus, nisi productio: ergo stat in productione. Confirmatur. Specialis præsentia physica Dei in Christo, est per vnionem: in iustis, per gratiam, & in beatis, per gloriam: petentes vltimatè, vt Deus, non solum affecti-

uè,

uè, & intentionalitèr, sed physicè, sit ibi vltimatè, nouo titulo: ergo operatio est ratio formalis existentię Dei specialis, in ipsis: ac per consequens, & in alijs rebus.

356 Nec obest 1. Quòd Deus sit præsens omnibus per essentiam: ergo essentia est ratio. Nego consequentiam, nàm ly per essentiam, significat immensitatem, à differentia essendi per omnipotentiam, & præsentiam intentionalem: non verò, quòd essentia sit ratio formalis. Vel significat ly *per essentiam* potentialitèr, & radicalitèr; quia illa facit, vt si res existant, Deus necessariò, sit negatiuè, præsens illis per indistantiam, & positiuè, per operationem, tanquam per contactum.

357 Nec 2. Existentia Dei in rebus, est posterior operatione, & resultat ex illa, sicut totum ex vnione: ergo non est ratio formalis. Dato antecedenti de resultantia, quasi prædicamentali. Distinguo consequens: operatio sumpta vialitèr in fieri, non est ratio formalis præsentiæ, concedo: operatio sumpta in facto esse, non est ratio formalis, nego. Etenim, cum omnipotentia, & immensitas Dei, sint attributa diuersa, necesse est; quòd operatio diuersimodè illis correspondeat. Omnipotentię quidem, in genere causę efficientis, & vt est *fieri* creaturæ. Immensitati verò, *in facto esse*, & quatenùs Deus est tangens intimè physicè, & creatura tacta, *in facto esse*; atque, eo ipso habent indistantiam. Operatio ergo Dei, non invenit locum; sed facit: eoque facto, intelligitur præsentia, per contactum, & indistantiam.

ARTICVLVS V.

AN DEVS SIT, ACTV PRÆSENS SPAtijs imaginarijs.

358 DVplex est sententia. Prima affirmat, & probat ex scriptura, & Patribus, asserentibus Deum, non capi à mundo, sed esse extrà illum. Item rationibus, quibus probauimus art. 3. Deum esse in infini-

nitum diffusum. Nunc sic: Deus est extrà mundum; atqui extrà illum, nihil datur, nisi spatium imaginarium: ergo est in spatijs imaginarijs.

358 Secunda sententia oppositum tenet. Ita Thomistæ, & probant; quia Deus, non est in aliquo, nisi per physicam operationem; atqui in illis spatijs, nihil operatur: ergo non est in illis. 2. Quia spatium imaginarium, nihil habet de spatio; sed est purè imaginatum, & fictum, & ens rationis. Deus autem, non est in ente rationis. Quando autem, Patres dicunt, esse extrà mundum, intelligitur per potentiam in actu 1. quæ non limitatur ad hunc mundum; sed potest operari in alio, & in alio; sed de facto non est ibi, quia nihil operatur.

359 Nota 1. Spatium imaginarium, esse purum nihil: nam non est priuatio, quia non est carentia in subiecto apto. Nec est non repugnantia loci. Patet, quia non repugnantia, non aufertur per productionem loci; atqui *illud nihil*, per alteriùs mundi productionem aufertur: ergo non est, non repugnantia; sed purum nihil. Nota 2. Hoc *nihil* concipi à nobis, ad modum cuiusdem spatij dilatissimi, & obscurissimi. Vndè non est ens reale, sed fictum. Nota 3. Nostrum concipiendi modum, ita esse addictum, ad concipiendas res in loco, vt non possit concipere rem existere, nisi concipiat esse *alicubi*; saltèm in vltimatè. Potest autem vltimatè, noscere rem existentem, & extensam in ordine ad se, quin correspondeat loco, si non detur.

360 Assero 1. Deum esse diffusum verè extrà mundum, substantiali, actuali diffusione, in ordine ad se; non verò ad spatium imaginarium. Et sic, non est præsens illi. Primam partem teneo, cum prima sententia, & iam est probata satis, art. 1. Secundam, probo. 1. Quia tale spatium est quid fictum. 2. Quia licet esset reale, *nihil*: tamen, de spatio, nullam rationem habet: quia duplex potest concipi continentia, vna, corporum per superficiem, alia spirituum per physicam penetrationem, & coexistentiam, vel per contactum.

361 De

De prima, nihil habet: quia nec est corpus, nec superfities. Nec de secunda; quia penetratio, & coexistentia, est inter verè existentia, & inter se indistantia. Nec de tertia; quia non terminat operationem, nec contactum: ergo quod tale *nihil*, habet de continentia (actiua, vel passiua) est purè imaginatum, & fictum; & Deus, licet non possit nosci à nobis invltimatè, nisi vt in illis, verè non est in illis.

362 Ad argumenta primæ sententiæ, respondetur, esse extrà mundum actualitèr, per substantialem diffusionem, in ordine ad se: secùs in ordine ad aliquod spatium, quia nó datur. Vndè est absolutus, & liber ab omni correspondentia, & indistantia, & penetratione, & contactu ad locum; quia hic, non datur nisi fictè, & imaginariè, & invltimatè. Si dicas: vbi ergo est Deus, & *erat* ante mundum conditum? Quidam respondent in seipso: sed falso; quia licet esset ipse, sed non in se tanquam in loco. Nullibi ergo erat: quia nullum ibi est, *vbi*: sed diffusus erat in ordine ad se. Adverte hæc valdè, & de imaginatione invltimata fingente, cura; vt per rationem corrigatur.

QVÆSTIO X.

DE IMMVTABILITATE DEI.

ARTICVLVS I.

DE PHYSICA.

363 NOTA 1. Mutationem, siue motum, esse *actum entis in potentia, proVt in potentia.* Duo ergo dicit, & actuationem nouam intrinsecam; & ex parte subiecti, potentiam, vel potentialitatem, siue vacuitatem (quàm explicui disp. 1. de Incarnatione.) Vndè Verbum Diuinum, licet intrinsecè, & de nouo terminet vnionem, non mutatur; quia caret potentialitate: & potiùs

se

ſe habet, vt humanitatem ſuſtentans, & murans.

364 Nota 2. Creaturam, mutari phyſicè. 1. Per tranſitum à poſsibilitate ad exiſtentiam, mutatione formali; quę prouenit effectiuè à cauſa efficienti. 2. Per receptionem noui actus, ſiue amiſsionem: quæ eſſentialitèr petunt compoſitionem. 3. Per motum localem. Deus ergo, eſt immutabilis, & oppoſitus mutabilitatibus iſtis.

365 De fide ergo eſt, Deum eſſe phyſicê immutabilē. Conſtat ex illo Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor*. Iacob. 3. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio*. 2. ratione. Cum enim Deus, ſit eſſentialitèr ens neceſſariū, & à ſe; repugnat ei, tranſitus de poſsibili ad exiſtentē formalitèr; quia eſſentialitèr eſt ſempèr exiſtens; & quia eſt ens à ſe, nequit ab alio fieri effectiuè, exiſtens. Cum ſit actus puriſsimus, & ſimpliciſsimus, eſt incapax compoſitionis. Cum ſit immenſus, & infinitè ſubſtantialitèr diffuſus in ordine ad ſe, eſt incapax motus localis.

366 3. Ex infinitate probat. Quia cum ſit ſimplicitèr infinitê perfectus, debet omni carere defectu. Eſſet autem defectus, ſi aliquando careret exiſtentia, & poſset, vel adquirere, vel perdere. Similitèr, ſi poſſet aliquam perfectionem adquirere, vel aliquam diffuſionem ſui eſſe, vel etiam ſi poſſet perdere· iam in ipſo, aliquando eſſet defectus iſte. Repugnat ergo Deo vtraque mutatio: ſubſtantialis, quoad exiſtere; accidentalis, quoad perfici: quia eſt contra infinitatem.

367 Infero repugnare creaturam immutabilem, quolibet ex his modis. Patet ex Scriptura; quia in loco Malach. *Ego Deus, & non mutor*. Ly *Ego*, manifeſtè denotat differentiam Dei à creatura. Inſuper, quia 1. ad Timoth. 6. dicitur: *Qui ſolus habet immortalitatem*, ideſt, immutabilitatem. Ratione prob. quia cum creatura, non ſit ens neceſſarium, nec à ſe: poteſt ab alio accipere exiſtentiam, & deſtrui. Cum non ſit actus purus, eſt compoſitionis capax, & adquirendi perfectionem, & amittendi. Cum nulla ſit per eſſentiam, immenſa; poteſt extendi localitèr (etiam ſi eſſet infinita) vel localitèr contrahi: vnde eſt capax mu-

ta-

rationis substantialitèr, & accidentalitèr. Confirm. quia hæc immutabilitas, est proprijssima Dei quarto modo: & omnis creatura de se, est contingens, & defectibilis, capax transeundi, de possibilitate ad existentiam, vel è contrà. Et similitèr capax compositionis.

368 Nec dicas: non repugnat creatura, quæ per seipsam, sit sua existentia, sua subsistentia, & sua cognitio: ergo non repugnat creatura strictè immutabilis, provt motus dicit actum in potentia, provt in potentia. Anteced. prob. quia adhuc esset creatura, cum sit ens ab alio. Resp. neg. antec. quia esset creatura vt supponis, & non esset; siquidem haberet perfectiones, & incohationes specialissimas Dei, & proprias ipsius, quarto modo.

ARTICVLVS II.

DE IMMVTABILITATE MORALI:

369 IMmutabilitas moralis, est illa, per quam Deus est animo constans in suis consilijs, & decretis. De fide est hæc etiam immutabilitas; constatque, ex locis Scripturæ adductis. Ratione autem prob. quia mutari quantum ad hoc, arguit, vel ignorantiam ab æterno, vel saltim animi leuitatem.

370 Obijcies. Deus odio habuit Petrum negantem; atqui postea amat pœnitentem, & amicum: ergo cessauit odium, & aduenit amor: factaque est in voluntate mutatio. Respondent communitèr, quòd ab æterno, simù habuit, & sempèr habet odium negantis, & amorem pœnitentis; quemlibet, pro suo tempore: sicut ab æterno habuit simùl vtramque cognitionem de negatione, & de pœnitentia pro diuersis temporibus. Sicut enim qui longam ingreditur nauigationem, si est in illa duraturus, per tempus Quadragesimale, & carnale; præuenit diuersos cibos; vnumquemque pro suo tempore, in ingressu nauigationis; sciens quod in itinere non inueniet. Sic Deus prouidit sibi de amore, & odio ab æterno, vnumquemque

pro

pro suo tempore: sciens, quòd in tempore adquirere non poterit.

371 Sed contrà. Tùm, quia Deus pro tota æternitate esset simùl amicus, & inimicus Diu. Petri in corde suo, & hodie, sicut dum negabat. Ratio est, quia amor amicitię, & odium, attendunt ad personam, tanquam ad obiectum materiale, & formale, & non ad tempus, & personæ, sempèr esset inimicus. Tùm, quia nunquam daretur remissio habitualis peccati. Quia túc desinit perseuerare moralitèr, quando desunt, effectus speciales ipsius, nempè odium, & indignatio. Stat enim condonatio, in communiori sentētia, in cessatione horum effectuum: qui tamen iuxtà hanc solutionem, nunquam cessant.

372 Nec dicas iterùm, desinere esse, pro tempore pœnitentiæ. Contrà. Tùm, quia, si solum desinunt sic, in nullo verò sensu desinunt; quia secundum actum amandi, vel odio habendi per vos, non desinunt; atqui, nec secundum terminationem passiuam: siquidem nunquam Deus odio habuit Petrum, pro tempore pœnitentiæ, sed pro tempore negationis; & modò de facto, negatio pro suo tempore, æquè terminat passiuè, & obiectiuè, odium nunc; quàm terminabat antea. Ergo circa perseuerantiam odij, nulla omninò mutatio, vel desinentia facta est: ergo peccati habitualis perseuerantia, in nullo immutata est.

373 Respondet Arriaga, Deum sempèr manere amicum, & inimicum personæ, pro diuersis temporibus, ex parte obiecti; quòd non contingit in nobis proptèr limitationem nostram; & quia difficilè separamus tempora. Addit insuper, idem Auctor, Deum nunquam remittere peccatum, respectiuè ad tempus negationis, sed pro tempore conuersionis. Sed contrà: ergo Deus hodie, tam est inimicus D. Petri, quoad personā, & tam indignatus, quā erat dum negabat; ac per consequens, peccatum tunc commissum (habensque perseuerantiam in solis effectibus, nempè indignatione, & odio, respicientibus personam Petri, provt in illo tempore) æquè hodie perseuerat; quia in odiendo Petrum, provt in illo tempore, nulla facta est muta-

mutatio, siquidem semper odio habet pro tempore negationis, & in hoc, nihil est innouatum; ac per consequens, nec facta peccati remissio.

374 Hanc, communis sententia ideò tuetur, solutionem, ne in Deo mutationem aliquam admittat; existimans sequi, & moralem, & physicam. Moralem, quia desinit esse inimicus eius, cui inimicus erat. Physicam, quia liberè physicè cessaret ab odio, transiretque ad physicè, liberè amandum.

375 Assero, hunc transitum cadere in summam Dei constantiam, nec habere mutationis imperfectionem. Non physicam. Prob. Quia cum actus liber, stet solum in terminatione, virtualitèr distincta; per quam Deus non mutatur physicè. (Patet, quia in omnium sententia, potuit hęc terminatio non esse in Deo, nec tamen ei deficeret, aliquid formale physicum, quod modo habet) nulla physica mutatio resultat, ea deficiente, vel de nouo adueniente; sicut nec per denominationem Creatoris, & Domini in tempore. Nec in rationali, adueniente dissimilitudine cum Leone: licet relatio, consistat intrinsecè, vt vult Suarez, in solo fundamento.

376 Nec mutatio moralis firmam, qui decreuit firmitèr amare Petrum bonum, & fugere Petrum malum, tunc censetur magis constans, cum Petrum dum est malus, odit; & dum est bonus, amat: ergo iste transitus virtualis, non est inconstantia. Imò inconstans videretur, & non firmus, qui ęquè esset onustus in corde, odio, & amore ad ipsum, dum est malus; & ad ipsum, dum est bonus; & quod odiê, æquê Diu. Petrus, odio habeatur in cælo, ac odio habebatur, dum negabat in Prætorio.

377 Hoc ipsum, vrgetur in intellectu: quia Deus ab æterno vidit, rerum futuritionem, præsentiam, & pręteritionem; quamlibet pro suo tempore; & licet existentem in mensura communi æternitatis, futuram tamen, prout in propria mensura: ab æterno autem, non vidit Adamum, iam existere physicê, & exercitê in propria mensura. Modò sic: In initio mundi, vidit Deus iam existere

exer-

exercite;& ita iudicauit: ergo habuit cognitionem,quæ non erat ab æterno.

378 Dices,ab æterno vidisse præsentiam, exercitam pro suo tempore in propria mensura. Contra, quia ab æterno solùm erat futuritio, & præsentia obiectiua, & exercenda in propria mensura,nō verò exercita,& physicè præsens. Hęc autem petunt diversas cognitiones,& iudicia , saltim in modo tendendi,& enuntiandi. Nam vnum dicebat: *Adamus respectiuè ad propriam mensuram erit.Non dum est.Non dum aduenit,sed aduenit.* Alterum dicebat:*Respectiuè ad propriam mensuram , iam venit, iam adest in existentia exercita,& non solùm obiectiuè adest, sed exercitè adest.*

ARTICVLVS III.
SOLVVNTVR ARGVMENTA , ET PRÆCIPVVM de actu libero Dei.

379 OBijcies 1. Indè sequi , Deum nouisse in tempore aliquam veritatem,quam non nouit ab æterno. Nego sequel.quia omnem veritatem ab æterno nouit præscindens solùm à cōcreto præsentis vt exercitè pręsentis.Exprimere autem,& significare,velut absolutè præsens,& exercitum; vel vt iam exercitum exercitè,non addit diuersum obiectum,sed solùm diversum modum significandi eandem veritatem, petitum ab aduentu obiecti.

380 Obijcies 2.Ab æterno nouit omnem veritatem: ergo existentiam physicam Adami exercitam , & exerceri in concreto,& aduenisse,quia totum hoc est verum. Distingo consequens:exerceri,& aduenisse respectiuè ad suum tempus , concedo , siue in concreto sui temporis. Absolutè,& in cōcreto sui temporis,vt iam pręsentis,& vt iam exerciti,quando affirmatur,nego.Tale enim iudiciū: *Adam iam est productus in propria mensura*;quatenùs dicit modum enuntiationis specialē existentię,iam exercitę,quando iudiciū profertur;ab ęterno esset,falsū,

381 Obijcies 3. Deus ab ęterno odio habuit malum; & amauit bonum. Quòd patet. Tùm ex Scriptura: *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Tùm, quia voluntas Dei nequit eſſe ſuſpenſa, ne detur in ipſo pura omiſsio: ergo ab æterno, dantur in Deo affectus omnes, quin vllus adueniat in tempore. Reſpondeo in Deo dari duplicem actum, tàm in intellectu, quàm in voluntate. Vnus, qui non pendet per ſe ipſum, & ex ſpecialiſsimo modo enũciandi, ab exiſtentia rei, prout exercita exercitè; ſicut pendet alius. Primi generis ſunt, volitio, & amor efficax dandi vni auxilia efficatia gratiæ, & nolitio dandi alteri. Et ſimiliter, enunciationes ſimplices intellectus. Iſtę non pendent ab exiſtentia prout exercita exercitè. Secus affectus amicitiæ, & inimicitiæ, qui non poſſunt eſſe niſi de perſona prout exercitè iam bona, vel mala in propria differentia temporis. Item, enunciatio illa: *Adamus in propria ſua menſura iam venit, quando ego profero.* Primi potuerunt eſſe ab æterno, ſecus ſecundi.

382 Ratio valdè notanda eſt, quia iſti vt dictum eſt fundantur in ipſa exiſtentia rei prout exercita exercitè. Ad primos autem ſufficit exiſtentia, vel obiectiva, vel in aliena menſura. Confirmatur hoc: Quia hæc propoſitio in Eſaia: *Ecce Virgo concipiet*; erat veriſsima, & in nobis nomine Eſaiæ, & reſpectiuè ad tempus ipſius. Reſpectiuè verò ad tempus noſtrum eſt falſa, & hæretica, & vt talis noſcitur à Deo. Ergo affirmare conceptionem Chriſti, prout iam venit, noſcitur à Deo, quod eſt diverſiſsima enunciatio, ac præciſsè, enunciare illam, reſpectiuè ad tempus Eſaiæ. Cum enim lij: *Iam venit,* fundetur in exiſtentia exercita prout exercitè, hic modus enunciandi, repugnat totalitèr veritati, niſi fundetur in re, prout in propria menſura exercita, & exercitè.

383 Hinc fit 1. Quòd neque in Deo poteſt eſſe talis modus enunciandi, niſi poſtquam res iam eſt in propria men-

mensura, & exercitè. Fit 2. in his posse Deum transire de vno actu ad alium, quando nempè fundantur, in re prout nō perseuerante: Si enim, non perseueret, ipsa constantia Dei petit actum variari: nempè, amando Petrum propter ipsum dum est sanctus, & odio habendo, dum est peccator: Affirmando de Petro, quod iam existit, dum existit, & affirmando, quod iam non existit, dum non existit.

384 Obijcies tandem argumento desumpto ex actu libero Dei. Vna volitio potuit à Deo deficere, & alia aduenire. Ergo aliquid Dei potuit deficere verè: ergo Deus est mutabilis, sicut creatura. Nota valdè ex num. 163. In Deo aliqua esse de formali, & aliqua de virtuali. Volitio libera est ipsa necessaria, vt terminata actiuè ad creaturam, cum potuerit non terminari. Volitio, est de formali. Terminatio, de virtuali, de æquiualenti, siue de munere; quia quantum ad hoc æquiualet libertati creatæ, sublatis imperfectionibus. Distingo ergo antec. Volitio deficit, secundùm quòd dicit de formali, nego. De virtuali, siue de munere, concedo. Hoc autem, nec est aduenire, nec deficere aliquid formale. Sicut autem rationale, non mutatur intrinsecè, aduenia, vel deficiat illi dissimilitudo cum Leone, sic nec Deus, &c.

385 Replicas, munus vt tale, & vt terminatio activa deficit: Atqui vt sic imbibit volitionem formalem Dei: ergo aliquid Dei, deficit. Sed nota non valere argumentum ab imbibente ad imbibitum. Vide in quæst. 1. de visione in solut. argument. Nego ergo consequentiam, quia potest deficere imbibens, quin deficiat imbibitum. Sic quotidie deficit homo, & non partes eius. Respond 2. imbibere volitionem, non solam, sed aliquid plus, nempè munus: & istud est quod deficit.

386 Replicas 2. Istud plus imbibit aliquid Dei; & est aliquid Dei: ergo deficit aliquid Dei. Resp. Istud munus imbibere aliquid Dei, addendo aliquid, non quidem aliquid aliquotum, siue perfectionē designabilē, & distinctā à volitione, sed aliquid proportionale, siue rela-

tionem, & combinationem ad creaturam, quæ relatio vt talis semper imbibit ipsam formalem Virtutem Dei, addendo aliquam terminationem, tanquam aliquid proportionale, & inadæquatum, & non habens esse per se, nisi prout imbibit volitionem Dei. Deficit ergo illud plus: non secundum adæquatum, sed secundum inadęquatum, & proportionale, & deficit aliquid Dei, non quod sit formale Dei, sed virtuale Dei. Et sic non datur mutatio.

387 Hæc eadem doctrina explicatur magis in petreitate reduplicatiuè vt tali, quæ vt talis, quantumcumque reduplices, est singularitas, sed non sola, sed aliquid plus. Non quidem *Plus*, singularitatem virtualitèr excludens, sed potiùs includens, addensque supra *illam*, non nouam formalitatem designabilem, sed novam, & expressiorem, quasi proportionalem terminationem, quæ vt talis non est in Paulo. Licèt secundnm totum conceptũ formalem singularitatis sit in Paulo. Ad hunc fere modum terminatio libera Dei addit aliquid plús, non quidem formalitatis, sed muneris.

QVÆSTIO XI.

DE ÆTERNITATE DEI.

388 IN hoc de attributis tractatu studui hucusque brevitati, sed in hac de Æternitate quæstione diffusior ero, tũ in disputando, tùm in exemplis sensibilibus (quorum pleraque fortè videbuntur superflua) declarando. Nec miremini, quia cum per plures menses huic difficultati incubuerim percipienda, plura occurrerunt: sed nec illis, nec alijs meas quiescere, adhuc potuit, nec rem calere, nec adhuc potest. Si plura quam par est, inculcauero, parcite arduitati materiæ. Parcite, & captus mei tenuitati.

***

ARTI-

ARTICVLVS I.
DE DEFINITIONE ÆTERNITATIS.

389 DVplex est Æternitas, vna intrinseca, & est attributum, & perfectio intrinseca Dei reddens illum sine principio, & fine durantem, & est indiuisibilis, & tota simul. Alia extrinseca, & est tempus imaginarium (siue reale si daretur) successiuè fluens ab æterno in æternum. Conveniunt æternitas, & tempus, in eo quòd istud primariò est mensura esse creati, illa esse diuini. Valdè inter se discriminantur, cùm illa sit ex se tota permanens; istud sit successiuum. Falluntur que sæpè ingenia, quę æternitatem intrinsecam figurant ad instar successiuæ, & instar temporis.

390 Intrinsecam definiunt Theologi cum Boetio, & D. Thom. *Interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Quæ definitio primarium æternitatis conceptum optimè exprimit. Tùm ex suo specificatiuo, nempè primario mensurato. Tùm, & ex parte sua: illud enim est esse diuinum, siue *interminabilis vita*. Ponitur autem potiùs *vita*, quam *esse*, vt comprehendatur *esse, vita in actu primo; & operatio vitalis in actu secundo.* Quia omnia hæc vt invariabilitèr permanentia includuntur in vita interminabili. Dicitur autem potiùs *interminabilis*, quam *interminata*; quia licèt vtraque vox importet carentiam principij, & finis, interminabilitas excludit illos non solùm actu, sed potentia: *Interminata verò*, solùm actu. Ex parte autem sua æternitas est duratio, siue possessio, & est indiuisibilis, atque instantanea; item, & perfecta, ac per consequens in infinitum extensa, vtpote adæquatiua invariabilitèr totius vitæ interminabilis.

391 Ex vtroque ergo capite fuit per Boetium æternitas definita. Ex primario mensurato per ly *interminabilis vita*. Ex parte sua per reliqua verba: est enim possessio, id est vitæ interminabilis firma, quieta, & tran-

tranquila tentio. Firmitudinem enim, dominio, & tentioni possessio addit. Ly *tota simul*, partes distinctas, & successiuas excludens, indiuisibilitatem, instantaneitatem, atque permanentiam eius in ordine ad se exprimit. Additur ly *perfecta* ad excludendum, *nunc temporis*; quòd est possessio instantanea, sed non totius mensurati, nec perfecta, sed imperfecta, & partialis. Si autem æternitas, perfecta vitæ interminabilis duratio est, longissima, & vastissima ab æterno in æternum, & infinitè extensa in ratione mensuræ esse debet, vt correspondeat mensurato æterno. Vndè est duratio Dei simul, hodierna, externa, & crastina simul in ordine ad se.

392 Nec obstat contra definitionem. 1. Quòd Angelus ab æterno productus esset interminabilis. Nego, sed interminatus, cum immutabilis non sit: Interminatus autem non esset omnino, sed quo ad esse, non quo ad vitam in actu secundo, cum adhuc haberet cogitationes volubiles. Nec 2. Quòd in Scriptura dicitur de Christo; *Et egressus eius à diebus æternitatis*: Ergo hæc dicit successionem, nam est *multi dies*. Nego consequentiam de successione in se, sicut eam claudit tempus, quia solùm æquiualentèr est dies multi. Nec 3. Quòd *nunc temporis* etiam est indiuisibilis, & instantanea possessio rei. Concedo, sed non tota, nec perfecta, sed est duratio incohata.

ARTICVLVS II.
DIFFERENTIA ÆTERNITATIS AB ALIIS durationibus.

393 PRO maiori intelligentia nota, Duplicem in æternitate virtualem diffusionem, siue extensionem, sicut de immensitate diximus, num. 335. Vna est substantialis & in ordine ad se, extensa in infinitum à parte ante, & post, quæ tamen quo ad se est formalitèr indiuisibilis, & instantanea, & tota simul, sed tam longa sine diuisione, aut successione, vt modo de facto pertingat ab æterno in æternum. Cogitanda enim est instar

his

lineæ,& vt quid verè, & omnino permanens, & diffusſum in æternum,nihil de succesſiuo dicens formalitèr. Et verè ita est. Quòd quia plures non considerant, de æternitate aptum conceptum non formant. Alia est in ordine ad tempora,sicut de quantitate dici solet duplex impenetratio,& extensio, vna in ordine ad se per quam vna pars est extra aliam , & alia in ordine ad locum. Vndè sicut ob diffusſionem substantialem immensitatis extra mundum diximus ibi , quòd si alius mundus produceretur , Deus non egeret ire illuc ad existendum in illo,eo quòd iam ante illum,extra mundum supponeretur in infinitum diffusſus ; ita, vt æternitas correſpondet , & ambiat tempora aduenientia,Deus non eget ire ad illa quando veniant,quia iam est ab æterno diffusus ad illa;imò vltra illa plus,& plus sine termino,& quando veniant,iam invenient illum ibi.

394 Sequitur 1. Quòd licèt æternitas in ordine ad se sit instans quoddam permanens indiuisibile,simul tamen sit interminabilitèr in infinitum , quasi *inflatum* ; taliter,quòd intra illam, quasi ambulent tempora cum tota sua succesſione;ipsa autem cum diffusione sua fixa stet, tempora intra se complectendo, & quasi mensura vniuersalior illa ambiendo,circundando,& claudendo;sicut pallium expansum Beatæ Virginis protegit intra se diuersorum temporum Sanctos, sic æternitas expansa:Imò infinitè superexcedendo , & hoc sine vlla ex parte sui succesſione , aut variatione. Cuius inuariationis ratio, ex D. Thom. sumitur à primario mensurato, quòd est Deus,qui cum sit immutabilis, quidquid habet de facto,semper habuit,& habebit. Cùm enim sit actus purisſimus,& simplicisſimus non habet potentiam transeundi de nõ habente ad habẽt , vel è contra.Et sic,quidquid fuit,& erit,iã modo est,& sẽper fuit:semper enim, & pro semper est existens,intelligens, omnipotens, quin vlla formalitas sit deperdita , vel aucta , vel variata. Oppositum contingit in homine,v.g.in quo pueritia deperditur,& iuventus advenit,hæc transit,& virilitas suc-

cedit. Et propterea non sunt simul in eodem temporis *nunc*, sed vna post aliam; ideòque non possidet perfectè totum esse hominis, sed modo aliquid eius, modo aliud ipsius.

395 Confirmatur: Quia Deus est essentialitèr, & simplicitèr infinitè perfectus: ergo nullum vnquam habuit defectum perfectionis postea adventuræ; nec potest ab eo aliqua perfectio deperdi, cum omnes sint ei essentiales: ergo totum suum esse cum eadem omnino plenitudine (& cum omni quod habuit, habet, & habebit) etiam nunc habet de præsenti. Quia ex Scriptura: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Id est nihil de his, quæ semel habuisti deperdes, nec subibis mutationem vllam in aliquo, quia semper es idem ipse, qui eris, & fuisti: ergo & duratio intrinseca est simul tota.

396 Confirmatur 2. Quia successio ita importat imperfectionem, vt quantum duratio addit de successione, tantum de durationis perfectione destruit. Cum enim duratio dicat permanentiam, & quidquid de successione importet, tollat de permanentia, (successio enim est, vel deperditio esse antiqui, vel adquisitio noui) ideò quantum de successione addit, tantum de perfectione diminuit. Ob hoc igitur æternitas, secundum conceptum primarium debet esse instantanea, indiuisibilis invariabilis, vt conformetur mensurato.

397 Hinc 2. sequitur duplex differentia essentialis eius à tempore. Vna ex parte primarij mensurati. Alia ex parte sua, & quatenùs mensuræ sunt, æternitas enim ab esse divino perfectè toto simul inuariabilitèr, & interminabilitèr, ipsa est duratio tota simul inuariabilitèr, & interminabilitèr. Tempus verò ab esse creato non toto simul, sed parte post partem, ipsum est mensura non tota simul, sed diuisibilis, & successiua (licèt continua) pars post partem, mensuransque secundum prius, & posterius. 3. Infertur, quòd sicut immutabilitatem sequitur tempus, quòd est *numerus* motus secundum prius, & poste-

posterius,ita immutabilitatem æternitas,quæ explicatur nempè ex interminabilitate, eò quòd sit duratio ex se habens carere principio, & fine; & ex immutabilitate per quam caret transitu,& successione.

398 Sequitur 4. Differentia æternitatis à tempore, & ab æuo.Differunt enim primo,ex parte primarij mẽsurati,quia æternitas mensurat,vt dictum est, rem permanentem,& immutabilem actu,& potentia quoad esse, & operari, quin in aliquo permitat transmutationem. Æuum rem permanentem quoad esse, transmutabilem autem potentia,(quia potest, adhuc quoad esse, diuinitus destrui) licèt non actu quo ad esse: transmutabilem autem etiam in operatione, ob volubilitatem cognitionum.Sic Angelus mensuratur Æuo, quia quoad esse, est intransmutabilis actu (secus potentia) in operatione autem de facto transmutatur in cognitionibus. Visio etiam Beata ob eandem rationem mensuratur Æuo; licèt alij addant, quòd ipsa, & non Angelus specialitèr mensuratur æternitate participata, eò quòd visio regularitèr etiam in suis accidentibus intransmutabilis sit, secus Angelus in suis, de quo Lao num. 843. Æuum etiam differt à tempore ex parte sua, quia illud est formalitèr indiuisibile, (licèt sit virtualitèr diuisibile; & propterea Angelus plus durat hodie quam heri; plus inquam, non de duratione formali, sed de virtuali extensione. Lao num. 843.) Tempus verò mensurat rem vtroque modo ex se transmutabilem, tàm quoad esse, quàm quoad operari: siue tale esse sit de durantibus, & permanentibus aliquantulum, (vt homo qui aliquo tempore permanet, tamen natus est ex se mutari actu in esse, & operari) siue de durantibus parum, vel ferè nihil, vt motus localis citissime transiens. Ex parte autem sua differunt æternitas, & tempus, differentijs nuper alatis.

399 Vndè Diuus Thomas optimè docuit,quòd durare rei, summitur penes esse ipsius in actu, id est penes existere; quantum enim res habet de actu esse,tantum

tum habet de durare. Datur autem triplex actus. Vnus, qui est totus actus, & est solus Deus sine vlla potentialitatis, vel mutabilitatis ad mixtione. Secundus est, actus ab alio,& non est totus actus,(licèt sit actus completus in esse naturæ) cum habeat potentialitatem accipiendi ab alio existentiam, vt patet in Angelo. Tertius est, actus incompletus habens potentiæ ad mixtionem dicentis facultatem ad alium, & alium actum in esse naturæ successiuè habendum. Primus mensuratur Æternitate. Secundus Æuo. Tertius Tempore.

400 Sequitur vltimo, quòd hæc Æternitatis indiuisibilitas, & permanentia non impedit, vt dictum est, quòd vt est duratio, eminentèr, & virtualitèr contineat infinitos sinus, & in illis eminenter omnes durationes successiuas omnium rerum: Ita vt in vno sinu sit Adami duratio, & in alio Antechristi. Et sic quidquid tempus dicit per varias successiones, ipsa claudit sub vnico instanti formalitèr indiuisibili, & virtualitèr diuisibili: sicut immensitas indiuisibilis omnia loca diuisibilia superexcedendo replet: & sicut anima rationalis in corpore, quæ est formalitèr indivisibilis, diuisibilitèr virtualitèr membris distinctis correspondet, ita vt in vno discurrat, in alio ambulet. Est igitur quælibet creatura intra expansionem physicam virtualem Æternitatis, singula pro suo tempore, siue pro suo sinu. Sicut Matritum, & Cæsar-Augusta sunt intra expansionem divinæ immensitatis,& grex ouium, eiusque carentia intra virtualitatẽ vnius plateæ: quodlibet tamen pro diversa vastitate, siue sinu. Sic in sinibus præteritis eiusdem Æternitatis, fuit carentia lucis hodiæ productæ à sole; in sinu autem præsenti eiusdem Æternitatis datur existentia eiusdem lucis. Per quos sinus diuersis temporibus correspondet.

***

ARTI-

ARTICVLVS III.
DE ÆTERNITATE INTRINSECA VT EST *duratio, & mensura.*

401 NOta primo: Quòd duratio est communis ad *semper* Æternitatis, & ad *quando*, siue *aliquando* temporis, nempè heri, hodie, &c. Nota 2. Quòd datur duplex duratio rei. Vna intrinseca, siue quasi intrinseca illi, & est ipsa persistentia rei in existendo. Quòd enim existit in vno instanti, durat incohatiuè; perfectè verò, si permanet in alijs. Alia verò est duratio extrinseca, habens se ad rem durantem per modum mensuræ, quasi activè, & vniformis, per eamque metimur, quantum res duret in existendo. Tempus ergo est mensura motuum inferiorum in hoc sensu. De prima solet disputari in Physica, an stet in ipsa existentia rei? An in modo superaddito illi: (eò quòd aliud sit existere, & aliud durare) An in ipsa existentia rei, vt connotante plus, vel minus de tempore mensurante. Omnes tamen de ista duratione docent, quòd se teneat ex parte rei durantis à differentia durationis mensuratiuæ. Nota 3. Quòd duratio mensuratiua, v. g. tempus generalitèr, & vniformitèr mensurans durationem horum inferiorum, est motus primi mobilis continuus, & successiuus. Ratio tamen mensuræ, quæ in illo respectu nostri est extrinseca, respectu ipsius motus, intrinseca est, & per modum formæ intrinsecæ mensurat permanentiam, atque mobilitatem ipsius primi mobilis. His positis.

402 Difficultas est, an Æternitas intrinseca Dei, sit duratio Dei vtroque modo, nempè duratio, & mensura. Item, an sit duratio, & mensura creaturarum? Communis sententia cum Diuo Thoma hic, *artic.* 2. *& in* 1. *dist.* 19. *q.* 2. *art.* 2. affirmat vtrumque, cui subscribo. De duratione intrinseca probo: Quia permanentia rei in esse, est perfectio sine imperfectione. Si enim successio importat imperfectionem, quia affert deperditionem in

esse,

esse, eius oppositum erit perfectio simpliciter simplex, & digna Deo, nempè persistentia indefectibilis in esse.

403 Nec obest 1. D. Thom *in 1. distinct. 8. quæst. 2. art. 1. ad 6.* dicens: Quòd duratio importat extensionem partium, & quòd ideò Boetius non posuit durationem, sed possessionem. Respõdetur enim, solùm voluisse, quòd duratio prout vulgariter accipitur, importat imperfectionem extensionis, & propterea Boetium vsum fuisse nomine possessionis, quia clariùs sonat permanentiam quietem, & securitatem in existendo. Hoc tamen non arguit, quod duratio stricta ex parte rei significatę importet imperfectionem, vel extensionem. Nec 2. obest, quòd immensitas in Deo non est absolutè, sed cum addito virtualis, *magnitudo, aut extensio* pro omni loco: ergo neque Æternitas est absolutè duratio pro omni tempore. Nego enim consequentiam; quia absolutè, & sine addito est perfectio persistentia in esse, secus extensio, quæ sonat partes.

404 Quòd autem sit duratio per modum mensuræ cõstat 1. tùm ex D. Tho. citato, vbi expressè docet, Æternitatem, tempus, & æuum significare durationem: Ista autem sunt mensuræ: ergo, & illa. Tùm quia Æternitas est ad vitam interminabilem, quòd tempus ad res creatas. Atqui illud est duratio mensuratiua illarum, mensurans eas, quantum persistant in esse: ergo Æternitas etiam mensurat vitam Dei quanta sit, non quidem quanta in *sapere*, vel *in posse*, sed quanta sit in *existere, permanere, & durare*.

405 Probatur 2. Per æternitatem noscimus quanta sit vita, & esse Dei in permanere. Ex Aristotele autem 10. *Metaphys. cap. 2. & 3.* Mensura est id quo, quanta sit res dignoscimus. Et quia per tempus, & æuum dignoscitur quantum duret creatura successiua, vel permanens, vtrumque est mensura. Probatur 3. Quia etiam si detur omnimoda indistinctio inter æternitatem, & esse diuinum, non propterea repugnat inter illa ratio mensuræ, & mẽsurati, sicut verè sunt in Deo formalis cognitio, &

for-

formale obiectum, & tamen sine vlla distinctione, perfectio obiecti est mensura perfectionis cognitionis. Confirmatur, quia Deus, nec plus, nec minus se amat, quam sit amabilis in se, & bonus. Bonitas ergo est mensura amoris, sine distinctione ab illo.

406 Ex his sequitur, quòd etiam sit duratio creaturarum per modum mensuræ extrinsecè earum. Per æternitatem enim iuxta varios, & diuersos ipsius sinus, metimur, quantum duret creatura, sicut & metiri possumus per tempus. Nec propterea creatura mensurata duratione æterna æternitatis, durat æterne. Non enim durat adæquatè ad illam, sed inadæquatissime, & tanquam in mensura superexcedenti. Vndè non est verum, quòd aliqui Recentiores docent, quòd æternitas vt duratio, solùm sit exemplar, à quo duratio creaturæ exemplata est, non verò mensura. Respond. enim, & esse exemplar, & simul esse durationem mensuratiuam super excedentem. Licèt enim non sit respectu creaturæ duratio quasi intrinseca ipsius creaturæ, de qua nuper, est tamen extrinseca mensuratiua, cui existentia creaturæ per se ipsam, vel per modum superadditum, temporaliter correspondet, sicut, & tempori, vel æuo tanquam mensuris actiuis. Nec duratio ex suo genere, siue Dei, siue creaturæ, vt mensuratorum, importat formalitèr successionem, nec est secundum priùs, & posteriùs, (quòd repugnat Æternitati intrinsecæ:) Solùm enim importat generalitèr rationem mensuræ vniformis, vt sæpè dictum est.

407 Argues: Probando repugnare Æternitati rationem mensuræ, tùm respectu Dei, tùm respectu creaturarum. Et primo ex Vazquez, quia Diu. Thomas *in* 1. *dist*. 19. *quæst*. 1. *art*. 1. *ad* 4. expresse negat mensuram respectu Dei. Respondetur negare definita, & superexcedenti mensuratum, maiorique illo, vel vniformiori, vel securiori, vt communitèr contingit in mẽsuris creatis. Sola enim hæc induceret in Deo mensurato terminationem, quæ fuit Diuo Thomæ motiuum negandi. Si enim Deus comprehenditur comprehensione æquali,

infinita identificata secū, idem erit de mensuratione infinita. Nec dicas: Quòd mensurabilitas importat imperfectionem, & limitem. Distingo enim: Omnis nego: quando mensuratum pendet à mensura, vel super exceditur, vel per illam reducitur ad plenum, vel ad vniformiùs; (sicut vlna panni per vlnam ligni à Prætore approbatam) Concedo.

408 Nec 2. Æternitas non habet rationem notificatiuæ circa quantitatẽ vitę Dei, in quo stat ratio mensuræ: ergo. Probatur antec. Tùm, quia nihil est in Deo, quòd ipsa mensuret, & notificet, nisi ipsa permanentia, & duratio Dei; hoc autem solùm est notificare se ipsam. Tùm, quia nec Deus vtitur illa mensura pro se ipso, quia ipse est sufficientèr sibi patens; nec pro creaturis, vtpotę mensura non homogenea, sed maiori, & inæqualissima. Nec nos vtimur illa pro Deo, aut pro creaturis, nec possumus ob eandem rationem: ergo. Respondeo: Quòd Æternitas vt mensura actiua mensurat in ipso Deo permanentiam illam intrinsecam, & terminatiuam aliqualitèr distinctam: Vtimur autem illa vt notificatiua, Deus pro se ipso: (non vt mensura extrinseca, sed vt intrinseca æquali, vtpote identificata cū esse diuino mensurato) Etenim, vt est vniformitas permanendi, & simul forma intrinseca redens Deum vniformitèr, & immutabilitèr durantem; simul est mensura notificans, quantum duret Deus; & cum sit indistincta, noscendo id in illa, in se noscit. Similitèr Nos vtimur illa pro Deo, vt interminabilitèr permanente: pro creaturis verò etiam, nam licèt sit mensura super excedens, vtimur illa solùm secundum virtualitatem, & sinum tali creaturæ correspondentem; quo pacto iam est mensura proportionata, & notificatiua.

409 Nec obest 3. Quòd mensura est quid extrinsecum mensurato; secus Æternitas respectu Dei: ergo. Distingo maior. Mensura purè, concedo; mensura simul forma intrinseca, nego. Sic tempus est motus primi mobilis, & habet rationem purę mensuræ respectu inferio-

riorum, & hiis est extrinseca: respectu autem mobilitatis primi mobilis, ille motus, & est forma intrinseca, & mensura æqualis, præstans, quòd primum mobile sit motum, simulque mensuratum, & tantum habens de moto, quantum habet ipse motus illud informans, atque notificans. Vide Lao num. 866. Sic Æternitas respectu esse creati est mensurā extrinseca; respectu esse diuini, & est forma intrinseca attributalis, & simul mensura (ob identitatem summam æqualissima) notificans, quatenùs est perfectio quædam vniformitatis, & immutabilitatis explicatiua permanentiæ intrinsecæ, & terminatiuæ repertæ in esse diuino. Si autem dicas: Quòd esse diuinum non est minus vniforme ex se, quàm ipsa Æternitas: ergo illud nō eget alia vniformitate mensurante. Distingo enim conseq. Vniformitate terminatiua, & mensurata intrinseca, concedo; actiua notificatiua, nego.

410 Nec obest 4 Quòd mensura vt talis dicit relationem ad mensuratum; sed Æternitas nequit illam dicere ad vitam interminabilem Dei: ergo. Maior patet, quia sicut ratio Patris nequit reperiri sine distinctione à Filio, ita neque ratio mensurę, sine distinctione à mensurato. Duplex huic argumento, potest adhiberi solutio. Prima, vel ex doctrina illorum, qui docent, Æternitatem esse mensuram esse diuini, non formalem, sed purè virtualē; (& sufficiet distinctio virtualis) vt Gonet. *disp. 4. de Attributis, art. 7. §. 2.* Sic intellectio est virtualitèr mensura obiecti, & essentia radix attributorum. Vel eorum, qui tenent esse formalitèr mensuram, sed in ratione formali importare duo. Vnum realitèr, nempè durationem. Aliud de opere rationis, vt complemento, nempè ratione mensurationis, notificationis, & distinctionis à mensurato. Ita apud Lao, Ferrar. Sylvest. Zumel, & Bañes, num. 868.

411 Sed donec assignetur perfectio formalis specialissima, supra quam cadat virtualitas, vel rationis distinctio, neutra solutio sufficere videtur. Etenim actus primus intelligendi virtualis non datur, nec radix vir-

tua-

tualis attributorum daretur, niſi priùs perfectio formalis lineæ ſpecialis aſsignetur, ſupra quam cadat, quia cũ virtualitas ſit gerere munus alterius, priùs aſsignanda formalitas, cui tale munus ſit cõmiſſum, & hucuſque nõ apparet ſufficientèr talis formalitas. Confirmatur: Quia nec ratio Notionis, ſiuè notificationis datur in diuinis, niſi aſsignetur priùs ſpecialis formalitas, ſupra quam cadat; v.g. Paternitas, innaſcibilitas, &c.

412 Ideò 2. & aliter Lao reſpondet: Quòd generalitèr in menſura, aliud eſt perfectio, aliud relatio. Æternitas ergo pro perfectione eſt duratio, & menſura notificativa, & explicativa extenſionis diuinæ. Totum hoc eſt de reali formali. Sicut enim ſine diſtinctione ab obiecto intellectio eſt cognitio, & comprehenſio obiecti, cur non, & æternitas menſuratio obiecti? Etenim, quæ in humanis diſtinctionem important, in diuinis important potiùs identitatem, ob infinitam eminentiam, vt patet in comprehenſione, & obiecto, & ſpecie impreſſa, &c. Sic etiàm in menſura, & menſurato.

413 Nec obeſt: Quòd Pater eſſentialitèr importat relationem, & diſtinctionem à Filio: ergo, & menſura à menſurato. Nego enim conſeq. Tùm, quia Paternitas eſt ipſa relatio; menſura verò non eſt relatio, ſed relata ad ſummum, & non ſempèr. Tùm, quia ratio fundandi in Paternitate eſt *genuiſſe*, quòd eſſentialitèr importat diſtinctionem, cũ nihil ſe ipſum generet, ratio fundandi in mẽſura eſt vniformitas, & applicatio, ſiuè coniunctio ad menſuratum, quæ quando eſt per modum formę intrinſecæ & æqualiſsimæ vt dictum eſt, diſtinctionem non importat. Quando ergo ad menſuram relatio ſequitur, non eſt ex conceptu præciſſo menſuræ, ſed menſuræ extrinſecæ, creatæ, & excedentis.

414 Vndè ex his ſequitur, licèt dùm ęternitas concipitur vt menſura, adſit in nobis concommitantèr cognitio attingens relationem, vel diſtinctionẽ, ſed hęc non intrat conceptum formalis menſurationis, ſed ſola duratio, vt dimenſiua diuinæ extenſionis: illa ergo potiùs

ar-

arguit imperfectionem fingentis illas, quam exprimat aliquid in re concepta existens. Quòd si intellectus noscens tempus vt mensuram, componit illam ex motu successiuo, & numeratione, quæ est opus rationis; ideò est, quia sine opere rationis, non habet esse simul, & ideò, nec mensura simul: Æternitas verò ex se sola habet instantaneitatem inflatam duratiuam cõstitutiuam illius in ratione mensuræ vniformis simùl.

415 Nec dicas 5. Quòd essentia diuina est mensura omnium attributorum: ergo non requiritur alia mensura. Respond. Quòd est mensura perfectionis eorum, non verò permanentiæ per modum extensionis Tantæ. Si instes: ergo vita Dei est inferior Æternitate (si enim essent æquales, non esset, cur potiùs æternitas sit mensura vitæ, quam ista illius.) Nego conseq Quia mensuratum imperfectum, & extrinsecum est interius sua mensura, (& non semper, vt patet in vlna tabulæ mensurata per vlnam ligni;) secus perfectum, & identificatum, quòd potest ad tantam intimitatem, & vniformitatem peruenire, vt sit simul per identitatem mensura, & mensuratum. Sic tempus, quòd est motus primi mobilis, quia est mensura intrinseca, & formalis sui, non est inferius se: Quòd autem inter ęqualia, potiùs vnũ sit mensura quam aliud, id prouenit, quia vni conuenit, & non alteri ratio notificatiua, prout explicatiua Tantitatis rei.

416 Rogabis: An Æternitas respectu creaturarum, sit mensura in actu secundo, & per modum mensurationis, & non tantum per modum mensuratiuæ? Plures Theologi affirmant, ducti illo principio: *Deus est actus purissimus, & actualissimus in omni genere* Vndè, nec respectu exercitij ad extra, (quando exercitium sapit aliquam intrinsicitatem) admittunt ex parte Dei aliquam potentialitatem, sed eum volunt actum secundum, & actualissimum, etiam ad extra, (& propterea actionem, media qua omnipotentia producit creaturas ponunt in aliquo Æterno Dei; v.g. in volitione termini) sæpè tamẽ euenit, quòd talis actus actualissimus ex de-

fectu alicuius conditionis, vel requisiti de connotato nõ sortiatur exercitè illam denominationem. Vndè, sicut scientia necessaria Dei per se ipsam non solùm est visiua, sed videns futura, posita futuritione vt conditione, & non posita non est exercitè videns, (quòd prouenit ex defectu requisiti extrinseci, non ex defectu alicuius formalitatis de formali ex parte Dei) sic apud ipsos, positis requisitis, subsistentia Verbi se ipsa est in actu secundo vnita, siuè ipsissima unio sui cum humanitate: Essentia Diuina se ipsa, respectu Beati, non solùm summè intelligibilis per modum potentis intelligi, sed summè intellecta per modum Verbi mentis, & per modum termini intellecti. De quo in materia de Visione agendo de specie expressa, & in opere de Incarnatione à num. 1322.

417 Sic similitèr videtur eos docere debere, quòd Æternitas vt claudat omnem suæ lineæ perfectionem, se ipsa est, non solùm mensuratiua futurorum, sed actualissima mensuratio, & duratio eorum, si futura sunt. Sicut autem positis futuris intellectio actualissime, per se ipsam est eorum visio exercitè, & denominatiuè, & ablatis illis non est, (quin ex hoc detur ex parte eius aliqua potentialitas;) sic Æternitas, ex parte sua positis rebus est mensuratio actualissima; ablatis, non est. Et hoc sine potentialitate, aut variatione ex parte sua. Vndè sicut mensuratio est actualis tentio, tactio, capitio rei mensuratæ; sic, & Æternitas. Et ob id Boetius non dixit *possessiua*, sed possessio. Sed de his infra propè finem quæstionis 12.

ARTICVLVS IV.

AN ÆTERNITAS INTRINSECA SIT ATTRIbutum speciale DEI?

418 SErmo potest esse de ipsa prout est duratio, & prout est mensura. Primum argumentum ad negandum potest esse, quia esse diuinum per se ipsum transcendentèr durat omni tempore, cum sit ens neces-

sarium,& per se ipsum permanens; sicut,& per se ipsum replet omnia loca: ergo superfluit alia duratio. Conseq. probatur: Quia rem permanere, idem est formalissimè, ac rem durare. Respond. Quòd in hoc latet æquiuocatio confundens duplicem durationem, & permanentiam. Vna enim est specialis, & quasi actiuè notificatiua per modum vniformitatis, vel rationis vniformitèr explicantis quantitatem rei,& est quasi mensura mensurans. Alia quasi passiuè notificata,& hæc est permanentia intrinseca, & quasi terminatiua, & obiectiua; (& potiùs vniformis vt *quod*, quàm vniformitas mensuratiua vt *quo*)& est ipsum existere rei vt magis, vel minus determinatum ad non deficiendum, per illam primam quasi mensuratum,& notificatum. Concesso ergo anteced. de durante terminatiuo mensurato, & vt *quod*: nego consequent. de duratione speciali actiua notificatiua, & vt *quo* ad mensurandum. Ad prob. Respond. Aliud esse rem permanere,& durare intrinsecè, & terminatiuè: aliud durare actiuè, & notificatiuè, & dum loquimur de hoc dici potest, quod sit Attributum speciale.

419 Secundum argumentum: Necessitas existendi semper, in Deo est æquè communis, ac Infinitas; sed talis necessitas est permanentia, persistentia, siuè duratio in esse: ergo. Vnde in Symbolo vbi negatur *tres Æterni*, sermo est; non de Æternitate imbibita, & transcendenti, sed de absoluta;& sic negantur tres Æterni absolutè; secùs relatiuè, & cum addito, vt docuit P. Bernal in Manuscriptis, & alij. Respondetur: Necessitatem existendi esse durationem illam ex parte rei, & intrinsecam, siuè terminatiuam; non verò esse actiuam, explicatiuam, & per modum notificationis, de qua hic. Ideò D. Thom. de hac docet oppositum, quia duratio hæc addit rationem quandam specialem mensuræ duratiuæ alijs attributis, quasi extraneam,& alteriùs lineæ,& diuersi prædicamenti, pertinentem ad *Quando*. Quantitatis enim virtualis,& permanentiæ Dei, ipsa est specialiter notificatiua per modum mensuræ vniformis. Sicut

tempus est mensura successiuorum. Vndè sicùt licèt ex parte creaturæ detur successio; v.g. infantia, pueritia, adhùc notificare illam specialitèr nobis per modum mẽsuræ, est exercitium alteriùs successionis vniformioris nempè temporis: ita licèt ex parte Dei, detur interminabilitas in esse, & persistentia transcendens, specialitèr illam notificare per modum mensuræ est alteriùs perfectionis, nempè Æternitatis.

420 Ex his patet, cur Infinitas debeat esse transcendens, & non Æternitas; quia hæc est mensura Tantificans vitam, & attributa, non tamen in suis lineis, sed in permanere, & durare. Et ideò sicut vna quantitas sufficit pro materia, forma materiali, & toto composito; quia non auget in suis lineis, sed in extendi; ita, & sufficit vna Æternitas, pro notificandis omnibus diuinis absolutis, & relatiuis, quoad quantum durent; at infinitas auget in suis lineis; auget enim sapientiam, & infinitat faciendo pelagus in sapere; amorem infinitat in affici; Omnipotentiam in posse, ideòque omnia transcendit.

421 Obijcies: Existentia necessaria est per se ipsam permanens, & duratiua, & etiam est transcendens; quid ergo addit supra istud Æternitas, quòd possit specialitèr se habere? Aliqui dicent, quòd nihil, sed esse eandem permanentiam, diuersimodè conceptam, nempè vt explicabilem, & vt explicatiuam: Respondebit alius, addere vniformitatem mensuratiuam specialitèr dimensiuam, siuè dimentientem, quantum se extendat illius permanentiæ interminabilitas.

422 Ex dictis sequitur 1. Æternitatem modo quo explicata est, esse perfectionem per modum attributi. Sicut enim ad esse creatum actuale, & existens sequitur duratio, siuè *quando*, tanquam res alteriùs lineæ: Ita ad esse increatum interminabile subsequitur, quòd duret vniformitèr, id est sequitur Æternitas. 2. Æternitatem supra immutabilitatem addere rationem duratiuam notificatiuam, (inuariabilem etiam) per modum men-

mensuræ, sicut illam addit tempus supra motum primi mobilis. Per vtramque enim contrahitur duratio vt sic, præscindens ex se ab instantanea, & successiua. Sequitur 3. Æternitatem esse perfectionem positiuam per modum durationis, & mensuræ omnimodè vniformis respectu Dei. Licèt enim in ipso reperiatur carentia dessinendi, non stat in ipsa Æternitas, sed ad Æternitatem vt sumè vniformem subsequitur.

ARTICVLVS V.

EXPLICATVR ÆTERNITAS QVOAD TEMPORUM Continentiam.

423 HÆC quæstio valdè necessaria est pro dicendis infra. Etenim, quia Æternitas est duratio, sed permanens; & aliàs duratio ęgre concipitur à nobis, nisi per successionem, vtpote sensibiliorem, & notiorem, duo hic oportet declarare. Primum est, quòd Æternitas figuranda sit à nobis vt asta, siuè linea quædam fixa indiuisibilis, & instantanea; sed longissima, expansa, & ita inflata à parte post, vt iam de facto ab ęterno in æternum, sine successione ex parte sua; imò cum indiuisibilitate, sufficiat ob suam expansionem pertingere de facto, & amplecti omnes dies futuros, siuè veros, siuè imaginarios, imò, & superexcedere indiuisibilitèr, permanentèr, & diffusè interminabilitèr. Tàm longa est concipienda hæc linea. Nec mireris dici à nobis indiuisibilem, atque simùl inflatam. Etenim anima rationalis, quoad esse, indiuisibilis omnino est, & nihilominus de facto est diffussa, substantialitèr extensa, & quasi inflata in corpore: & multo magis in viro pingui, quam in puero.

424 Secundum est: Quomodo Æternitas instantanea, & indiuissibilis, fixaque, & permanens cum sit, possit simul tempori, eiusque successionibus correspōdere. Oportet hoc exemplis declaratiuis planum facere.

425 Duplex mihi occurrit exemplum declaratiuum quoad ſenſum. Primum eſt centri (& eſt D.Thom. 1. contra Gentes, *cap. 66.*) in quo omnes lineæ circuli reſpiciunt punctum centricum. Iſtud autem, indiuiſibile licèt ſit, omnes illas tangit, atque ſuſtinet. Sic Æternitas indiuiſibilis, tempora omnia, licèt diſtincta ſuſtentat. Sed ſimile iſtud, non explicat, quomodo phyſica permanentia Æternitatis, cum temporum ſucceſsione componatur cum lineæ non ſe habeant ſucceſsuè, ſed vt quid permanens. Ideò vtor alio exemplo currus, in cuius motu videmus, quòd lignum illud vulgo vocatum, *el vſsillo*, cui rotæ affiguntur, ſtat fixum, & permenens quaſi immobile: (id eſt ipſum non rotatur) Rotæ autèm in ſuo motu ſucceſsiuo pendent ab ipſo, & ambulant circulariter ad ipſum. Sic totum tempus rotatur in & dependentèr ab æternitate, & circa illam: ipſa tamen immota, fixaque in ſe perſeuerat.

426 Sed neque hoc exemplum videtur ſufficientèr declarare intentũ. Etenim de Æternitate, prçter formalem permanentiam, & virtualem ſucceſsionem, omnes Theologi docent, quod ſit infinita duratio, & ob ſuam infinitudinem, & longitudinem, atque vaſtitatem, ipſa expanditur, & claudit intra ſe, ambit, amplectitur, & ſuper excedit omnia tempora intra ſuam longiſsimam ſimultaneam diffuſsionem interminabilem: Et ſi non eſſet tam extenſa, vt vnico ductu & amplexu ſuperexcedendo, ſimul omnia concluderet in ſuo ſinu, non eſſet infinita. De quo Artic. ſepuenti. Exempla autem centri, & ligni currus adducta, potiùs indicant, tempora Æternitatem cingere, claudere, atque ambire, quàm ab ea claudi: Ideò quærenda ſunt exempla, quæ declarent de ipſa tria ſimul, nempè permanentiam ipſius longam, & actu infinitam; virtualem extenſionem, & ſuperexcedentiam ad omnia tempora.

427 Sit ergo tertium exemplum ſumptum ab Immenſitate, ex nu. 335. Cuius primaria diffuſio, ita eſt actu ſubſtantialitèr extenſa extra hunc mundum plus, & plus,

vt si Deus alium mundum produceret, ipsa non egebit extendi, aut ire, vt sit in illo, (sicut anima pueri eget extendi, vt aptetur corpori iuuenis; de quo num. 336.) sed præuenta iam est diffusione totali, & tam longa, & necessaria, ad hoc vt quando producatur nouus locus, siuè nouum *vbi*, iam inueniat ipsam ibi. Similitèr ergo Æternitas est permanentèr, ita in infinitum diffussa, & longa, vt iam nunc sit in tota diffusione, quam habebit, non solùm in die iudicij, sed in toto tempore futuro, & amplius. Vndè Æternitas hodiè, tàm est duratio Dei ebsterna, crastina, & procrastina, quàm hodierna: Æternitas ergo, si non est hodiè in vltimo die Iudicij; ideò est, quia iste non dum aduenit in sua mensura, (non quod illa non sit iam ibi) sicut, nec Immensitas ob eandem rationem est in alio mundo; est tamen iam ex parte sua, quia ita in infinitũ est diffussa diffusione illa primaria, & in ordine ad se, & duratione tota interminabili, vt quãdo dies vltimus in propria mensura adueniat, Æternitas nõ egeat de nouo ire, vt correspondeat illi, sed iam quasi expectans amodo est ibi, & vltra, & inueniet eã ibi.

428 Dixi, quòd inueniet extensam *ibi*, non quatenùs ly *ibi*, dicit de præsenti correspondentiam ad talem diem, cum non adhuc sit talis dies in sua mensura, (præscindo enim pro nunc à quæst. de præsentia physica futurorum) sed quatenùs sonat, quòd sicut immensitas nunc de facto habet totam diffusionem sine limite ad omnia loca producibilia; ita Æternitas, (cum non sit minus permanens, infinitaque secundum se totam, quam Immensitas,) ex parte sua habet, nunc, & ab Æterno habuisse de diffusione in ordine ad se, totam illam extensionem, iuxta omnes dies imaginarios æternos, quam tunc in Æternum habebit. Hanc diffusionem sine limite à parte post, totam inquam habet hodiè, & habuit ab Æterno.

429 Declaro 4. exemplo Alvei. Considera enim alveum, matricem, & ripas longissimas fluminis, intra quas ripas, parum post initium incipiat flumen oriri, &

abſorbeatur ante illarum finem. Hinc Alveus, matrix, & ripæ aquas, earumque motus ſucceſsiuos intra ſe claudunt, & ampleƈtuntur: ipſæ verò ſtant fixæ, & permanentes, & ſimul exiſtentes, atque totam aquarum ſucceſſionem claudentes, & ſuperexcedentes, quòd multò aptiùs conuenit Æternitati reſpeƈtu temporis. Etiam explico 5. exemplo parvi, & manualis Orologij, quòd intra capſulam habet concluſas rotas, omnemque earum motum In Capſula nota 1. permanentium 2. continentiam rotarum, & quomodo ambit motus illarum ſimùl omnia claudendo. 3 ſuperexcedentiam. Capſulæ ergo inſtar illius, Æternitas ſe habet in illis tribus.

430 Inſuper explico 6. exemplo Muſicæ ſcriptæ. Ibi enim primò ſunt ſcriptæ in pagina quædam lineæ ab vna parte in aliam. 2. punƈta diſtinƈta. 3. infra punƈta ſyllabæ quædam, quæ correſpondeant, vna vni punƈto, alia alteri, vel duobus: tamèn, tàm punƈta, quàm ſyllabæ militant cum ſua quaſi ſucceſsione ſub lineis fixis, & permanentibus, & ſuperexcedentibus; lineæ tamèn in eodem *nunc* ſtant fixæ, & ſuperexcedentes, & permanentes. Æternitas eſt illa linea fixa, & permanentèr extenſa: ſub illa militant tanquam punƈta durationes temporis ſucceſsiuæ, & ſub his tanquam ſyllabæ, aliæ creaturæ illis correſpondentes, v.g. Adamus in ſua duratione, ſivè punƈto, Anti-Chriſti in ſuo: Æternitas verò fixam dicit permanentiam, & longitudinem ſuarum linearum in Æternum; & dicit ſimul ſinus intra quos omnia alia ampleƈtitur, tàm durationes temporales, quàm res ſub illis ſucceſsiuè durantes. Vel ſi mavis explica Æternitatem per illas lineas fixas, longiſsimas, & permanẽtes ab Æterno in Æternũ, & ſimùl ita vt tranſaƈta magna parte virtuali linearum à parte ante, incipiat Magiſter Muſicæ ſcribere aliqua punƈta, & ſub illis aliquas ſyllabas, & proſequatur ſcribẽdo, quin illa punƈta, aut ſyllabæ poſsint vnquam, longitudinẽ lineæ à parte poſt adæquare, quantumcumque Magiſter ſucceſsiuè ſcribat, & ſcribat. Sic aptiùs explicatur Æternitas intermina-

mina-

minabilis, & permanens, successio virtualis temporum sub illa, & rerum (quas scribit creator) intrà illam, atque etiam explicata manet superexcedentia.

431 Explico tandem exemplo Gigantis ingentis, qui fixus stet in Ponte magni fluminis, ita vt intra pontem transeat flumen, & Gigas simùl habeat duo brachia extensa plus, & plus, sine termino; (& multò plus sit brachiorum longitudo, quàm totius fluminis) vnum versus orientem ab ortu fluminis, & aliud versus occidentem vbi flumen absorbetur. Gigas fixus est Æternitas fixa; brachia sunt Æternitas à parte ante, & à parte post; omnia hæc existunt in eodem *nunc*; sunt quid permanens, fixum, & infinitè diffussum in ordine ad se; flumen est successio temporis, & creaturarum: istæ intrant per pontem, siuè veniunt, siuè coexistunt ad pontem, tanquam ad propriam mensuram, & transeunt successiuè: erant futuræ antequam venirent ad pontem; præteritæ postquam illum transierunt; at Æternitas tota, siuè Gigas totus in eodem instanti existit totus simul, & fixus, & permanens, & infinitè expansus. Et vno brachio Æternitatis à parte ante aquas aduenientes ad pontem amplectitur, & superexcedit, quia magis extẽsum brachium ipsius quam fluminis ortus: alio brachio, etiam transacta, siuè præterita protegit illà superexcedendo, ita vt Æternitas à parte post, ex parte sua duret iam hodiè, (sicut brachium illud) quidquid post sęcula est duratura in tota sua diffusione, vt dictum est. Ecce quoad sensum aliqualitèr explicatam in Æternitate permanentiam fixam, longitudinem infinitam, & quomodo tota simul existat. Item virtualem successionem, qua amplectitur aquas præsentes, aduenientes, & præteritas, & simùl quomodo superexcedat omnes illas.

432 Si dicas, non esse explicatam indivisibilitatem Æternitatis adhuc, quæ valdè proderat. Pone Gigantem habentem rationalem animam indiuisibilem, & applica illi animę, quæ dicta sunt de extensione Gigantis. Erit enim formalitèr indiuisibilis, & virtualitèr

in

in infinitum expansa. Vel pone Angelum diffusum, siuè replicatum in ripis fluminis, in capsula Horologij, & in lineis Musicæ scriptæ. Per Angeli enim indiuisibilitatem explicabitur optimè.

433 Ex his sequitur 1. creaturas, tàm quoad *vbi*, quàm quoad *durationem*, comparari posse cum duplici mensura, Vna particulari propria, & æquali, iuxta propriam existentiam de præsenti, quæ est modus durationis ad tempus. Alia superiori vniuersali, & superexcedenti, ab Æternitate. Sic lapis duas locales mensuras habet. Vnam particularem, sibique propriam, nempè superficiem aeris contigui ipsum continentis, & ambientis. Aliam superiorem, superexcedentem, & vniuersalem, nempè ambitum Cœli, quæ mensura non solùm lapidem, sed arbores, homines, & multa alia sub se continet; ideò est vniuersalis. Similitèr Petrus, v.g. hodiè durans, & dicit pro mensura propria diem, & tempus hodiernum; pro communi verò, & vniuersali dicit Æternitatem totam, quæ non solùm Petrum, sed & Adamum præteritum, & Anti-Christum futurum, & omnia creata superexcedentèr ambit, & mensurat.

434 Sequitur 2. Quòd cũ Æternitas simùl sit formalitèr indiuisibilis; diuisibilis tamen, & successiua virtualitèr, posse creaturam correspondere toti Immensitati, & toti Æternitati; quin propterea correspondeat illi totalitèr, nec sit ab Æterno. Sicut enim cor hominis vnitur toti animæ rationali, sed non totalitèr, quia non secundum caput, & pedes, nec secundum omnes virtualitates, & sinus animæ. Sic lapis, v.g. correspondet toti immensitati, & dies hodiernus toti Æternitati formalibus; sed non totalitèr, quia non secundum omnes virtualitates earum, sed secundum vnam, vel alteram.

435 Vndè sequitur 3. Quòd Anti-Christus non sit creatus ab Æterno in suo esse, & in sua particulari mensura. Licèt enim eius existentia secundum propriam mensuram correspondeat Deo Æterno, & toti Æternitati formali, ex parte sui & Æternitatis, vtpote indiuisi-

sibilis, sed non *ab Æterno*; si hoc sonet correspondentiam ad virtualitates omnes à parte antè: his enim non correspondet; imò potiùs taliter correspondet, & existit intra sinum suum Æternitatis, vt intra illam in alio sinu anteriori præcesserit carentia Anti-Christi pro tempore præterito; vtroque existente intra Æternitatem, sed Anti-Christo pro sua virtualitate subsequente, & carentia eius pro sua virtualitate præcedente.

ARTICVLVS VI.

PROBATVR HÆC EXPANSIO ÆTERNITATIS tota simùl.

436 HVcusque longitudo hæc est potiùs asserta, & similitudinibus declarata, quam probata. Est ergo probanda nùnc, & premittendum, (& est res notatu dignissima, ex cuius inconsideratione in multis tota difficultas Æternitatem, vt in se est concipiendi, suboriri solet) diuersissimum esse, Æternitatem concipere instar puncti indiuisibilis, & instantanei, cui sine eius mutatione aduenuint, & correspondent successiuè omnia tempora: vel concipere illam instar puncti inflati, & virtualitèr expansi ab Æterno in Æternum, & vt lineæ interminabilis, & vt pallij expansi B. Virginis, cui tempora non correspondeant vtcumque adueniendo illi, nempè successiuè, sed potiùs tempora, eorumque successio ambiantur simul, & circundentur, & concludantur, atque superexcedantur à tali linea, quæ est maior mensura, atque longior omnibus temporibus simùl sumptis. Considerata enim Æternitas primo modo assimilatur puncto centri, & ligno fixo currus, in quo mouentur rotæ, atque ponti, cui sine ipsius mutatione correspondent successiuè aquæ plures, & plures in infinitum. Quæ exempla diximus, insufficientia esse pro Æternitate explicanda, quia Æternitas iuxta illa non explicat ventrem suum capacissimum, & potiùs est ambita,

&

& inclusa, quam ambiens, & includens. At secundo modo se habet vt Immensitas in infinitum diffusa; & virtualitèr vt ripæ longissimæ magni fluminis: vt capsula Horologij; vt lineæ Musicæ scriptæ: & vt integer Gigas cum suis brachijs expansus sine termino, capiens, & claudens intra se sicut intra arcam, siuè mensurans intra se infinitas aquas, earumque motus. Hæc ergo Æternitatis simultanea diffusio, longitudine summa interminabilis, & instar astæ, siuè lineæ virtualitèr in infinitum expansæ, capiens simùl omnia tempora simultate tali, quòd sicut omnia sunt simùl, in quantum attinet ad videri à Deo, ità sint simùl in ambiri, atque concludi; in hoc articulo à nobis explicanda est.

440 Præmitto autem probationi, quòd sicut Æternitas intrinseca est primario duratio tota Dei, & mensura diuini esse, ita secundario est mensura esse creati, & per illam posse mensurari, quantùm duret creatura, vt diximus supra artic. 4 Conclusio ergo probari potest 1. Quia Æternitas in ratione mensuræ, & durationis est actualitèr simplicitèr, & substantialitèr cathegorematicè infinita; ergo & tantæ, & tàm diffusæ capacitatis, vt capiat intra se quidquid est capibile, & mensurabile à mensura duratiua. Conseq. probat. Quia si solùm caperentur ab ipsa, & intra ipsam, entia & res non simùl, sed vna post aliam, finita capacitas sufficiebat. Etenim ad continendum totum mare simùl, vas requiritur æqualis capacitatis cum ipso; at ad successiuè illud mensurandum, vas sufficit capacitatis vnius vntiæ. Sicut, & ad mensurandas plures leucas successiuè, vna vlna lignea sufficiet. Capibilitas ergo infinita successiua termini, capacitatem in infinitum in mensura non probat, sed sola simultanea: ergo si Æternitas debet esse Cathegorematicè infinita, non solùm in genere essendi, sed specialissimè in genere durationis, & mensurandi, debet actu, & Cathegorematicè esse tam longa, vt intra suos sinus sufficiat actu amplecti, capere, & mensurare omnia huius generis mensurabilia; & sic de facto amplectitur,

&

& capit; imò & superexcedentèr capit omnia sæcula futura, quia sua longitudine, & brachio extenso, omnia illa superexcedit de facto.

441 Probatur 2. Quia si omnia tempora ab Æternitate, non caperentur, & mensurentur, actualitèr, & Cathegorematicè, & vnico amplexu & ducta simùl, maximè quia non sunt simùl physicè, & quoad esse tempus futurorum, & præsens, nec existentia Anti Christi, qui erit, & carentia eius, quæ de facto est; atqui hæc ratio est nulla: ergo mensurantur, & physicè capiuntur vnico amplexu formali ab Æternitate simul. Minor prob. Quia est distinguenda duplex linea in creaturis successiuis. Vna quoad existere; alia quoad mensurari: & benè cohærent, duas res non habere vnam exisitibilitatem, siuè existentiam; habere tamèn vnam mensurabilitatem, & capibilitatem. Patet hoc exemplis. Primum est. Adamus, & Anti-Christus nō sunt simùl quoad existere, sunt tamèn simùl quoad videri à Deo. Sunt enim visi simùl, & ex parte Dei simùl videntis, & ex parte ipsorum simul visorum. Secundùm. Ens naturale, v. g. existentia præterita Abrahami; & ens supernum, v. g. Incarnatio non sunt eiusdem ordinis superni quoad esse; sunt tamèn quoad credi fide diuina, & quoad cognosci per scientiam supernam infussam, & vtraque creditur simùl, quin existat simùl. Ratio autem est, quia sine eadem existentia potest esse eadem attingibilitas. Similitèr intra hunc mundum reperiuntur simùl Incarnatio Verbi, & carentia Incarnationis Spiritus Sancti, & licèt non sint idem quoad esse vtpote ens, & non ens, sunt idem in quasi capibilitate intra mundum, & in verificabilitate vtriusque. Item libra auri, & libra plumbi positæ in vilance, quoad ponderari sunt idem simul; secùs quoad valorari. Triticum in vna parte cubilis, & carentia eius siuè vacuitas in alia eiusdem cubilis, licèt quoad propriè existere, & produci non sint simùl, quoad capi in illa mensura superexcedenti sunt simùl; imò duodecim mensis anni, quoad constituere Annum sunt si-

simùl, quin tamen quoad existere sint simùl.

442 Ratio insuper est, quia non valet argumentum ab vna linea ad aliam. De quo in tomo de Incarnatione à num. 1514. Ergo licèt creaturæ successiuæ non sint simùl physicè quoad existere; possunt esse simùl physicè quoad capi, & mensurari Æternitate mensurante (quatenùs est mensura superexcedens) existentiam rei pro tempore quo est, & simùl carentiam rei pro tempore quo non est; ita vt Æternitas simùl mensuret vtramque vnico amplexu, & vtraque sit simul mensurata: (sicut triticum, & vacuitas simul contenta à cubili,) non quidem simultate existentiæ, sed simultate mensurationis pasiuæ. Licèt ergo in existere detur ex parte creaturarum succesio; secùs in contineri, & ambiri. Sicut in aquis intra alveum, si vnæ currant, & non aliæ, non datur simultas in currere per pontem; datur tamen simultas in cõtineri à ripis, & in ambiri à Gigante.

443 Probatur 3. Æternitas non est minùs infinita in ratione mensuræ, & durationis, quàm diuina scientia in ratione visionis: atqui ista ab Æterno, & nùnc, & semper est visio, intuitio, & amplexus vnicus omnium præsentium, & futurorum ob infinitatem, noscendo vnico ductu omnes simùl, & non vnam post aliam; ita vt non solùm detur ex parte Dei in videre actiuè eas, sed etiam in eis quoad pasiuè videri: ergo similitèr Æternitas ab Æterno & semper est mensuratio earum omnium; ita vt vnico ductu, amplexu, & contactu, ea omnia mensuret, & attingat verè, & physicè simùl, & non vnam post aliam, sed simùl simultate, non solùm ex parte mensuræ actiuæ, sed simultate in mensurari pasiuo, & ex parte ipsarum in ratione mensuratarum. Si enim non obstat succesio rerum futurarum in linea essendi; (imò nec defectus simultatis physicæ in præsentia physica, & faciali requisita ad intuitionem,) vt simùl omnia videantur ab Æterno simultate visorum: nec obstabit succesio physica, vt simùl mensurentur physicè à mensura physica, simultate ambitorum, & mensuratorum; quia

si

sicut videri simul non sumitur à simultanea existentia in eodem tempore, sed à simultanea visibilitate, sic capi simul non sumitur à simultanea existentia in eodem tempore, sed à simultanea capibilitate; & tàm ens, quam non ens capibilitate potiuntur, vt patet in tritico, & vacuitate in diuersis partibus cubilis. Confirm. Mænia Cæsar-Augustæ simùl capiunt intra se diuersa templa, & ista simùl capiuntur ab illis, quia licèt nō existant in eadem parte loci physici; sunt tamen intra eundem ambitum mæniorum, à quo est vna capibilitas: ergo licèt res sint physicè in diuersis partibus temporum, poterit esse in eis vna capibilitas ab amplexu, & ambitu Æternitatis. Et sic mensurabuntur physicè simul simultate mensurantis, & mensuratorum.

444 Vndè notandum est, quòd Æternitas, sicut, & scientia visionis, non est mensura per modum potentiæ, & in actu primo, sed per modum actualis mensurationis. Etenim propterea non fuit à Boetio definita *possessiua*, sed *possessio*, id est actus secundus tenendi adæquans per modum mensurationis vitam interminabilem Dei. Et sic sicut vita Dei est permanens permanentia diffusissima sine principio, & fine; ita Æternitas est eiusdem diffusionis: qua diffusione supposita, resultat secundario in ipsa, quòd ambiat, amplectatur, & contingat, & mensuret mensuratione actuali formali, omnia sæcula successiva vnico tactu in ratione mensurationis, non obstante successione rerum mensuratarum, sicut, & visio, non obstante futuritione, attingit omnia illa simùl in ratione tendentiæ intuitiuæ, & videntis simultate visorum. Vrgetur. Visio Dei, si non complecteretur in se simùl omnes formalitates visionis in ratione visionis, & non essent simùl visa per illam omnia futura, & visibilia, non esset actu in se infinita: ergo neque Æternitas in ratione mensurationis, si de facto non complecteretur in se omnes durationes, tendentias, & contactus mensuratiuos omnium mensurabilium, & omnia non essent mensurata per illam.

Ex

445 Ex his manet iterum, atque ampliùs declarata differentia inter Æternitatem, & tempus in linea speciali mensurandi. Cum enim creaturæ non sint simul in esse, v. g. Infantia, pueritia, virilitas, & senectus in Petro, nec respectu temporis erunt simùl in mensurari; benè verò respectu Æternitatis: id autem prouenit ex natura mensuræ. Cum enim tempus non sit indiuisibile, nec mensuratiuum simùl, sed potiùs est mensuratiuum per partes, & secundum priùs, & posteriùs, vtpote compositum ex diuersis instantibus, creaturæ ab illo non sunt vnico amplexu mensurabiles simul, nec habent vnam mensurabilitatem passiuam, quia tempus non habet simùl totam, sed per partes mensuratiuitatem actiuam: At ab Æternitate mensurantur vnico ductu simùl, quia cum ipsa sit mensura superior, superexcedens, & tota simùl, & mensuratiua simùl, ipsæ in mensurari ab illa, in ambiri, complecti, & contingi, etiam sunt omninò simùl. Solùm enim respectu vnius mensuræ plenissimæ, & mensuratiuæ simùl, ipsæ possunt esse mensurabiles, & capibiles simùl. Sicut mare solùm respectu alvei capientis totum illud simùl, habet vnam simùl capibilitatem; respectu verò plurium vasorum parvorum non capientium simùl, non habet vnam capibilitatem, qua capiatur simùl.

446 Contra doctrinam huius articuli obiicies: ergo futura ex hac ipsa longitudine Æternitatis conuincuntur iam necessariò esse physicè præsentia in Æternitate. Conseq. probat. Quia Deus ex illa, non solùm est Æternus, sed & necessariò sempiternus; sempiternum autem est, quòd semper est, heri nempè, hodiè, & cras: ergo de facto, & simùl correspondet temporibus his heri, hodiè, & cras. Respond (præscindendo à veritate, vel falsitate consequentis) negando consequent. nempè quòd ex vi longitudinis illius conuincantur præsentia: potest enim ipsa esse longa, & diffusa in Æternum, quin ambiat futura exercitè, & quoad efficatiam, & re ipsa vt existentia; eò quòd ipsa nō dum sint. Nec rationes factæ,

vim

vim habent nisi pro sola capibilitate quoad sufficientiam & in excedi, vt statim dicemus: Sicut immensitas est diffussa in infinitum, non tamen replet alium mundum, nec est in Anti-Christo in re, nisi quoad sufficientiam, quia ille adhuc non est. Ad probat. Respond. Deus est æternus, & ex longitudine illa sempiternus, distingo: sempiternus absolutè, & ex diffusione in ordine ad se concedo; relatiuè ad tempora nego, quia non sunt adhuc tempora. Vndè hodiè solum existit in cras quoad sufficientiam, & ex parte sua; secus quoad efficatiam, eò quòd nondum peruenerit cras ad sinum æternitatis, iam præparatum: & in hac capacitate quoad sufficientiam ambiente omnia, simùl simultate capacitatis, & capiuitatis, & diffusionis eminentialis ad omnia simùl, si essent, salvatur sufficientèr æternitatis infinitudo. Sicut in illo Gigante, num. 431. salvaretur infinita diffusio, quin ambiret aquas, si nullæ adhùc in alveo fuissent aquæ. Vide *art.*3. in fine.

447 Pro solvendis alijs argumentis: Nota duplicem capiuitatem actiuam, siuè captiuitatem, & duplicem capitionem, siuè captionem actiuam in actu secũdo; vnam exercitam, quia adsunt requisita. Aliam non exercitam, quia dessunt. Nota 2. Duas capibilitates passiuas. Vnam coexistibilitatis. Aliam excessibilitatis. Per istam ita ab Æterno capiuntur, vt excedantur. Per illam non ab æterno, quia deest fundamentum, nempè existibilitas. Qui neget, futura esse præsentia in Æternitate physicè, potest respondere, quòd illa sunt ab æterno capibilia, & capta capibilitate excessibitatis, non verò coexistibilitatis donec de facto sint. Nec durationes in æternitate inclusæ exercentur quoad denominare Anti-Christum durantem, & coexistentem, donec adimpletur conditio, *quod ipse existat.* Interea autem habent solam capibilitatem excessibilitatis, quatenùs Eternitas diffusione sua, & expansione in infinitum prætergreditur tempora imaginaria in quibus producetur futurum, etiam infinita.

QVÆSTIO XII.

DE PRÆSENTIA PHYSICA FVTVRORVM IN Æternitate.

ARTICVLVS I.
QVID SENTIANT THOMISTÆ?

448 NOta 1. vt de fide certum, quidquid creatum est, incepisse creari, & existere in tempore. Genes.1. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Psalm. 89. *Priusquam montes fierent, aut formarentur Terra & Orbis, à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus.* Vndè ab æterno absolutè erat carentia rerum, non verò res. Nota 2. æternitatem intrinsecam Dei posse sumi formalitèr, & posse sumi etiam virtualitèr. Primo modo est indiuisibilis, & tota simùl formalitèr. Secundo modo est diuisibilis, habensque varios sinus virtualitèr diuersos: & quasi parificantur in hoc sensu æternitas, ac tempus imaginarium æternum, quod est æternitas extrinseca; quia sicut in vna parte huius temporis datur Adamus, & in antecedentibus carentia: Sic, & in vno sinu æternitatis datur ille, & in antecedentibus carentia.

449 His sinibus suppositis, distantia rerum Physica, realisque succesio inter rem, & rem; apud Thomistas non impedit simultatem physicam in contineri, & capi à cōtinenti communi, & vniuersali, sed solam simultatem physicam inter ipsas res quoad se. Sic sunt, & coexistunt simùl physicè in Hispania Oppida inter se distantissima; v.g. Matritum, & Cæsar-Augusta: non simùl simultate vicinitatis, aut contactus inter se, quia vnum non tangit physicè aliquid alteriùs, nec se habet physicè propè ad illud, sed simultate capibilitatis intra terminos Hispaniæ. Idem de grege, & alijs rebus; imò, & de carentijs ipsarum contingit in magna platea

in

in diuerſis angulis illius. Licèt enim non detur ſimultas contactus, datur tamen ſimultas quoad capi intra plateam. Similitèr venientes ad Eccleſiam in proceſsione, non ſunt ſimùl phyſicè quoad peruenire ad Eccleſiam, ſed ſucceſsiuè. Sunt tamen ſimùl quoad aſpici, & videri ab aliquo exiſtenti in alta turri ipſius Eccleſiæ.

450 Nota 3. Adamum habere duas menſuras: Vnam propriam, & particularem, & hæc eſt tempus in quo durabat. Aliam vniuerſalem, atque ſuperexcedentem, & hæc eſt æternitas, quæ eſt menſura multò maior, capiens intra ſe; non ſolùm Adamum, ſed alias res ſequentes cum ſuis ſucceſsionibus, & carentijs pro diuerſis ſinibus. Licèt ergo in menſura propria detur ſucceſsio, non in communi. Hinc colligitur, quod aliud eſt correſpondere Deo æterno; aliud Deo ab æterno, (ſaltim abſolutè loquendo,) quia ad correſpondendum Deo æterno ſufficit exiſtere in aliquo ſinu æternitatis, & tangere phyſicè aliquid Dei. Vndè Deo æterno quæuis creatura in propria menſura correſpondet. Sicut vt nauis ſit in mari, ſufficit ſi ſtet in parte aquæ maris: at vt ſit in mari, *à mari, vſque ad mare*, requiritur quod ſit in toto mari totalitèr, & omnes eius partes adæquet. Sic, vt abſolutè Anti-Chriſtus correſponderet Deo ab æterno in æternum, deberet omnibus ſinibus à parte ante, & poſt, & totalitèr correſpondere.

451 Nota 4. Duas dari in creaturis præſentias reſpectu Dei. Vnam phyſicam: aliam intentionalem, ſiuè obiectiuam. Phyſica eſt per exiſtentiam phyſicam cum Deo ſimùl, ſimultate coëxiſtentię, qualem habeo ego modo cum Deo æterno. Intentionalis eſt, qua in eſſe illo, quòd habet res, vel habebit ſuo tempore, ſit Deo patens, cognita, & intuita ab ipſo. Aliqui DD. Moderni hanc præſentiam obiectiuam diſtinguunt in duas. Vnam in actu 1. Aliam in actu 2. Prima conſiſtit in eo, quòd creatura ante ſui cognitionem habeat exiſtētiam ſuam in ſuo tempore ita vt ob eam, habeat capacitatem,

sitque apta, vt cognoscatur, & videatur ab æterno, ita vt præsentia obiectiua, siue ratio actu visibilis, & visæ, sit ab æterno, licèt physica existentia sit in tempore, & non ab ęterno. Secunda verò cōsistit in eo, quod actu sit visa, atque intuita talis creatura.

452 Thomistę ergo ferè omnes docent, futura existere, & coexistere physicè toti æternitati, ita vt Anti-Christus, v. g. non solùm obiectiuè, sed physicè coexistat nunc æternitati, quia habet simultatem physicam cum æternitate pro suo sinu, & tempore, sicut nauis cum Mari. Cum enim æternitas, indiuisibilis sit, quòd physicè est simùl cum parte ipsius, cùm tota ipsa est simul. Cum autem nulla res possit esse physicè tacta, & tenta, nisi existat in instanti in quo physicè tangitur, Anti-Christus hodiè existit in æternitate, quia hodie tangitur, & tenetur ab illa, se physicè diffondente ad Anti-Christum, eo quòd iam ipsa hodie sit duratio omnium crastina, & procrastina ipsius Anti-Christi: omnis autem duratio est physica tentatio, & physica alligatio rei durantis ad mensuram duratiuam. Ex quo sequitur, quòd res, quæ in aliquo æternitatis est physicè præsens, in tota æternitate est præsens. Si quæras ab eis, an non solùm sit præsens, *toti æternitati*, sed *toti ab æterno*? Negat Gonet *de Scientia, disp. 4. art. 7. §. 1.* quia ly *ab æterno* sonat existentiam in omni sinu æternitatis. In alio autem sensu admittitur communitèr à Gonet, & Thomistis hæc propositio: *Anti-Christus existit physicè hodiè, & nùnc in æternitate ab æterno.* Pro percipiendo autem sensu isto.

453 Nota 5. Aliud esse loqui de æternitate sumpta diuisibilitèr virtualitèr, & aliud loqui de illa sumpta, formalitèr, & indiuisibilitèr. Admittitur ergo ab ipsis coexistentia physica Anti-Christi cum tota æternitate ab ęterno, sumpto ly *ab æterno*, non quidèm diuisibilitèr, siuè iuxta sinus ęternos varios, & virtualitèr diuisibiles, (sic enim falsa esset propositio) sed sumpto formalitèr, identicè, indiuisibilitèr, & per modum vnius,

(præcissa omnino diuersitate sinuum, & virtualitatum.) Sic enim quidquid est in æternitate per modum vnius sumpta, est in tota illa, & est ab æterno æternitatis. Licèt non ab æterno virtualitatis. Et per hoc acerbitas huius sententiæ valdè temperatur. (pręcipuè supposita expansione æternitatis ad quærenda futura de qua statim) Sicut si in vno anno in diuersis mensibus nascantur duo homines insignes, verè dicimus, quod N. & N. simùl nati sint, & esse cæperunt, ab anno, v.g. vigesimo; simùl inquam simultate anni indiuisibilitèr, & per modum vnius sumpti, non verò simultate mensis, aut diei: imò nec simultate anni sumpti diuisibilitèr, & secundum diuersos sinus, & virtualitates. Sic ergo existit Anti-Christus in tota æternitate ab æterno, sumpto idemticè & formalitèr, atque exclussa diuersitate sinuum.

454 Sequitur, quod in hac propositione: *Anti-Christus nunc existit, & coexistit æternitati ab æterno*; distinguendum est duplex NVNC: vnum commune omnibus, vt æternitas per modum vnius sumpta. Aliud speciale, & proprium, nempè *nunc* nostri temporis, vel *nunc* ęternitatis provt partitum, & cōtractum ad sinum specialem nostri temporis. Cum ergo dicitur: *Anti-Christus durat nunc in æternitate*: Non est, quia hodie duret duratione nostri temporis, vel sinus præsentis; nec cum dicitur, *quòd duret in æternitate ab æterno*, sensus est, quod duret hodie ab ęterno temporis, nec ab æterno sumpto secundum sinus præteritos æternitatis: durat ergo hodie duratione sola communi æternitatis ab æterno sumptis idemticè, formalitèr, indiuisibilitèr, atque per modum vnius, nam solùm in hoc sensu est verum de re indiuisibili, quòd quando tangitur aliquid eius, tota tangitur.

455 Sed quomodo, si Anti Christus de facto non existit, ęternitas de facto habere potest simultatem cum illo, antequam producatur iste? Respondent, Anti-Christum, v.g. esse physicè præsentem æternitati, non quidem per retrotractionem eius à suo tempore,

nec quia ſit in æternitate antequam ſit, & producatur in ſe, nec quia diſlocetur à proprio *nunc*, & eius exiſtentia retrotrahatur ad æternitatem; ſed potiùs per diffuſsionem, & expanſionem æternitatis ad illum, quia ipſa æternitas extenditur ad illum, & quaſi dilatat ſe ad quærendum, & amplectendum illum. Cùm enim æternitas ſit ſimùl duratio hodierna, & heſterna, & craſtina, atque in infinitum à parte poſt diffuſſa, iam hodie eſt extenſa ad diem iudicij, & ad Anti-Chriſtum. Non ad Anti-Chriſtum, qui iam eſt, ſed Anti-Chriſtum, qui non eſt, ſed tunc erit: Æternitas tamen vtpote, quæ de facto eſt duratio craſtina, & procraſtina, & expanſa in futurum, iam eſt phyſicè cum illo, & poſsidens, atque tangens illum, antequam veniat ad nos: quia licèt ipſe non venerit, illa iuit ad eum anticipate, & quaſi invenit in itinere ad nos, per quam anticipationem quærens illum, quaſi invenit in diuerſorio temporis futuri, & ibi adinventum, amplexatur, poſsidet, & tangit eum: non quidē, vt iam dixi, anticipatione Anti-Chriſti ad Æternitatem, ſed extenſione anticipata Æternitatis ad illū.

456 Vndè licèt Anti-Chriſtus non exiſtat adhùc quoad nos, nec correſpondeat nobis, exiſtit tamèn phyſicè quoad Deum, quia Deus ſua æternitate tangit phyſicè illum, quia ſe extendit ad illum. Declaro exemplo: Si Rex veniat Cæſar-Auguſtam, ante ingreſſum phyſicum in illam, & antequam excipiatur phyſicè à Ciuibus intra illam, (quòd fiet cràs, v.g.) potuit heri ab ipſis Ciuibus phyſicè excipi, & amplecti; ſi nempè anticipatè ſe extenderint ad ipſum in aliquo oppido itineris. Tunc enim Rex phyſicè excipitur anticipatè à Cæſar-Auguſtanis; non quidem anticipatione adventus ſui (venit enim tempore deſtinato, & non antea) ſed anticipatione, & extenſione Ciuium ad ipſum phyſicè amplectendum, antequam veniat. Vndè Rex iam quaſi venit heri phyſicè quoad Ciues hoſpitatores, venturus cras, & non antea quoad nos. Sic eſt in Anti-Chriſto, qui iam venit quoad Deum, & ſic eſt phyſicè poſſeſſus, tentus,

& contactus ab æternitate extensa physicè ad illum antequam veniat ad nos; quia si ipse non venit hodiè, ipsa iam hodiè iuit ad illum.

457 Addo, & aliud exemplum. Sit in ripa maris rete magnum, & piscis intra mare valdè distans à ripa. Si tunc rete fixum, & perseuerans in ripa expandatur ad mare versus piscem distantem, tunc piscis est ambitus, & conclusus intra rete in ripa existens, licèt adhùc non veniat, sed potiùs maneat ipse piscis valdè longè à ripa. Ratio autem est, quia inclusio piscis in reti ripæ, non fit per adventum, & peruentionem piscis ad ripam, sed per extensionem, & expansionem retis ad piscem existentem adhùc longè in ipso mari. Item Cæsar-Augusta distans à Matrito per 50. leucas potest esse conclusa intra muros Matriti, quin ipsa dimoueatur à suo loco; si nempè muri Matritenses ita augeantur, extendantur, & dilatentur versus Cæsar-Augustam, vt ipsam extensione sua intra se concludant.

458 Eodem pacto anima rationalis illius Gigantis, si Gigas cũ tota sua expansione à Deo in instanti producatur, amplectetur simùl aquas longè adhùc venientes, atque illas circundabit, & ambiet simul, non quod aquæ peruenerint ad Gigantem in ponte adhùc, sed quod Gigas brachium suum expanderit ad illas. Sic ergo Anti-Christus existit in æternitate, non per retrotractionem, sed per extensionem Æternitatis ad illum.

459 Nota 6. Quòd hæc Æternitatis expansio physica ad tempora futura valdè prodesse potest ad declarandum, quomodo Deus videat visione intuitiua, & quasi faciali futura ipsa, ab æterno, & antequam sint in propria mensura. Etenim quando res aliquantulum distans à nobis videri nequit, etiam si oculos habeamus sanos, solemus extendere collum, & caput; quæ extensio physica multum prodest ad videndum; quia adquiritur ad obiecta propinquitas maior: non quòd obiecta appropinquent ad nos, sed quod nos physicè extensione illa capitis appropinquemus illis. His suppositis.

ARTICVLVS II.

PROBANT SVAM SENTENTIAM THOMISTÆ.

460 Mens ergo Thomistarum est, quòd futura coexistant physicè æternitati, eò quòd ipsa ob suam diffusionem se extenderit ad illa in suis temporibus, cum enim sit simùl hodierna, externa, & crastina, debet esse indistans à rebus præteritis, hodiernis, & crastinis, ac per consequens simùl ita expansa ad futura vt sit simùl physicè cum illis. Nec ob id res sunt ab æterno pro sinu æterno, & retrotractæ, sed solùm ab æterno æternitatis formali, & identico.

461 Quòd ergo omnia (non obstante reali successione eorum inter se ipsa) existant simùl in æternitate, simulteate capibilitatis, coexistentiæ, durationis, & mensurationis. Probatur 1. à Thomist. *Ex infinitudine, vniformitate, summaque perfectione*, quam dicit æternitas, non solùm in essendo, sed in mensurando. Ex *infinitate*, quia mensura à qua non capiuntur omnia simùl, sed vnũ post aliud, finita potiùs est, quã infinita, vt patet in Vase parvo respectu maris, ex n. 400. *Ex vniformitate*, quia si per mẽsurã nõ sint omnia simùl amplexata, & mensurata, non erit sumè vniformis, & immutabilis in exercitio actuali, & actu secundo mensurandi; mensurando enim nunc vnum, & postea aliud, quòd fiat repetitio, & variatio in actuali mensuratione, necesse est. Repetitio autem cum in exercitio, & actu secundo importet mutationem, importat etiam imperfectionem Repeti enim mensurationes est proprium mensurę imperfectæ, vt patet in vlna lignea, quæ ad mensurandum magnam quantitatem panni eget repetitione mensurationum ob suam parvitatem, & imperfectionem; & sicut, si Deus modo videret vnum, modo aliud etiam variaretur, & esset imperfecta visio, & terminatio.

Ex

462 *Ex perfectione summa*. Mensura enim non claudens formalitèr, vel eminentèr simùl omnem perfectionem, & actualitatem de linea mensurandi, non erit sumè perfecta in sua linea; sicut si Immensitas non repleret simùl sursum, & deorsum. Sicut autem de linea integra intelligibili sunt, intelligens, intellectio actualissima, & omnium simùl intellectio; sic de linea mensurandi, & durandi sunt, mensura, mensuratio actualissima, & omnis omnium mensurabilium mensuratio, duratio nempè Dei, & creaturarum. Dei, vt forma intrinseca; creaturarum vt extrinseca. Vndè æternitas simùl, & indiuisibilitèr, est duratio rerum vt dictum est, hodierna, externa, & crastina, &c. (in quo differt à nostra, quæ est solùm hodierna) hæc enim simul, eius complent summam, & integram perfectionem.

463 Hinc probatur 2. Res tùm hodierna, tùm externa, tunc existit physicè in aliquo *NVNC* & duratione, quando datur physicè talis eius duratio, possessio, & physica ipsius contactio. Atqui hodiè datur simùl duratio earum in æternitate: ergo, & ipsæ simùl existunt in æternitate. Minor patet. Tùm quia duratio æternitatis à nostra differt, quia nostra de præsenti, & simùl, solùm est hodierna, illa verò est, hodierna, externa, & crastina; nam si aliquid deesset, non esset nunc perfecta; & si crastina non est actu, sed esset futura, æternitas nō esset tota actu infinita, sed potentia; sicut enim ab omni scientia, est simùl Omniscius, ita ab omni sua duratione simùl habita, Deus est *OMNI DVRANS*. Tùm, quia debet in æternitate simùl includi omnis perfectio lineę, nempè mensura, actualis mensuratio, & tentio, atque contactus physicus, (quia iste est imbibitus in mensuratione actuali) & quod sit omnium mensuratio, & tentio: ergo sicut per intellectionem omnia sunt simùl intellecta vno ductu, ita per æternitatē vno ductu omnia simul durantia, & tēta: sicut enim visio sine viso repugnat, & vnio physica sine vnito physicè simul existente, ita & duratio, atque tentio physica sine extremo physicè tento,

to, & existenti: cum duratio rei imbibat simultatem physicam cum re durante. Si ergo duratio Anti-Christi imbibita in æternitate est formalitèr existens hodie, vt probatum sæpè est: ergo Anti-Christus tentus, tactus, & durans per illam, (facta comparatione inter illum, & illam) etiam existit hodiè, id est duratione æternitatis iam præsenti.

464 Confirmatur. Illa existunt simùl in aliquo 3. quæ durant simùl in illo, illa autem durant simùl in illo, quorum duratio in illo est physicè simùl; atqui res hodierna, hesterna, & crastina, duratione æternitatis durant simùl, quia earum omnium duratio per æternitatem est simùl: ergo comparatiuè ad æternitatem existunt, & coexistunt simùl: non quidem simultate inter se, sed simultate cõparatiuè ad æternitatem; sicut sunt visa simùl, & sicut Matritum, & Cæsar-Augusta sunt simùl, non inter se, sed intra Hispaniam.

465 Ex his, Impugnata manet responsio dicẽtiũ æternitati repugnare quidẽ in mensurando successionẽ, sed successionẽ provenientẽ ex parte sua; secus ex parte creaturarum successiuè advenientium; sicut permanentiæ, & Fixitati pontis repugnat in mensurando aquas advenientes, successio, & mutatio ex parte sua, non verò ex parte aquarum. Contra 1. Quia propterea pons est finitus, quia aquæ ipsæ non possunt simùl intrare in illum, & capi ab illo: sed successiuè ex parte aquarum. Contra 2. Immensitas quia infinita, debet replere simùl omnes differentias locorum; v.g. sursum, deorsum, &c. simultate non solum replentis, sed etiam ex parte repletorum: ergo, & æternitas res hodiernas, hesternas, & crastinas, simùl simultate etiam ex parte possessorum, quia sicut sursum, & deorsum sunt differentiæ de linea præsentię, ita præsens, & futurum de linea durationis, & quidquid de linea durationis est, simul debet in æternitatem congeri. Contra 3. Quia æternitas differt ab alijs mensuris, quia illæ sunt mensuratiuæ in actu primo, ista ob infinitudinem perfectionis in sua linea, est mensuratio,

possess-

possessio, tactio physica in actu secundo. Vndè mensuræ finitę possunt existere sine mensuratis, & sine contactu eorum, quia non sunt eorum physica in actu 2. tentio. Atqui æternitas, vt dictum est, est ex se in actu secundo physica tentio: ergo non potest esse sine ipsis actu tentis, & actu mensuratis, sicut nec vnio sine extremo vnito, & simùl existenti. Confirmatur, quia si hodie datur in diuisibilitèr tota æternitas formalitèr: ergo datur formalitèr duratio diuina crastina: ergo, & datur tentio, & possessio rei crastinæ: ergo, & datur, quòd res crastina sit tenta ab æternitate, & physicè existens, & coexistens durationi crastinæ æternitatis. Cùm autem duratio crastina sit etiam hodie, comparatiuè ad æternitatem, res crastina erit hodie.

466 Probatur 3. Sicut respectu loci differentiæ sunt, *sursum, deorsum, dextrum, & sinistrum*; respectu durationis, differentiæ sunt, *præteritum, præsens, & futurum*. Modo sic: vna & eadem anima rationalis, indiuisibilis cum sit, potest ita diffundi in corpore, vt simùl repleat, & amplectatur differentias illas, vt patet in capite, pedibus, & brachijs: ergo multò meliùs eadem Æternitas Dei per modum durationis, licèt indiuisibilis sit, poterit ita diffundi vt simùl sit duratio ambiens, & capiens præteritum, præsens, & futurum, simùl inquam etiam ex parte captorum; sicut anima rationalis etiam replet sursum, & deorsum simùl ex parte repletorum.

467 Si respondeas 1. futura nondum advenisse, & ideò æternitas non potest amplecti illa; sicut anima amplectitur caput, & pedes. Contra, quia licèt nondùm ipsa advenerint in sua mensura, probatum est, quòd æternitas quasi iuerit ab æterno, & se expanderit ad illa, & vltra illa: sicut licèt non pervenerit eorum præsentia ad scientiam; scientia quasi ivit, & se dilatauit ad illa. Nam sicut scientia, si non iuisset intuitu suo de facto, & ab æterno ad illa, sed expectasset, vt advenirent illa, non esset visio infinita, nec perfecta: sic nec æterni-

tas

tas in ratione mensurationis fuisset infinita, nec perfecta nisi ab æterno quasi iuisset ad illa, imò & vltra illa. Vndè, si dicas 2. Si Anti-Christus nondùm peruenit, quomodò potest ab æternitate ambiri? Ripæ enim fluminis ambiunt aquas, sed quæ iam pervenerunt ad aliquam partem ipsarum. Sed contra, quia Anti-Christus quoad nos non pervenit, nec pervenit quoad Deum secundum virtualitatem æternitatis Dei à parte ante: sed pervenit quoad Deum secundum virtualitatem Dei à parte post, quod est pervenisse ad ripas secundũ aliquam partem virtualem ipsarum.

468 Confirmatur: Quia hæ solutiones supponunt, quòd æternitas sit indiuisibile quoddam simplex expectans tempora advenientia, sicut pons aquas, vt illa mensuret, cum tamen non sit purè simplex, sed potiùs sit indiuisibile virtualitèr inflatum, expansum ab æterno super omnia tempora, & extendens brachium ab æterno physicè ad illa provt in sua mensura: Futura enim non correspondẽt æternitati per retrotractionẽ, & per anticipationem suæ existentiæ, & adventum ipsarum ad virtualitates à parte ante, (nam in istis potiùs erat ipsorum physica carentia) sed correspondent æternitati, eò quòd venientibus illis suo tempore, & quando decretum est, vt producantur, & veniant, æternitas quasi anticipauit ad illa diffusionem suam omnem à parte post, & per illam expansionem suam amplectitur omnes diuersorum temporum creaturas. Sicut Beata Virgo, expandendo pallium suum, contegit, & ambit Sanctos diuersorum temporum, expansione illa pallij sui; ita æternitas amplectitur sub pallio suo, in vno sinu rem, in alio carentiam eius. Sicut magna platea intra se simùl tenet diuersas res, & in vno angulo rem, in alio carentiam, & vtrumque simùl. Vndè intra æternitatis diffusionem, & expansionem, & actualem ambitum, talia futura pullulantia, secum per amplexum illum inflatum quasi admisit, & incorporauit; ita enim se diffundit ab æterno in æter-

num

num, vt eorum preteritio, presentia, & futuritio quandocumque nascantur, non ad ipsam veniant, sed intra ipsam nascantur, & intra ipsam sint, & simùl sint, vtraque simultate, & capientis, siuè amplexantis, & capti, siuè amplexati.

469 Si dicas: Immensitas de facto non replet alium mundum, quia licèt esset futurus, sed non est existens; atqui nec seculum futurum est existens: ergo æternitas de facto physicè non mensurat illud. Patet à paritate, nam non est minùs infinita immensitas, quàm æternitas. Contra, quia ex hoc firmior fit tradita doctrina; quælibet enim ex illis cum sit infinita Cathegorematicè, debet eminentèr continere quidquid est perfectionis de sua linea, non de aliena: non autem est de linea immensitatis & presentiæ, preteritum, & futurum, sed locus omnis secundum sursum, & deorsum; cum verò de linea duratiua sit correspondentia ad quodcumque tempus & eius contactus, æternitas debet in se ipsa claudere omnia illa, & de facto claudit durationem immediatam, & tangentem Anti-Christum, quia etiam est de sua linea. Sicut enim scientia, requiritur, quod actu simùl, & formalitèr attingat, (ob suam infinitatem) omnia scibilia successiuè existentia, quia tales attingentiæ sunt de sua linea. Sic requiritùr quod linea æternitatis, omnia mensuret simùl, quia omnis duratio est de linea mensurationis.

470 Probatur vltimo, & vrgentissime. Duratio hodierna est indistans à rebus durantibus hodie, & crastina à durantibus cras: ergo eo ipso est simùl physicè cum illis. Atqui æternitas modo, & semper est omnis duratio perfecta, externa, hodierna, & crastina: ergo est indistans etiam à rebus crastinis: ergo per expansionem ad illas est iam præsens, & simùl cum illis, & ille æternitati sic expanse sunt physicè indistantes, presentes, & simùl.

ARTICVLVS

ARTICVLVS III.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRA ISTAM Sententiam.

471 Recordare 1. Duas dari mensuras, vnam æternitatis,& aliam temporis. Aliud ergo est *ab Æterno Æternitatis*; & aliud *ab Æterno Temporis.* (videlicèt imaginarij) Nota 2. Quòd hęc propositio absolutè prolata: *Anti-Christus est ab æterno*, est falsa, quia absolutè prolata sonat ab æterno temporis. Erit autem vera cum addito sic: *Anti-Christus est ab Æterno Æternitatis, vel ab Æterno in Æternitate*; quia cum addito non sonat esse æternum Anti-Christi, sed esse Anti-Christi mensurari Æternitate formali, & identica,& superexcedentèr.

472 Nota 3. Duplex dari *Nunc*; sicut,& duplex datur *Hic*. Vnum speciale. Aliud commune. In hac ergo propositione,& similibus: *Anti-Christus existit physicè in Æternitate*: *Nunc* imbibitum in ly *existit* de prȩsenti, si sumatur specialitèr pro *Nunc* temporis, vel pro *Nunc Æternitatis specialitèr contractum ad sinum Anti-Christi*, reddit propositionem falsam. Si sumatur pro *Nunc* Æternitatis communi, identico,& formali, atque indiuisibili per modum vnius, est vera. Sicut hęc propositio: *Archiepiscopus est hic*, erit falsa, si sonet locum meȩ cellulȩ, vel Cȩsar-Augustanum locum prout contractum ad sinum,& partem meȩ cellulȩ. Vera autem erit si sonet Cȩsar-Augustam indiuisibilitèr, & per modum loci communis sumptam.

473 Nota 4. Nos quoad sensum, difficultèr amplecti hanc propositionem, & similes, loquendo de præsenti: *Anti Christus existit in Æternitate ab æterno*; quia summus asuefacti summere has propositiones de prȩsenti respectiuè ad tempus loquentis, potiùs quam ad *Nunc* identicum, & formale Æternitatis,& intelli-

gere

gere illas iuxta tempus nostrum sensibile, atque in sensu absoluto, cum non sint summende in hac questione, *nisi cum addito, & comparatiuè ad Æternitatem*; comparatione ad illam vt sic, & identice, & vt à tempore separatam. His notatis.

474 Obijcies 1. Sequi quòd Anti-Christus in Æternitate sit, & non sit. Probatur: Quia, licèt in diuersis sinibus, equè coexistunt Æternitati eius carentia, ac eius existentia. Resp. distinguendo antec. Quòd sit, & non sit in Æternitate respectu diuersorũ sinuum concedo: (quia in hoc non est contradictio; sicut nec in eo, quòd anima moueatur in manu, & in pede stet) absolutè nego, quia absolutè est verum, quòd Anti-Christus sit, & falsum, quòd non sit. Cùm enim negatio sit malignantis nature, sonaret, quòd in nullo sinu sit: est ergo verum, quòd existentia, & carentia sint; non verò, quòd Anti-Christus sit, & non sit.

475 Obijcies 2. sequi, Adamum, & Anti-Christum coexistendo simùl Æternitati, coexistere simùl inter se, quia sunt eadem vni tertio. Nego sequelam: Licèt enim coexistant Æternitati toti, sed non totalitèr, & adequatè, sed in diuersis sinibus: sicut pes, & caput penetrantur cum eadem anima rationali indiuisibili, & tota, sed non inter se. Roma, & Cæsar-Augusta penetrantur cum eadem immensitate, & non inter se. Nec generalitèr est verum, esse idem inter se, que sunt idem vni tertio, nisi solum in essentibus idem per identitatem, (imò per identitatem adequatam) non per correspondentiam; & si per istam: erit verum, quando correspondeant vnitertio toti adequatè, & totalitèr, & secundum omnes sinus. Nec valet argumentum à simultate mensure communis ad particularem; nam Rex Hispanie, & Gallie sunt simùl sub Cœlo, non simùl sub tecto.

476 Obijcies 3. Si futura existunt simùl, & in actu in Æternitate, cum sint infinita, dabitur physicè infinitum in actu. Respondet Gonet, non sequi infinitum in actu propriè, quia existere in Æternitate non est pro-

priè

priè exiſtere, ſed cum addito, nempè comparatiuè ad Æternitatem. Hęc improprietas exiſtendi eſt notanda pro artic. ſequenti.

477 Objicies 4. Nihil poteſt contineri phyſicè in menſura vniuerſali, niſi contineatur phyſicè in ſua particulari, & ſub modo ſpeciali. Sic nullum corpus continetur intra primum mobile, niſi contineatur ſub concavo Lunæ. Atqui res craſtina hodie non continetur ſub duratione ſpeciali craſtina: ergo nec ſub generali Æternitatis. Confirmatur: Quia res nequit ſub modo generali, & ſuperiori habere, quòd repugnat illi in menſura propria, & inferiori: ergo ſi Anti-Chriſto in ſpeciali menſura repugnat exiſtere ab ęterno, etiam in generali. Anteced. patet: Quia naturę rerum non mutantur per menſuram ſuperiorem, nec fiunt capaces illius quòd eis eſt repugnans. Ad argumentum diſtingo maiorem. Si menſura vniuerſalis ſit finita, concedo. Si infinita, nego. Diſparitas eſt, quia eſt proprium infinitæ, non limitari ad menſuratum in vno ſtatu, ſed extendi ad illud in quocumque ſtatu. Siuè ergo res durans ſit ſub modo exiſtentiæ ſuo, ſiuè extra illum in modo futuritionis, non poteſt effugere capitionem, & expanſionem Æternitatis, vtpote menſuræ infinitæ, ſicut poteſt finitæ. Ad confirmationem reſpondetur. Quando prædicata ſunt contingentia non variare naturas rerum: ac per conſequens poſſe conuenire rei ſub modo ſuperiori, quod ei repugnat ſub inferiori.

478 Replicabis. Etiam ſi Immenſitas ſit infinita nequit ab ea repleri, aut menſurari corpus non exiſtens in ſe: ergo nec ab Æternitate, quantumcumque infinita. Reſpondet 1. Gonet *diſp 4. de Scientia Dei, art. 7. §. 5.* Quæ continentur in alio contineri ad modũ illius. Æternitas autẽ non cõtinetur, nec eſt in rebus, ſed iſtę in illa, vt in duratione, & menſura, & ad modum illius: & cum exiſtat illa exiſtent, & ipſę in illa. At res non ſunt in Immenſitate, ſed iſta in illis, & replendo illas, & ad modum earum, & ſic eſt in illis actu, ſi illę ſunt actu, & eſt

in

in illis solùm in potentia, siuè de futuro, si illæ sunt futuræ. Hanc solutionem dicunt contrarij esse nudas voces, quia de continentia nihil habet æternitas, sicut nec immensitas. Ideò respondetur 2. negando paritatem, quia infinitas infinitat vtramque, & dat omnino perfectionem suæ lineæ, non verò alterius. Immensitati autem non sunt de linea eius, futura; quia differentiæ loci sunt *ante, & retro, sursum, & deorsum*; respectu quorum ipsa se habet per modum virtutis repletiuæ, & extendibilitatis in illis, non verò sunt differentiæ, præsens, & futurum, quia ista sunt de linea æternitatis, & durationis, & sic debet tales differentias continere, & ideò futura actu possidere, & continere.

479 Obijcies 5. Sequitur, quòd creaturæ sint ab æterno in suo esse, & in propria mensura: ergo. Probatur antec. Quia eatenus sunt in æternitate ab æterno formali æternitatis, quatenùs habent existentiam suam, & durationem suam in aliquo sinu æternitatis. Atqui illas habent in tali sinu ob mensuram propriam, vt exercite talem, & habent sub omni modo reali, & formali, quem habebunt in tempore, nam sub omni tangunt aliquid æternitatis: ergo etiam in propria mensura sunt ab æterno æternitatis. Maior admittitur ab aduersarijs, & rationes, art.4. adducendæ eam firmabunt. Concessa ergo maiori, & minori. Distinguo conseq. in propria mensura, provt mensurante, nego: provt mensurata superexcedentèr ab æternitate, concedo. Contra: propria mensura, vt mensurans erit quid reale, sicut, & exercitium ipsum mensurandi: ergo etiam sub ratione mensurantis specialitèr, & propriè est in æternitate physicè, sicut, & omne aliud futurum reale. Dicerem ego pro Thomistis, notando circa propriam mensuram, quòd in ea exercitium ipsum actiuum mensurandi in suo tempore, & vt mensuræ particularis, posse respectu alterius mensuræ communis non se habere specialitèr, & formalitèr, vt mensurās actiuè, sed vt mensuratū solū materialitèr, & præsuppositiuè, vt mensurans: Comparatū enim cū mensura cō-

muni accipit diuersum, & nouum respectum mensurati per communem. Sic quando mensuræ particulares Mercatorum vocantur ad examen de fidelitate à Republica, fitque tale examen per alia pondera fidelissima in Archiuo Reipublicæ asseruata, tunc mensuræ illæ particulares, licèt examinentur de ratione formali, & æquali mēsuræ, sed tunc solùm præsuppositiuè se habent vt mensuræ: formalitèr autem in examine, non vt mensuræ, sed vt mensuratæ. Similitèr, si capsula pignus prętiosum custodiens claudatur in arca ferrea maiori cum alijs Thesauris; tunc capsula capiens, est capta in arca maiori, sed non est in illa specialitèr, nec formalitèr vt custodiens, sed potiùs vt custodita ab arca maiori superexcedenti: ipsum enim custodire pignus se habet materialitèr, & generalitèr, & more communi Thesaurorum custoditorum respectu arcæ, & sic se habet, non tàm vt custodiens, quàm vt custodita. Sic licèt propria mensura inseparabilitèr reddat Anti-Christum durantem in suo tempore, & sic illa, & istæ sint in æternitate, sed cum toto illo munere mensurandi illum in suo tempore se habet ad istam solùm materialitèr, & præsuppositiuè; nam formalitèr, potiùs est vt mensurata ab arca æternitatis communi, & superexcedenti per nouam mensurationem, quàm specialitèr, vt mensurans Anti-Christum.

480 Obijcies 6. Quādo Anti-Christus producatur, incipit existere in se ergo, & in ęternitate: ergo nō coexistit illi ab æterno physicè. Respōdeo cōcesso antec. Nego conseq. Quia nō valet, nā fit transitus de mensura particulari ad communem. In illa, quia non erat, incipit, & mutatur, secus in ista in qua semper erat, (semper inquam sempiternitate ęternitatis, non temporis) Anti Christus ergo in se mutabitur: in illa verò, & quoad illam non mutabitur. Sic Hispanus veniens è Matrito, qui incipit morari Cæsar-Augustæ, non ideò incipit morari in Hispania. Sic Monialis, quæ intra suum Monasterium mutet cellulam, & incipiat habitare in illa, non ideò mutat Monasterium, nec incipit esse in eo, cum hoc sit commu-
ne

ne vtrique cellulæ. Similitèr Anti-Christus incipiet in se, & quoad tempus, sed non quod æternitatem in qua semper est. Ita intelligendus est Alselmus, dicens: *Res esse in tempore mutabilitèr, immutabilitèr verò in æternitate.* Et benè: quia mutat cellulas temporis intra eandem indiuisibilem æternitatem, à qua semper immutabilitèr, & simùl sunt ambitæ, quia res, tàm essens, quam non essens, est in æternitate, & vtroque modo, (licèt in finibus diuersis) intra ipsam est, & in æternitate est.

481 Si replices: Esse in æternitate imbibit esse in se; atqui quoad esse in se incipit: ergo, & quoad esse in ęternitate. Nego conseq. Quia nō valet arg. ad esse absolutè ad esse cū addito; nec à mensura particulari ad cōmunem. Sic non valet: Anti-Christus incipiet esse: ergo incipiet esse vissus à Deo. Item ego incipio esse Cæsar-Augustæ; atqui hæc est terra Hispana: ergo incipio esse in terra Hispana. Similitèr non valet vestra replica, quia fit transitus de esse, ad esse cum addito, nempè in æternitate. Item de mensura particulari ad communem. Vndè Anti-Christus incipiet esse inceptione temporis, non verò inceptione æternitatis, quia talis inceptio cum in parte æternitatis sit, in tota illa est, & sempiternitate æternitatis semper est.

482 Vel dic 2. Quod incipiet esse, *inceptione æternitatis, quoad finum specialem*, concedo: Quoad æternitatem sumptam vniuersalitèr, & formalitèr, nego. Sicut incipiens esse Cæsar-Augustæ, incipit esse in terra Hispana, provt contracta ad Cæsar-Augustam. Vel tandem ad illam propositionem: *Incipit esse in tempore: ergo, & in æternitate;* distingue conseq. Incipiet in æternitate inceptione materialitèr se habente ad æternitatem, concedo; quia inceptio ipsa temporis, sicut, & quodlibet aliud ens, fit durans ab æternitate: Formalitèr se habente, nego; quia licèt inceptio Anti-Christi temporanea & finita, fiat ab æternitate durans, non fit ab ęternitate incipiens durare, sicut fit à tempore, sed potiùs durans sempér indiuisibilitèr, & immutabilitèr sempiternitate æternitatis

L 2 for-

formalis,& idẽticæ;iuxta quam,quòd durat per aliquid eius,durat formaliter per totam ipſam,totalitate formali, & immutabili. Vndè quamuis Anti Chriſtus careat principio eſſendi in æternitate formalitèr ſumpta, abſolutè tamen non caret principio eſſendi,quia eſt de fide habere principium eſſendi, licèt intra ſinum ſpecialem æternitatis.

483 Obijcies 7. Quòd non exiſtit,eo modo quo non exiſtit,non coexiſtit. Sic, quia Adamus non exiſtit de præſenti,nos illi non coexiſtimus; atqui Anti-Chriſtus non exiſtit de præſenti:ergo nec coexiſtit æternitati de præſenti.Reſp.1.diſtinguendo mai.Non coexiſtit reſpectu extremi diſparate ſe habentis, concedo; reſpectu extremi infinitè continentis,& ambientis rem, licèt pro tempore quo exiſtet,nego mai.quia infinitum vadit ad illum vt exiſtentem. Conceſſa autem min. nego conſeq. Quia exiſtentiam futuram Anti-Chriſti de facto tangit phyſicè duratio increata procraſtina æternitatis, quæ duratio, cum ſit de facto, tangit Anti-Chriſtum de facto, non per retrotractionem Anti-Chriſti ad ſe, ſed per diffuſsionem ſui ad illum,atque continentiã illius. Sicut rete exiſtens in litore per extenſionem ſui tangit piſcem intra mare. Alitèr reſp.2. Conceſſa mai. diſtinguendo min.Anti-Chriſtus non exiſtit de præſenti, ſumpto *Ly de præſenti* abſolutè,& pro *Nunc* formali tẽporis ſui,vel pro ſinu ſuo virtuali æternitatis; concedo: Sumpto pro *Nunc* æternitatis identico communi, & indiviſsibilitèr.nego.Nã ſicut in eo ſenſu coexiſtit,& durat per ęternitatẽ,ita,& exiſtit de pręſenti,ſed cũ addito vt dictum eſt, nempè de præſenti formali æternitatis.

484 Obijcies autem 8.Anti-Chriſtus non coexiſtit Æuo Angelico licèt indiuiſsibili, & menſuræ maiori: ergo nec æternitati. Negò conſequentiam: Quia tempus,& Æuum ſunt menſuræ diſparatæ, & vna non continetur in alia; & licèt Æuum ſit menſura perfectior, & maior, ſed non continet menſuram temporis minorem, nec formaliter,nec eminenter, ſicut æternitas continet

vtram-

vtramque, & sic contineri in aliquo tempore non probat, eo ipso contineri in æuo, sicut probat contineri in æternitate. Sicut enim, quæ sunt in Nauarra, non ideò sunt in Castella, licèt ista sit maior illa, eo quod Nauarra non sit pars contenta in Castella. Sic ea, quæ sunt in tempore, non ideò continentur in æuo licèt maiori, quia tempus non continetur in isto, sicut in æternitate.

485 Nec 9. inferas ex hac sententia: ergo Deus non præexistit rebus. Nego consequentiam, nam sufficit, quòd præcedat illas, provt positas in proprio esse, carentia earum, in diuersis virtualitatibus. Et sic Deus existebat quando illæ non erant, sed carentia earum, & existit etiam quando iam sunt, & propterea præexistit eis.

486 Nec 10. Ergo Æternitas eodem modo respicit in sua amplitudine rem existentem, & futuram. Distingo consequens: Eodem modo formali Æternitatis, concedo: Eodem modo virtualitatis, nego. Licèt enim semper respiciat rem, & semper carentiam; istæque sint semper respectæ, & tactæ, sempiternitate Æternitatis formalis, sed vna pro tempore, & sinu pleno, altera pro tempore vacuo. Vide Lao num. 926. Sicut platea magna simùl continet gregem, & carentiam gregis, illum in vno angulo, istam in alio.

487 Ex his sequitur hanc propositionem: *Anti-Christus est Æternus, vel ab Æterno*, esse falsam, quia absolutè sonat ab *Æterno*, in sùo esse absolutè, & sonat *Ab Æterno temporis, & non solum ab Æterno Æternitatis*. Vndè licèt sit existens, & durans duratione ipsa Æternitatis, sed non est durans Æternè, quia à duratione Æterna durat, non totalitèr sumpta, sed partialitèr, & iuxta sinum suum. Ex dictis patet, quòd hæc sententia facilè defendetur, si argumenta contra illam, alia via non vrgeantur.

ARTICVLVS IV.
VERA SENTENTIA.

488 NOta 1. aliud esse, quòd Anti-Christus sit, & existat hodie, sumpto *existere, & esse* absolutè. Aliud cum addito, nempè *existere in æternitate*. Sicut aliud est quod res sit ab ęterno; & aliud, quod sit vissa ab æterno: Sumptum enim cum addito, deprimitur, & impropriatur ab *existere, & esse stricto*. Vndè Anti-Christus absolutè non existit hodiè, nam eodem pacto extitisset absolutè heri, & semper.

489 Nota 2. Quæ non sunt, nó posse esse physicè ambita, & contacta, & capta exercitè à mensura, quantumcũque capaci, vsque dum sint, licèt esse posiint cognita, vel sortiri aliàs denominationes. Disparitas est, quia attingibilitas in cognosci, non fundatur in existentia physica, sicut attingibilitas in physice capi, & coexistere. Patet, quia in vase, cum guta vini præsentis (etiam si vas sit maius toto mundo) nec diuinitùs potest poni hodiè à Deo gutta vini producendi anno venturo. Vndè ista cum illa non est simũl simultate guttarum, capibilis à vase; nec propterea deprimitur vas à sua magna cauitate, quia non capi istam cum illa, non prouenit ex incapacitate vasis ad simultatem, sed ex defectu existentiæ in gutta futura.

490 Nota 3. Vt aliquid existat physicè in æternitate, vel coexistat physicè æternitati debere necessario existere in se ipso: Est enim denominatio coexistentis, & durantis, ex illis donominationibus, partim intrinsecis, & partim extrinsecis, quæ sumuntur essentialitèr, (saltim partialitèr) ab existẽtia recti. Vtrum autem sufficiat existentia Anti-Christi in se, pro tempore correspondente suo sinui, vel requiratur absoluta eius, & præsens existentia, dicemus statim.

491 Nota 4. Duplicem mensuram capientem res, & duplicem capibilitatem in rebus. Vna est coexistentium phy-

physicè, alia non coexistentium physicè. Prima est, v.g. vt vlna lignea respectu panni, & modius respectu tritici, quia nec ista poterunt mensurari, nec illi mensurare, nisi existant physicè mensuratum, & mensura. Secunda est, quando mensuratio non est quoad molem, nec quoad esse, sed quoad alium modum attingibilitatis, & capibilitatis. Sicut possibilia omnia sunt à scientia Diuina capta, & comprehensa, capibilitate, & mensuratione, non coexistentiæ, sed scibilitatis. Sic futura possunt esse capta ab æternitate, capibilitate, si non coexistentiæ ad æterno, saltim excessibilitatis ab æterno, quia æternitatis infinitas, non petit plus, nisi quod capiantur quando sint; excedantur autem semper, quia illa iam est actu diffussa in æternum à parte post, ad quod hucusque nulla peruenit creatura, & sic omnes ab æternitate excedũtur. Vide omnino hic num. 447.

492 Assero, futura non coexistere de præsenti physicè æternitati in aliquo sensu *proprio*, *& vero*, sed ad summum in aliquo *valde in proprio*. Ita commun. Recent. & nisi questio sit de voce, fortè idem debet dici à Thomistis. Probatur 1. Destruendo rationem fundamentalem ipsorum allatam, num. 461. Absque hac coexistentia intellectu difficillima, saluatur diuina eternitatis infinitudo in diffussione; perfectio summe actualitatis in ratione mensure, summeque immutabilitatis: ergo talis coexistentia ponitur sine vlla necessitate. Antecedens prob. Licèt Anti-Christus de presenti non mensuretur æternitate, nihil minuitur de huius perfectione, & infinitate, cum solum proueniat ex defectu requisiti, nempè ex defectu existẽtie ipsius in se, & nõ ex defectu capacitatis in æternitate, quæ ex se iã est capacitas in infinitũ expansa. Sicut nec ex eo quod Deus exercite non videat alium mundum, nec mensuret sua æternitate illum, nec repleat sua immensitate; nec ex eo quod de facto non sit verbum mẽtis Beatitudinis mee, nec Spiritus Sanctus, sit vnio sui cum humanitate, in nullo leditur infinitudo,

& actualitas summa in actu 2. horum attributorum; nec eorum infinita capacitas, cum hoc non sit deesse illis aliquid de perfectione formali in actu 2. iuxta vestra principia. De quo supra num. 416. Sed solum de denominatione, terminatione, virtualitate, aut munere, & hoc ob defectum requisiti extrinseci. Vndè dato, quòd æternitas per se ipsam, sit duratio, & tactio creaturarum, (& non sit talis à creaturis, vt forma, tanquam relatio prędicamentalis vt alij volunt) non probat existentiam tacti, quia solum est tactio, quoad sufficientiam, non verò quo ad efficatiam, & exercitè, & est duratio earum, vt durent, quando veré sint; non antequam sint. Sicut Verbum est vnio pro humanitate, quando ista sit, & disposita sit non antequam talis sit. In vestra enim sententia plura sunt in diuinis se habentia per modum actus secundi, & nihilominus pendent in ipso exercitio ab aliquo requisito ab illis distincto. Sic apud vos generatio actiua Verbi in actu secundo est ipsa intellectio communis requirendo modificationem à Paternitate. Quòd ampliùs patet in exemplis adductis in hoc numero.

493 Si dicas: Esse disparitatem inter æternitatem, & alia Attributa, nam deficeret ex parte æternitatis perfectio formalis de sua linea; secus ex parte illorum: non enim solum deficeret existentia Anti-Christi, siue requisiti extrinseci, sed ipsa increata duratio formalis crastina Anti-Christi, quę nequit dari hodie, sine formali contactu physico; & indistantia ad existentiam crastinam Anti-Christi durantis per illam. Confirmat. Quia Anti-Christus futurus, siue futuritio est de linea durationis, & non est de linea immensitatis. Et sic non isti, benè verò illi, deficeret perfectio intrinseca de linea, si non attingeret de prœsenti Anti-Christum.

494 Contra 1. Quia falluntur in hac solutione. Non enim deficeret duratio crastina secũdum intrinsecum de perfectione durationis crastinę, sed sola denominatio: sicut, & deficit sine inconuenienti visio & duratio alterius mundi, quę daretur posito isto. Contra 2. Et impugno con-

confirmationem, quia perfectio de linea durationis æternæ non est futuritio ipsa Anti-Christi, nec existentia futura, nec duratio temporalis eius. Tum quia totum id est quid creatum, & de requisito in obliquo, & de connotato ad denominationem mensurandi; sicut est de requisito scientiæ visionis ad denominationem videndi: deficientibus ergo istis, nihil deficit in Deo de formali perfectione in actu 2. quoad intrinsecum perfectionis, sed solùm quoad munus denominationis. Tum quia talis existentia Anti-Christi, &c. non est in se, sed erit: ergo nequit esse de linea durationis increatę, in qua non datur *erit*, sed solùm *est*.

495 Sicut autem non est inconueniens, quòd Verbo diuino apud vos aduéniat in tempore, quòd per suam æternam actualitatem vnionis, posita humanitate in tempore, vniatur illi exercite in tempore sine variatione verbi, & immensitas se ipsa repleat exercitè mundum in tempore, & fiat indistans, & præsens in tempore, & non antea, ob defectum requisiti, quòd in tempore aduenit, & antea non erat; ita, & quod duratio crastina mensuret Anti-Christum, quando fit, & non antea, quia antea non erat ille: Non enim vnio Verbi ad humanitatem minus imbibit de ratione contactus physici actualissimi, quam æterna duratio crastina respectu Anti-Christi.

496 Ex quibus sufficientèr manet solutum argumentum fundamentale à perfectione Dei, quo Thomistę probant articulo secundo suam conclusionem. Quæ solutio procedit, etiam si æternitas per se ipsam sit duratio, & mensuratio formalis in actu, creaturarum. Si enim diceremus, esse tantum mensuratiuam; sicut, & Omnipotentia est ad extra tantum productiua, & non productio, nulla inesset argumento vis.

497 Probatur 2. Quia quando denominatio essentialitèr postulat aliquam conditionem in subiecto, si illa deficit, quantumcumque existat forma præbitura denominationem, denominatio non est; propterea enim gra-

tia

tia habitualis non reddit Christum Filium adoptiuum, nec subsistentia Verbi, humanitatem filiam naturalem, nec duratio æterna increata, Anti-Christum æterne durantem, nec scientia Dei alium mundum denominat visum; quia Christo deficit extraneitas; humanitati similitudo in natura; Anti-Christo existentia interminata; & alij mundo existentia futura. Atqui durare petit in subiecto durante existentiam: ergo dum deest existentia, res ipsa, durans non est. Maior est certa apud omnes. Minor autem probatur; tùm ex D.Tho. *in 1.d.19.q.2.ar.1.* docente: *Quòd res in tantum durat, in quantum actu existit.* Tùm quia durare est permanere in esse: Quòd autem non habet esse, non permanet in esse. Anti-Christus autem non habet esse, sed habebit illud, in se, & in sinu æternitatis. Vide Lao num. 844.

498 Confirm. Existere in æternitate, & coexistere æternitati, est ex illis denominationibus partim intrinsecis, & partim extrinsecis, quæ in recto dicunt esse, & in obliquo formam: pro quibus actualizandis non sufficit actualitas formę, sed requiritur actualitas subiecti: si ergo deficit subiectum existens, non erit vera denominatio actualis, nec quod coexistant. Antecedens probatur, quia succesſio physica rerum facit quod non sint, & postea sint; & sic Anti-Christus non est, sed postea erit. Et licèt succesſio rerum physica, non impediat capibilitatem in æternitate simul, sicut nec visſibilitatem simul; impedit tamen capibilitatem coexistibilitatis, sicut, & existentiæ in actu, quando res non existit; licèt admittat capibilitatem excesſibilitatis, de qua nu. 447. Licèt autem futura sint ab æterno, visa à visione Diuina, non propterea sunt ab æterno durantia, duratione diuina, siue æternitatis. (aliàs essent ab æterno durantia, etiam pro sinu æterno durationis, sicut sunt ab æterno visa pro sinu æterno visionis) Disparitas est, quia denominatio actu visi, non petit essentialitèr in ipso viso existentiam, sed futuritionem physicam, & visſibilitatem; sicut, & ab ęterno comprehensa, petunt solam compre-

prehensibilitatem, non verò existentiam sui in actu; illā autem petit denominatio durantis, & denominatio physica tacti, tenti, & coexistentis: ergo cum Anti-Christus verè non existat actu, verè non erit durans actu; licèt existat forma, vel mensura durandi, nempè æternitas; quæ (& notetur valdè) licét sit duratio præsens, potest Anti-Christum denominare durantem pro suo tempore, quin denominet durantem de præsenti, sicut licèt sit æterna denominat durantem, quin denominet durantem ęternè; dantur enim formæ, quæ communicant subiecto vnum, reseruādo sibi aliud. Sicut autem reseruat rationem ęternæ, cur non, & rationem præsentis?

499 Et vrgetur: Quia Anti-Christus non existit semper in se, nec fit durans semper, & pro omni sinu, ipsa duratione æternitatis: ergo ideò est, quia cum non existit, non durat, licèt forma duret: sicut corpus Diui Petri non viuit actu, licèt eius forma viūat actu: ergo si Anti-Christus actu non est, actu non durat; etiam si forma duratiua ipsius, duret actu: & ratio est, tum quia deest subiecto essentialis conditio existendi, & durandi. Tum quia etiam deest propria mensura, quæ vt infra dicemus est nexus per quem ab æternitate fit durans, & sine quo à forma æternitatis non redditur durans.

500 Respondent: Ad coexistendum rei, & durationi finitæ, requiri, quòd subiectum existat, secus durationi infinitæ, quia ista ex num. 477. per suam diffusionem pertingit ad rem, licèt non existat adhuc, tamen pro tēpore quo existet. Quòd si immensitas non pertingit infinitudine sua mundum futurum, nec vas vini capit guttas futuras, ideò est, quia sine his conseruant omnem rationem suæ lineæ, cum de linea istorum non sit aliqua differentia temporis, nec futuritio. Quæ tamen est de linea æternitatis, & sic ista debet claudere, *Hodie, & heri, & cras*, & omnia futura.

501 Contra 1. Quia infinitas non supplet, quòd essentialitèr requiritur in alio. Sic Deus quantumcumque videns infinitus, nequit videre nisi visibile, nec vt im-

men-

mensus replere physicè nisi replebile: ergo nec vt æternus mensurare physicè mensuratione coexistentiæ, nisi existens, quia repugnat coexistere, nisi èxistenti. Confir. Repugnat, quòd sit durans, & persistens in existere, quòd non est existens, & pro eo tunc est nihil: ergo repugnat, quod sit mensurabile à mensura notificante extendibilitatem existentiæ rei, & quantitatem durandi, quantumcumque sit infinita talis mensura, quia infinitas mensuræ, non supplet defectum essentialem mensurabilitatis.

502 Cōtra 2. Quia futura nō sunt de linea ęternitatis, & omnimodę durationis, sed de connotato; deficientia autem cōnotati nō minuit in Deo formalitatē recti. De quo n.416. Tum quia licèt ęuum, & tempus sit de eadē linea, æuum hodie non claudit *cras*, nec amplectitur *cras*, (non quia non posit claudere cū sit finitum, sed quia inter finita non existit adhuc *cras*.) Tum quia licèt diffusio æternitatis à parte post sequatur, & quasi persequatur futura, vsque dum assequâtur, apprehendat, & superexcedat, sed non sicut rete in litore piscem intra mare, & Ciues Hospitatores Regem in diuersorio antequam veniat; quia isti ideò assequuntur, quia piscis iam habet de præsenti propriam existentiam in mari, & Rex in diuersorio, in eo tunc in quo incipit, Rretis, & Ciuium expansio. At Anti-Christus illam non habet: ergo æternitas quantumcumque hodie sit existens, & expansa ad *cras*, & *procras* diffusione sua absoluta, & in ordine ad se; Anti-Christum non tangit, nec invenit, nec physicè assequitur, aut apprehendit. (nisi quoad sufficientiam) Nam velle, quòd apprehendat physicè, quòd physicè pro tunc non est, licèt sit postea, est velle aliquid invtilius, quam aerem verberare, & larvas apprehendere.

503 Hinc prob. 3. Vrgendo argumentum, num. 480. Anti-Christus incipit durare, non solùm in se, sed in ęternitate: ergo non durat in illa semper. Antecedens prob. Denominatio formalis essentialitèr petens fundamētum

cum

cum certis conditionibus, antequam istæ sint, non existit illa; sed incipit illa quando istæ ponuntur, vel incipit post, vt patet ex secunda probatione. Atqui durare supponit essentialitèr, quòd res sit in actu: ergo vsque dum sit in actu, non durat: & sic postquam est in actu incipit durare, quia tunc primo, & non antea habet essentialia durantis.

504 Vndè non valent solutiones, neque exempla, ibi adducta. Res enim incipit esse, & non incipit esse visa; & ego incipio esse Cæsar-Augustæ includentis terram Hispanam, & non incipio esse in Hispania: Sicut, nec actu incipit esse Monialis in Monasterio, licet incipiat esse in Cellula Monasterij. Disparitas est, quia videri non pendet essentialitèr ab existere, nec habitatio terræ Hispanę, aut Monasterij, ab habitatione Cęsar-Augustę, aut talis Cellulæ: & sic illa habitatio erat ante istam: Secus duratio in æternitate, ante esse in se; cum essentialitèr pendeat ab esse in se. Falsum est autem, quòd nõ valet argumentum negans à mensura particulari, ad communem, si esse in illa essentialitèr requiratur ad essendum in ista. Sic valet: Anima Diui Petri non est vnita suo corpori: ergo non habitat intra concabum Lunæ; eò quòd vnio ad proprium corpus sit requisitum in animabus ad habitandum intra concabum Lunæ. Insuper: Anti-Christus non habet proprium *vbi*: ergo nec commune intra concabum Lunæ. Disparitas de infinitudine mensuræ alata, num.480. non sufficit, quia infinitudo vnius extremi sola, non supplet conditiones essentiales requisitas pro alio extremo, (qualis est, esse in se, ad durandum in æternitate physicè) quando eas non ponit. Propterea apud vos, nec Omnipotentia supplere potest luminis Gloriæ defectum, eò quòd illud essentialitèr requiratur ad videndum Deum. Idem de alijs denominationibus, quas Deus supplere nequit: ergo Anti-Christus incipiet esse in æternitate, quando incipiat esse in se: ergo non erat in illa.

505 Prob.4. Ponamus hanc propositionem: *Anti-*

Chri-

Christus existit, nunc, hodie, de præsenti physicè in æternitate ab æterno; & circa illam notemus duo. Primum est, quòd ly *existit* expressatum per verbum præsens, (vel ly *Nunc*, vel *Hodie*, vel *Existit de præsenti*) habere iuxta Thomistas duplicem sensum. Primus est, ita vt sonet: *Nunc formale nostri temporis præsentis, aut etiam NVNC virtuale* nostri temporis præsentis, inclusum in ipsa æternitate sumpta pro illo sinu, & pro quasi parte sua *contracta ad nostrum tempus præsens*. Istæ est primus sensus. Secundus sensus est, si sumatur ly *NVNC* pro ipsa æternitate: *Formalitèr, identicè, & indiuisibilitèr, & sumpta provt abstracta ab omni differentia nostri temporis tàm formalis, quàm virtualis, & ab omni sinu, & virtualitatibus æternitatis*. Nota 2. Quòd in illo sensu in quo hæc propositio sit vera: *Anti-Christus existit de præsenti, vel nunc in æternitate*; erit etiam vera: *Quòd existit in æternitate ab æterno, & in æternum*; quia in suo esse non magis existit hodiè, quàm ab æterno. Quidquid autem ob indiuisibilitatem æternitatis probet, in aliena mensura eum existere hodiè, probat eodem sensu extitisse heri, & nudius tertius, ac per consequens, & ab æterno, & in æternum. Modo sic.

506 In primo sensu propositio est falsa; atqui in secendo sensu, (si tamen potest in secundo sensu summi, de quo statim) est valdè impropria: ergo futura non *existunt* physicè, saltim propriè loquendo in æternitate, sed existent. Maior propositio conceditur ab aduersarijs. Nihilominus probanda est, quia eius intelligentia plurimum conducit ad intentum. Probo ergo. Creatura non existit de præsenti in æternitate, nisi provt contracta ad suum sinum, & non ad omnes. Patet, tum quia ego, v.g. duro hodie in æternitate, tanquàm in mensura superexcedenti: ergo duro in illa, provt illa importat *Hodie*, & non provt importat *Heri*, vel *Cras*, quia hoc solùm pacto excedit me, & non excederet, si existerem semper. Item Anti-Christus durat in illa, provt illa importat *Procras*, & non provt importat *Hodie, & semper*, ob eandem rationem. Tùm, quia ego correspondeo æternitati

toti,

toti, sed nō totalitèr: ergo quia correspondeo illi, solum provt importanti in suo sinu nostram ætatem, & nostrum tempus, & non alias ætates, & tempora. Alias durarem ego in illa totalitèr, & in omni ætate, & in omni tempore, & semper. Tùm, quia existendo ego in æternitate infinita, vel duro in illa semper, vel non duro in illa semper? Si in illa semper: ergo semper existo, & ab æterno existebam adæquando illam, sicut Deus: Si non in illa semper: ergo solùm duro in illa, provt in meo tempore, & non extra. Tùm, quia vel æternitas continet Anti-Christum hodie, (sumpto ly *Hodie* pro præsenti sinu) vt existentem exercite, vel non? Si primum: ergo exercite, & in se existit hodie, & heri, & ab æterno. Si secundum, id intendo. Tùm, quia si interroges Thomistam, quantum Deus correspondet, & coexistit Anti-Christo? Respondet, quòd tantum quantum Anti-Christus existit in se. Vide Iao hic numero 912. Non plus, nec minùs? Ergo Anti-Christus solum correspondet in durare sinui suo, & non alijs.

507 Tùm denique: Vel Anti-Christus physicè coexistens æternitati existit semper, vel non? Si primum: ergo, & hodie, heri, & ab æterno, atque in omni sinu. Si secundum: ergo solum in suo sinu, & non alijs. Si respondeas: existere semper, non quidem sempiternitate temporis, sed sempiternitate ęternitatis. Contra: ergo existit semper, sicut Deus: Deus enim est æternus sempiternitate æternitatis, potiùs quam temporis. Dices Deum existere semper, non solum sempiternitate æternitatis identicæ, & formalis, sicut nos, sed etiam virtualis pro omni sinu. Benè: ergo Deus, & creatura in existendo, & durando sempiternitate ęternitatis, differunt, quia Deus existit semper formalitèr, & virtualitèr, siuè pro omni sinu: Creatura autem solùm pro nunc æternitatis formalitèr, pro suo sinu solo, & non pro alijs, & sic existentia Anti-Christi verificatur esse in æternitate solum, provt in suo sinu, & non provt in nostro.

508 Confirmatur notabilitèr: Cum æternitas secundum

dum se sit mensura infinita, & interminabilis ex parte sua, existentia Anti-Christi nequit adæquare illam, non solum secundum omnes sinus, sed nec adhuc illā sumptam identicè, & ex parte sua totalitèr absolutè, quia adhuc ex parte sua, sic est mensura infinita, & superexcedens: ergo est impossibile, quod Anti-Christus mensuretur æternitate tota secundum se absolutè, & ex parte sua, tanquam mensura notificatiua, sed æternitate tota, prout contracta ad sinum specialem Anti-Christi, & sic ad sinum futurum, vt talem. Probatur consequent. Nam si mensuraretur ab æternitate secundum se, vel mensuraretur ab illa sine positiua superexcedentia ex parte æternitatis, vel cum superexcedentia ex parte illius: Primum nequit dici, nam Anti-Christus solum est mensurabilis limitatè, & finitè, ac per consequens superexcedentèr ab æternitate infinita, sumpta etiam secundum se: ergo debet dici secundum, nempè mensurari ab æternitate secundum se cum passiua superexcedentia ex parte æternitatis. Superexcedentia autem intelligi nequit, quin æternitas sumatur partibilitèr, & diuisibilitèr, ac per consequens, vt contracta ad sinum specialē. Solùm ergo coexistit Anti-Christus æternitati sumptæ secundum sinum specialem.

509 Hæc omnia confirmantur ex Lao num. 920. dicente: Quòd Anti-Christus, dum dicitur coexistere semper, & ab æterno Deo, & æternitati in ipso, *Nunc* æternitati, non est sensus de æternitate secundum omnes virtualitates, sed solùm secundum illud, *Nunc* virtuale diei crastinæ, iste correspōdet illi proximè, & immediatè; non verò secundum nunc virtuale diei hodiernæ, & aliorum. Et ratio est, quia res tantum habet de duratione, in propria mensura, quantum requiritur, (pro illa videlicèt adæquanda, & mensuranda, & concludenda) de extensione in parte illa virtuali æternitatis, ratione cuius proximè, & immediatè ambitur, & concluditur ab æternitate. Sicut res tantum habet de duratione in propria mensura intrinseca, quantum in extrinseca, & superexcedenti, siuè

siuè in tempore 1. mobilis, requiritur de formali extensione, ad proximè, & immediatè continendam ipsam. Requiritur inquam, vt ambiat, & concludat illam: ergo similitèr à paritate, tantum durat in mensura æternitatis, quantum ex parte æternitatis requiritur de diffussione pro illa ambienda, atqui pro illa ambienda, & concludenda intra se die crastina, non ampliùs requiritur in æternitate, quam illa pars virtualis illi correspondens, (nam cęteræ non dantur ad proximè ambiendum, sed potiùs ad superexcedendum illam) requiruntur autem illæ aliæ, solùm remotè, præsuppositiuè, & ob solam infinitatē æternitatis; sed non propter munus proximè, & immediatè ambiendi: Maneat ergo, quod creatura verificatur esse in ęternitate solū pro suo sinu, & nō pro alijs, & sic probata manet propositio maior; nempè quod illa enunciatio in primo sensu sit falsa. Minor autem patebit articulo sequenti, nempè quod in 2. sensu sit valdè impropria.

ARTICVLVS V.

PROBATVR SECVNDA PARS CONCLVSIONIS.

510 EX his probo iam efficacissimè secundam partem, nempè de Anti-Christo improprijssimè dici, non solum quòd coexistat æternitati ab æterno, sed etiam, quod de præsenti existat physicè in æternitate. Et probo sic. Anti-Christus de existere in æternitate, verè nihil amplius habet per vos, quam existere, & esse simul in illa, & cum illa: Non cum illa totalitèr, & semper, & pro omni sinu, sed cum illa pro solo suo sinu. Atqui hæc simultas physica existētiæ Anti-Christi cū solo suo sinu in ęternitate, nō est pręsens physicè, sed futura, (licèt enim enunciatio sit de præsenti, veritas enunciata non est de præsenti:) Ergo coexistentia Anti-Christi cum æternitate, non est præsens, sed futura. Maior constat ex dictis. Minor autem probatur: Quia æternitas licèt sit tota simùl, & instantanea formalitèr,

est tamen apud vos eminentèr, vel virtualitèr succesſiua ob ſinuum virtualitatem. Vndè ſinus craſtinus ſumptus vt talis, & iuxta ſuam ſpecialem virtualitatem, non eſt hodiè, nec heri, nec ab æterno; hodiernus eſt virtualitèr poſt ſinum æternum, & craſtinus eſt virtualitèr poſt hos. Si ergo Anti-Chriſtus, non eſt ſimùl phyſicè cum tota æternitate totalitèr ſumpta, nec cum omnibus eius ſinibus, ſed cum illa prout modificata ad ſpecialem ſinum, nempè craſtinum: ergo cum talis ſinus ſecundum ſuam virtualitatem, verè & propriè adhùc non ſit, ſed futurus ſit, ſimultas phyſica Anti-Chriſti cum illo, & cum æternitate propter illum, verè & propriè non eſt, ſed futura eſt. Sicut, quia immenſitas apud omnes prout replet Romam, & omnia loca totalitèr, non replet ſub illa totalitate extenſionis, Cæſar-Auguſtam, nos qui ſumus Cæſar-Auguſtæ, ſumus in immenſitate in ſinu noſtro, non verò in immenſitate vbique, adhùc ex parte ipſius immenſitatis, quia non ſumus in illa prout in omni diffuſsione ſua, & omni ſinu: ergo quia Anti-Chriſtus non eſt in æternitate pro omni ſinu, ſed ſolùm pro ſuo futuro, non eſt in illa ſemper, ſed exiſtentia phyſica eius in illa, eſt ſolùm de futuro.

511 Inſuper vrgetur, quia coexiſtentia eſt ſimultanea exiſtentia. Simultas autem Anti-Chriſti, & æternitatis eſt ſolum pro illo ſinu procraſtino, & ſic eſt futura: Ergo talis coexiſtentia, & talis phyſica ſimultas non eſt propriè de pręſenti, (aliàs enim Anti-Chriſtus in ſuo ſinu fuiſſet heri, & ab æterno contra vos) ſed eſt pro ſinu illo venturo virtualitèr: impropriè ergo talis ſimultas phyſica dicitur phyſicè præſens, & affirmatur de præſenti in æternitate. Confirmatur: Quia Anti-Chriſtus impropriè exiſtit *de præſenti*, in illo nunc æternitatis communi, & identico à vobis aſſerto. Probatur: Quantumcumque Æternitas ſit infinita, & interminabilis, Anti-Chriſtus non eſt, nec venit ad illam ſumptam pro *Nùnc* communi æternitatis à vobis aſſerto, niſi quatenùs venit ad ſinum ſuum procraſtinum.

Item

Item, nec intrat in illam æternitatis communem Vastitatem, nisi per portam, & quasi foramen talis sinus procrastini. Item catenùs existit physicè in æternitate, quatenùs terminat physicum ipsius æternitatis contactum. Atqui Anti-Christus nondum venit ad sinum suum procrastinum, nec intrauit adhuc per portam, & foramen ipsius; cum talis porta, prout talis non dum advenerit, nec ipse advenit vt intrare possit. Nec item Anti-Christus terminat physicum contactum proximè, & immediatè nisi prout in tali sinu: (Nam non pro omnibus, nec totalitèr vt probatum est) Ergo cum ad talem sinum non dum pervenerit, ad commune *nunc* æternitatis formale, & identicum, adhuc non intrauit: ergo non existit physicè de præsenti in *nunc* æternitatis, adhuc in illo *nunc*, identico, & formali.

512 Hinc cõvincitur improprietas talis locutionis. Pro quo nota, enũciationes factas per tẽpus presens, siue tale presens sit grãmaticalè, siuè Logicalè (v.g. per *est*) si sint absolutæ, atque sumantur substantiuè significare, *esse*, & *existere strictum*, & *proprium* sicut illa; *qui est, misit me ad vos*. Si verò non sint absolutæ, & substantiuæ, sed adiectiuæ, & connotatiuæ, ex prædicato altero alteriùs formæ vel saporis, deprimi sæpè à sensu proprio essendi, & transire ad alium sensum diuersum. Sic si dicimus: *Dies Iudicij est, & existit*, significat physicam eius præsentiam, & existentiam. Si verò dicamus: *Est prænunciatus; est prævisus; est futurùs*, à prædicato deprimitur, & non significat iam *strictum esse*; nec est propositio, *de esse præsenti*, sed de denominatione alia diuersa *ab esse*, & est de alia linea, nam est sumpta à forma aliena præsenti, v.g. à prænunciatione, prævisione, vel futuritione, quæ est diuersissimi saporis *ab esse*; ista ergo enunciatio est quidem de præsenti *Grammaticalitèr, vel Logicè*; non verò de præsenti, *Physicè*, & saltem quoad esse, & substantiuè.

513 Cùm ergo illa propositio: *Anti-Christus existit in Æternitate ab eterno*; non sistat in existere,

nec sonet absolutè, quòd *existit*; imò nec sonet, quòd *existit in Æternitate adæquatè*, sed in illa prout contracta, & partita, & modificata per suum sinum ad durationẽ, v.g. crastinam, vel procrastinam in æternitate inclusam, solum significat in rigore simultatem existentiæ physicæ Anti-Christi, cum suo illo sinu: Et sensus nõ est, quòd *existit*, sed quod *existet* in suo sinu; id est, *dicens simultatem cum suo sinu*. Atqui hæc simultas, vt probatum est, solùm verificatur specialitèr, vt quid futurum, & non vt aliquid præsens physicè, aut existens hodie, (aliàs enim etiam verificaretur, vt existens heri, & ab æterno:) Ergo ista enunciatio solum grammaticalitèr verificatur de præsenti: Physicè verò, & realitèr veritas enunciata est de futuro, & non de præsenti.

ARTICVLVS VI.

DE SECVNDO SENSV.

514 IN secundo sensu, non apparet quomodo possit sumi, & strictè loquendo, possit æternitas indiuisibilitèr sumpta, reddere Anti-Christum durantem de præsenti. Tùm, quia vt docuit Lao num. 920. & alij Thomistæ, res non intrat ad durandum in æternitate, nisi prout durat immediatè in suo esse, & tempore, per quam durationem sui esse, & sui temporis intrat immediatè ad durandum in tali sinu æternitatis; nec alitèr mensuratur æternitate, vt mensura superexcedenti, nisi quatenus durat, duratione sua in aliquo sinu mensuræ æternæ, & non antea, nec post. Non autem Anti-Christus durat de præsenti in suo esse: ergo nec habet per quid potuerit intrare ad durandum in æternitate. Vndè, si hęc omnia prescindantur, & solum relinquantur æternitas, & Anti-Christus sine duratione propria præsenti nectente Anti-Christum cum suo sinu, non est per quid fiat determinatio ad denominationem durantis de pręsenti, aut pręterito. Tùm, quia durare est quid com-

commune præterito, præsenti, & futuro: ergo sublatis his temporum differentijs à sensu propositionis, solùm restat in communi, quòd Anti-Christus, v.g. per æternitatem duret aliquando, præscindendo à *quando determinato*: quòd verò duret determinatè de præsenti, non est vndè summatur, nam licèt æternitas sit *Nunc* præsens, sed non apparet per quid fiat præsens illi. Tùm, quia si æternitas per se ipsam est formalitèr duratio hodierna, & crastina, quantum est ex parte sua, & in ordine ad se: ergo quamlibet denominationem ex his potest præbere Anti-Christo ex parte sua: debet tamen patere aditus determinatus, & porta per quam intret: & hęc non datur. Ad Anti-Christum autem denominandum durantem, *de præsenti*, per quid contrahitur? Non per crastinam, quia per illam nō potest denominare durantem de præsenti, per hodiernam autem non potest, quia hodierna vt talis non est propria ipsius, sed nostri. Per quid ergo contrahitur? Ergo sumpta æternitate indiuisibilitèr, & præscindendo ab omni sinu, & virtualitate, improprissime, & sine fundamento contrahitur, vt denominet in aliquo sensu proprio durantem de præsenti.

515 Item, quia fortè Anti-Christus non durat per durationem æternitatis, licèt mensuretur per illam: sicut ego non duro per tempus, sed per meam durationem, vel modum mihi intrinsecum, vel per existentiam ipsam meam, vt correspondentem tempori. De qua supra num 401. Quamuis autem sit hęc duratio intrinseca mea, verùm est, quòd mensuratur per tempus: ergo nec durare possum nisi per meam durationem: nec ab æternitate mensurari possum, quantum durem, & quantum illa me excedat, nisi durem, & sim per meam durationem durans: ergo donec mea duratio veniat, non venio ab æternitate propriè mensurandus, licèt veniam ab eius extensissima, & actualissima, & infinitissima, atque expansissima mensurabilitate excedendus.

516 Tandem probatur: Quia nos conueniemus vobiscũ, in diffusione, & expansione æternitatis ab æterno in æternum, indiuisibiliter, permanentèr, & formalitèr, & quod talis expansio sit tota de presenti totalitate formali. Secundo conueniemus in successione æternitatis eminentiali, & virtuali per varios, & diuersos sinus, quæ virtualitas, sinus v.g. Anti-Christi, iam est dictum à nobis, quod nondum venit, sed veniet; & sic virtualitates æternitatis non sun omnes simùl: Aliàs si virtualitas illa, & sinus ille iam venit, iam esset hodie, & heri, & ab æterno, & fuisset Anti-Christus in tota, & totalitèr, & rueret successio virtualis contra vos. Solùm ergo disconueniemus in eo quod nos asseramus; quòd Anti-Christus sicut non est adhuc in se, & in suo esse, nec est adhuc in æternitate, sed erit. Vos asseritis, quod iam est in æternitate durans, tactus, & tentus, tentione, & duratione formali eternitatis indistanti ab illo, quę ob suam diffusionem, iam est cum illo, & tangens illum in itinere.

517 Hoc autem vestrum Thomisticum assertum potest intelligi, & declarari sic: Productio qua Deus producit creaturas extra se, est immanens, & intrinseca ipsi Deo apud Thomistas, atque æterna sicut ipse Deus. Cum autem omnis Physica productio sit tentio, & tactio Physica termini producti, eo ipso Adamus, v.g. sicut per visionem æternam est visus ab æterno pro suo tempore, ita per productionem æternam est ab æterno productus pro suo tempore, & ab ęterno physicè tactus, tentus, mutatus de non esse ad esse, & à causis extractus, ac per consequens, & physicè pro suo tempore existens, quia nequit physicè teneri, nisi vt physicè existens.

518 Sed quia in hac doctrina, aliqua alijs DD. imperceptibilia videntur. Aggrediamur iam illa breuiter declarare. Primum est, quomodo coereât ly *ab æterno producens* cum ly *pro suo tempore*? Respondebunt: Quòd sicut Adamus est per nos ab æterno pro suo tempore

vissus,

visus, ac per consequens, tactus in se ipso, tactu intentionali visionis, ita, & est ab æterno pro suo tempore tactus, tactu physico productionis, & extractionis à suis causis. Pono exemplum declaratiuum quoad sensum in illo, qui existens intra Ecclesiam, ab intus ipsius Ecclesiæ ferit existentem extra Ecclesiam, & distantem ab illa, explodendo scopletum, vel iaculando sagittam contra illum. Tunc enim actio, iaculatio, explosio scopleti, & feritio actiua exercetur, & est intus Ecclesiæ. Tamen est pro feritione, & nece exercenda extra ipsam Ecclesiam, & ibi passiuè fienda. Sic productio actiua Adami à Deo, est intrinseca ęterna, & in imis ipsius Dei. Licèt pro effectu externo fiendo, & mutando, nempè Adamo, extra Deum æternum, imò, & distanter ab æternitate, passiuè atque in tempore fiendo, & extra causas ponendo. Sic apparet quomodo productio, & tactio immanens sit immutabilis, & æterna ex parte Dei, sicque passiuè, & transeuntèr extra Deum, & in tempore, ex parte termini tacti, & facti, & mutati.

519 Secundum est. Si Adamus in se incipit esse in tempore, & extrahi à causis physicè in tempore, quomodo per productionem, quæ fit ab æterno? Actio enim in eodem instanti in quo est, ponit terminum in se ipso, & extra causas, vt patet in omni actione creata: ergo & in illo instanti ponitur terminus: ergo si Adamus iuxta fidem non est positus in rerum natura ab ęterno, nec mutatus, nec productus: ergo nec productio Dei erat, nec tangebat, nec mutabat, nec ponebat illum ab æterno. Respondent productionem Dei summi dupliciter. Primo ex parte sua, & immanentèr, & immutabilitèr, & vt est fieri actiuum, & sic est intrinsecum Deo, & ab æterno facit, & ponit rem positione actiua physica mutatiua, & tactiua. Secundo, vt est fieri passiuum mutabile, & se tenens ex parte creaturę mutatę. Et sic non est ab æterno, sed in tempore, nec est intra Deum, sed extra ipsum, & est tēporalitèr exercitū. Sicut de iaculatione sagittæ, & explosione scopleti dictum est, nempè

acti-

actiuè esse, & incipere intra Ecclesiam: Passiuè verò non intra, sed extra. Licèt ergo actiuo correspondeat passiuum; sed non in eodem loco, aut tempore, vt patet in feritione passiua. Vide me de Trinitate, Quæst. de processione actiua.

520 Nec valet paritas, de productione creata ad increatam, vt ista debeat sicut illa ponere terminum, qui existat in eodem instanti, ac illa est. Nam actio creata cum consistat tota in fluxu, motu, tendentia, & via ad terminum, ex necessitate perfectionis ordinatur tota ad terminum, tanquam ad aliquid perfectius se, & sic eodem motu tendentiæ mensurat terminum, & ponit illum. Atqui actio æterna Dei non consistit, nec causat cum vllo motu, licèt producat rem subiectam mutationi, nec ipsa producit, vt perficiatur: ac per consequens non petit vt terminus sit, quando ipsa est. Quia tamen ipsa est summè perfecta, immutabilis, & æterna non tam fertur in terminum, prout in mensura ipsius, quam eleuet terminum ad se, & ad mensuram suam, quę est mensura Æternitatis. Ita Ioann. à S. Thom. *tom.* 1. *in* 1. *p. ad quæst.* 10 *disp.* 9. *art.* 2. *ad* 8. Sed datis his, & quid quid sit de illis.

521 Arguo sic. Quantumcumque res creata per productionem physicam ęternam eleuetur ad Æternitatem, non eleuatur ad illam prout existens ab ęterno, siuè pro sinu æterno Æternitatis, sed pro suo. Est enim physicè causata pro suo, & mutata & posita extra causas pro suo. Atqui sinus Anti-Christi secundum virtualitatem propriam talis sinus, & vt diuersus à sinu Adami non dum aduenit propriè, sed est strictè physicè, & virtualitèr futurus: ergo, & coexistentia Anti-Christi, præsentiaque physica eius ad Æternitatē, non existit de præsenti propriè, sed valdè impropriè. Propriè autem, & in rigore est physicè futura.

522 Ex his manet impugnata talis præsentia physica futurorum ad Æternitatem. Et probatum, quod sit impropria, non solum pro illa parte, qua asseruntur

præ-

præsentia Æternitati *Ab Æterno*, sed & prout asseruntur præsentia physicè ipsi Æternitati *in nunc præsenti Æternitatis*. Impugnata ergo est ex eius summa difficultate. Impugnanda, nunc restat ex invtilitate, quia non requiritur, nec ob perfectionem Æternitatis infinitam, vt probatum est. Nec item vt sit medium Deo certo noscendi futura absoluta, vt contendunt Thomistæ, quia vel non est medium firmum, si coexistentia, & mensuratio Æternitatis ad creaturas sit denominatio prædicamentalis sumpta ab ipsis creaturis, vt comparte, & forma prædicamentali, vt plures volunt de quo num. 523. Tùm, quia licèt sit ex se mensuratio, & tentio in actu secundo, probatum est, esse solùm quoad sufficientiam. De quo numero 492. Si verò, posſitis illis, eo ipso maneat mensuratio quoad efficatiam, & medium certum noscendi illa, sicut Scientia DEI est visio, posſitis futuris, vt hoc pacto Deus noscat creaturas in illa, eo ipso conuincitur, non egere præsentia in Æternitate ad id; cum æque certo noscat ea in suo decreto efficaci præcedente illam. Vndè physica extensio capitis, licèt sæpè requiratur in nobis ad clariorem cognitionem, ex num. 459. Sed non in Deo, cum sine illa habeat alia media, vt dictum est, & dicemus in tractatu de Scientia Dei.

ARTICVLVS VLTIMVS.
SOLVVNTVR ARGVMENTA.

523 NOta circa difficultatem illam, quomodo Æternitas sit mensura, mēsuratio in actu 2. vel duratio creaturarum, duas dari sententias. 1. docet, hoc habere per se ipsam formalitèr posſitis creaturis, sicut communitèr dicitur de actu libero Dei, & de sciētia visionis, nempè scientiam necessariam per se ipsam esset eorum visionem in actu 2. licèt egeat illis vt connotato, vt sit visio eorum quoad denominationē. 2. tenet Æterni-

nitatem per se ipsam solum esse mensuratiuam creaturarum, siue radicalem mensurationem, non formalē, & fieri actualem extrinsecè, & prędicamentalitèr ab ipsis creaturis vt à forma, & comparte. Vndè hęc sententia non renuet variationem, & mutationem formalem in ipsa mēsuratione formali in actu 2. Quia cū sumatur ab alio extremo, illa fiet in creatura, non in Deo. Secus docet 1. sententia, quę solum in cōnotato extrinseco, vel ad summum in munere Æternitatis mutationem admittit, non formalem, sed virtualem, sublatis imperfectionibus. Nos cum 1. sententia hucusque sumus locuti, quia videtur magis conformis diuinę infinitati, vtpote dans illi omnem suę linęę perfectionem in actu. Deinceps etiā iuxta illam respondebimus, quin eam decidamus.

524 Ad rationes ergo positas art. 2. respondetur. Et ad 1. concedo Æternitatem ob rationē mēsuræ infinitè perfectę debere esse, actualem tentionē in actu 2. & mensurationem, & durationē rei futuræ, sed quoad sufficientiam; secus quoad efficatiam, virtualitatē, & terminationem, & secundū quod importat de munere. Deficit enim extrinsecum connotatum requisitum simplicitèr ad munus coexistentiæ, & mensurationis. Nec obest sequi, quod quando Anti-Christus incipiat durare, fiet variatio in actu mensurandi. Distinguo: secundum formale, nego. Concedo secundum munus pendens à connotato extrinseco, in quo non datur inconveniens, iuxta dicta à num. 375.

525 Ad 2. Respondeo Æternitatem esse durationem hodiernam, hesternam, & crastinam ex parte suæ diffussionis, & sufficientię, & absolutè; secus relatiuè, & ex parte terminationis & denominationis: dum deficit res, quę denominetur durans. Vndè hodie est crastina quoad formale crastinę, secus quoad denominationem, exercitium & munus crastinę. Vide in hoc artic. responsionē ad vltimum. Sicut hodie scientia Dei est visio alteriùs mundi ex parte sufficientiæ, secus denominationis, & muneris, quia non datur in alio mundo existentia, quæ videatur.

Ad

Ad confirm.respondeo distinguendo. Illa durant simùl, quorum duratio est physicè simùl, si duratio eorum sit simul, tàm quoad denominationem, quàm quoad entitatem formalem, cócedo. Si solum quoad entitatem, nego. Sicut illa existunt simul apud vos in Æternitate, quorum visio Diuina est simul: conceditis, si simul detur visio eorum, etiam quoad denominationem; secus si solum quoad entitatem. Vnde.

526 Solutio ibi data ad 2. argumentum, non placet. Nos enim admittimus talem diffusioné in Æternitate, vt dicat simultatem etiam ex parte tactorum, & sufficié tiam, vt tangantur ea simùl, si tamen ipsa adsint simùl. Vndè solútio illa, benè est impugnata ab adversarijs. Impugnatio verò illa 2. sumpta ab exemplo immensitatis, (quatenùs intendit probare simultatem ex parte repletorum, non solum quoad sufficientiam, sed quoad munus, & denominationé) solvitur quatenùs est contra nos dicendo, quod non est paritas. Sursum enim, & deorsum ab Immensitate repleri simùl quoad efficaciam possunt, quia simùl existunt, & immensitati coexistunt: at *Cras*, non existit; & sic, nec Æternitati coexistit, nec quoad exercitium valet mensurari.

527 Ex his patet ad 3. Etenim sicut Immensitas ob suam diffusioné debet replere omnes differentias loci, quando locá sunt, ita Æternitas omnes differentias temporis, ita vt habeat sinus ad omnes pro tépore quo sint. Sicut ergo locus non repletur Immensitate nisi ille, & illa sint, & per præsentiam, & indistantiam huius ad illum; ita nec Anti-Christus mensuratur Æternitate, nisi illæ, & ista sint, & detur duratio, & indistantia ex parte illius ad istam. Vndè benè ibi est responsum.

528 Nec obest, quod Æternitas se dilatauerit ad illa antequam veniant; sicut rete ad piscem, & Ciues Hospitatores ad Regem in diuersorio. Quia non est paritas, eò quòd Æternitas in diffusione ad illa, non invenit illos, sed mansit quasi spectans quod venirent, quod non contingit in reti, & hospitatoribus invenientibus iam existen-

ſtentes,piſcem,& Regem. Nec item obeſt paritas de viſione;cum videri actu,non ſupponat exiſtentiam actu in alio,ſicut coexiſtere actu ſupponit illam.Aliàs ſicut ſunt viſſa ab Æterno temporis, ita, & ex tunc eſſent exiſtentia,contra vos.

529 Secunda etiam ſolutio ibi data, eſt bona. Nec vrgent impugnationes. Etenim Anti-Chriſtus non pervenit adhuc ad ſuum ſinum, ſicut nec adhuc ſinus eius quoad virtualitatem pervenit,& ſic non venit adhuc ad ripas fluminis,nec ad brachia Gigantis. Ad confirmat. Reſpondetur,quod Æternitas eſt indiuiſsibile inſtans & expanſum ab Æterno in Æternum,& magis diffuſum eminentèr,quam omnia tempora imaginaria.Non tamē propterea, nec ob anticipationem ad quærenda futura poteſt de facto Anti-Chriſtum phyſicè amplecti in ſuo ſinu,quia cum ipſe adhuc non ſit, nec Æternitas exercet erga illum rationem illam virtualitatis,muneris,& amplexionis in ſinu,nec virtualitas venit adhuc. Sicut,nec Immenſitas replet, aut eſt exercitè in actu 2. efficatiæ, & denominationis in alio mundo, nec in Anti-Chriſto, eo quod iſti non ſint. Nec propterea Æternitas eſt duratio,& menſura in potentia,ſed in actu 2. licèt non exercito quoad munus ob defectum requiſiti,ſicut viſio Dei, non eſt in potentia ad videndum alium mundum, ſed in actu ſecundo:tamen non exercito ob defectum connotati,& ſicut Verbum Diuinum non erat in potentia apud vos ad vnionem,ſed erat ipſa vnio ſine munere.

530 Nec illa alia replica num.459.obeſt dum ait: Quòd futurum debet amplecti ab Æternitate; ſecus ab Immenſitate,quia nō eſt de linea iſtius;benè verò illius, vtpote quod ſit de linea duratiua. Reſpond.enim Anti-Chriſtum,imò & tempora ipſa reſpectu lineæ duratiuæ Dei non ſe poſſe habere,vt de linea eius in recto,ſed ſolum relatiuè,& de connotato,ſiue requiſito. Quidquid enim eſt perfectionis infinitæ de formali in linea duratiua, iam eſt imbibitum in Æternitate; nempè,quòd ſit duratio ſempiterna abſolutè,ſiue duratio,hodierna,ex-

ter-

terna,& craſtina, atque procraſtina abſolutè,& ſecundũ quod dicit de formali,& ſufficientia;quod verò ſit ſempiterna,& craſtina relatiuè,(de quo n.446.) non eſt de perfectione formali infinita lineę duratiuę,ſed eſt ſolum de terminatione,& munere, (in quibus datur ſucceſsio, non ſimultas) pendens ab exiſtentia exercita talium tẽporum vt ab extrinſeco,& connotato. Sine hoc ergo habebat omnem ſuę lineę perfectionem de formali.

531 Ad vltimum argumentum, nempè, quòd Æternitas ſit ſimùl ex ſe heſterna, hodierna,& craſtina,& quod ſi de facto eſt craſtina dèbeat vt talis eſſe phyſicè indiſtans,& ſimùl cum rebus craſtinis,& iſtas phyſicè pręſentes illi de facto. Reſp.1. Si tale argumentum, quid probat etiam, probat rem craſtinam eſſe ab æterno, quia quidquid Ætrrnitas formalitèr habet ex ſe, habet ab ęterno,& ab omni,& in omni ſinu. Si ergo ex ſe eſt craſtina: ergo ab æterno indiſtans phyſicè ab Anti-Chriſto, & iſte ab æterno phyſicè in illa, quod non concedes. Reſpon.2. Æternitatem duplicitèr conſiderandam.1. ſecundũ quod dicit de formali,& identico,& in ordine ad ſe ; & quod ipſa dicit de formali, eſt ab æterno, & ſemper eſt. 2. ſecundum quod dicit de virtuali, de terminatione, ſiue de munere, de finibus, atque relatiuè. Et in hoc ſenſu eſt ſucceſsiua,& non eſt ab æterno tota. Sumpta ergo partibilitèr,(qualitèr neceſſario ſumitur, dum ſumitur vt craſtina) non eſt ab æterno ſecundum omnes partitiones. Hinc ergo diſtinguo illam propoſitionem. Æternitas ex ſe nunc,& ſẽper eſt ſimùl heſterna, hodierna,& craſtina ſecundum quod iſtę denominationes dicunt de formali, identico,& per modum vnius,& impartibilitèr ſumpto, concedo. Secundum, quod addunt de virtuali,& partibilitèr, nego: Quia hoc pacto ſummuntur diuiſsibilitèr,& virtualitèr ſucceſsiuè. In hoc autem ſenſu, nego Æternitatem eſſe hodie,& de facto craſtinam, quia ſinus,& virtualitas craſtina, ſecundum munus & terminationem nõ exiſtit hodie, ſed exiſtet crás, & erit indiſtans ab Anti-Chriſto; ſed cras, quando adveniet illi munus,& virtuali-

litas mensurationis, quia tunc erit verè indistans, non verò antea.

532. Nec obest: Quod scientia non solum dicat ab æterno, & semper rationẽ vissionis Anti-Christi; ita vt nulla fiat variatio adhuc in terminatione, & munere, virtualitate, atque denominatione: ergo nec fieri potest variatio in Æternitate adhuc in munere, & terminatione, quia non minus est immutabilis Æternitas, quam scientia. Permisso antec. (quòd fortè est falsum, iuxta dicta à n.369.) Nego conseq. Disparitas sumitur, ex eo quod visio supponat iam ab ęterno attingibilitatem in obiectis visis, nempè in Anti-Christo strictam visibilitatem: secus mensuratio æterna, cũ hęc non inveniat in Anti-Christo coexistibilitatem physicam ab ęterno, & sic nec propriã coexistentię attingibilitatem. Nec est inconueniens, quòd varietur terminatio, & munus, quia in hac mutatione purè virtuali nulla est imperfectio, ex n.375.

533 Obijcies 5. Anti-Christus in suo tempore correspondet Æternitati: ergo toti: ergo & de pręsenti, prout hoc dicit *nunc* Æternitatis. Dist. antec. Correspondet in propriè, concedo: propriè, nego. Quia propriè, correspõdebit, non autem correspondet. Vnde, nec correspondet toti, sed correspondebit toti, quando existat, & correspõdebit illi in *nunc* Æternitatis. In *nunc* quidem, quod de facto est: sed non tali correspõdentia, quę de facto sit, sed quæ incipiet esse, quando Anti-Christus existat. Si replices: Quòd saltim hęc propositio est vera: *Anti-Christus pro suo tempore correspondet suo sinui*: Ergo de pręsenti. Distin. antec. Vera in sensu proprio, & physico, de esse pręsenti, nego. In sensu improprio, & de pręsenti grammaticali, vel logicali, concedo.

534 Obijcies 6. Deus ex se est indifferens ad videndum, vel non videndum Anti-Christi existentiam futuram in suo tempore, & determinatur ab illa, saltim tanquam à requisito necessario: ita vt apud RR. ideò Deus videt exercitè Anti-Christum futurum, quia ipse est verè futurus: ergo prior est existẽtia physica Anti-Christi

pro

pro ſuo tempore, antequam videatur à Deo : ergo talis exiſtentia phyſica pro ſuo tempore cum ſit prior exercitio æterno viſionis, neceſſariò eſt ab æterno. Reſp. in primis. Deum dici indifferentem ad videndũ Anti-Chriſtũ, non quidem indifferentia ſe tenente ex parte viſionis, cũ ipſa ex ſe ſit determinata ad videndum omne futurum, ſi iſtud ponatur. Solùm ergo datur indifferentia connotati, cui eſt contingens, eſſe vel nõ eſſe. Dato tamẽ antec. Diſt. conſeq. Prior eſt exiſtẽtia phyſica Anti-Chriſti pro ſuo tempore, quã videatur à Deo, exiſtẽtia inquam phyſica, prout induit rationem obiecti veri in actu 1. vel prout induit rationem intuibilis, concedo : Prout exercita exercitè, nego. Quia de eſſe exercito nil habet, niſi quod eius futuritio vt exercenda ſit decreta, non verò, quod iam ſit exercita exercitè, donec adveniat proprium ipſius tempus.

535 Tandem obijcies. Plures Sanctos Patres videndos apud RR præcipuè Thomiſtas, docentes hanc in Æternitate pręſentiam. Fateor, quod inter omnia argumenta pro Thomiſtis, nullum mihi difficiliùs, quã quod ſumitur à PP. Tamen communitèr reſp. loqui de præſentia phyſica, nõ quidẽ exercite, ſed prout induit rationem obiectiuè intuibilis. Si dicas: ergo non magis ſunt pręſentia Deo, quam ſcientię Chriſti. Nego conſeq. Tum quia Chriſto nõ ſunt pręſentia obiectiuè in actu 2. invariabilitèr, ſicut Deo. Tũ quia in actu 1. neceſſariò ſunt Deo phyſicè pręſentia in Æternitate pro aliquo ſinu, ſecus Chriſto, ſicut nec ęuo. Vide n. 484. Æternitati enim correſpõdere eſt neceſſariũ rebus. Contingens verò correſpõdere æuo, aut Chriſto. Replicant 1. Quòd PP. Deo negãt pręſciẽtiã, eo quod hęc ſonet ſcire res antea. Reſp. Quod præſcientia mutari ſolet in ſcientiam, quando res adveniunt. Solũ ergo quoad hunc defectũ mutationis, negant pręſcientiam, eo quod cognitio Dei de futuris ęque intuetur veritates omnes, quæ ſunt ante, & retro, ſicut Animal Ezechielis plenum oculis.

536 Replicant 2. ex Anſelmo, & PP. Res ſunt mutabili-

tèr

tèr in tempore, & immutabilitèr in Æternitate: ergo quia in hac sunt semper, & non transeunt de non essentibus ad essentes. Confir. ex PP. apud quos, futura respectu Dei iam venerunt, & non incipiunt esse, nec preterita desinunt esse, nec transierunt. Resp. 1. Hanc replicam probare, quod Anti-Christus existit in sinu æterno, & semper. Alitèr nequit vitari variatio aliqua. Resp. 2. Dici res esse in Æternitate immutabilitèr quoad scientiam Dei. Vel quia cum in recto sit eadem omnino, res futura & præsens, Anti-Christus pro recto, siue essens, siue non essens, est semper idem immutabilitèr in Æternitate formali. Mutat enim tempus, quia essens, & non essens est in diuerso tempore; Secus in diuersa, vel distnicta Æteritate. Non ergo mutat æternitatem, licèt mutet tempus.

537 Respon. 3. PP. loqui de Æternitate sumpta adequatè formalitèr, & vt etiam cōnotante varios sinus. Sic enim omnia fiunt intra idē instans æternitatis, & quoad illud nulla fit mutatio. Sicut enim Monialis mutans cellulas, non mutat Monasteriū adequatè sumptum: Sic nec Anti-Christus mutat æternitatem adequatè sumptam, licet mutet sinus. Nec Anti-Christus dum venit ad existē tiam, venit de extra æternitatem, sed de intra ipsam, & eandem, quia rectum non essentis, siue futuri, & rectum essentis, semper est idem, & intra illam; licèt in diuersis sinibus pro diuersis connotationibus. Sunt ergo immutabilitèr, immutatione sola Æternitatis; secus rei, vel correspondentiæ ad illam.

538 Replicas tandem, sequi quod nec quoad tempus erit mutatio, siquidem omnia fiunt intra idem tempus infinitum imaginarium integre sumptum. Nego enim suppositum, nempè ly, *idem tempus*. Est enim valdè distinctum, & non idem. Æternitas verò est pro formali idem instans, licèt cum diuersis virtualitatibus. Et hæc de hac prolixa, sumèque difficili quæstione.

EPILOGVS
Quæst. XI. & XII.
DE ÆTERNITATE,
PER SVOS NVMEROS.

§.I. *DEFINITIO ÆTERNITATIS*, à Num. 389.

ÆTernitas vna est extrinseca, (quæ est ipsum tempus successivè fluens ab æterno in æternum, & hæc primariò est mensura esse creati.) Alia intrinseca, & propria Dei, quæ definitur: *Interminabilis vita, tota simùl, & perfecta possessio.* Ly *interminabilis vita*, designat primarium mensuratum, quòd est esse, & vita Dei, 390. Ly *possessio* denotat, quòd est tentio vitæ & esse Dei, non vt cumque, sed firma. Ly *tota simùl*, quòd non habet partes, sicut duratio creata: nec ipsa, nec Deus. Ly *perfecta*, quòd est adæquata, 391. Nec dicas 1. ergo Angelus ab æterno productus esset interminabilis. Nego (sed interminatus) nam esset mutabilis. Nec 2. *Nunc* temporis est simultanea possessio. Concedo, sed inchoata, 392.

§.II. *DIFFERENTIA AB alijs DVRATIONIBVS.*

EX n. 393. Duplex est diffusio æternitatis, vna in ordine ad se, & quasi ad intra, quę est expansio durationis Dei pertingens ab ęterno in æternū. Alia in ordine ad tempora. Vndè æternitas, licèt in se sit vnicum in-

stans semper stans, est tamen ita expansum & quasi infla tũ vndique, vt intra se capiat omnia tempora; & hęc sine sui variatione, ex 394.

Huius ratio est, tum quia mensurat Deum omnino immutabilem. Tum quia Deus semper est idem ipse, cũ essentialitèr sit simul quidquid est, fuit, & erit: ergo & sua duratio semper est eadem, ex 395. Tum etiam, quia duratio successiva & variabilis est imperfecta, nam quantũ de successione addit, tantum de perfectione durandi minuit, cùm tantum tollat de permanentia rei in esse, ex 396. Sicut imperfectè dives est, qui habet numos, non simul, sed vnos consumptis iam alijs.

Hinc duplex est differentia à tempore. 1. Ex parte primarij mensurati. 2. Quòd æternitas ab esse divino toto simul, est duratio tota simul & fixa: secus tẽpus ab esse creato non toto simul, ex 397. Hinc constat differentia eius ab Ævo, & ab ipso tempore, nam ęternitas mensurat rem immutabilem actu, & potentia, quoad esse & operari ad intra: Ævum, mutabilem in operari. Tempus, etiam in esse, ex 398. Hæc triplex mensura nascitur ex triplici actu, nempè purissimo, vt Deus; non puro, sed completo adęquatè in esse, licèt non quoad operari, vt Angelus; & alio nec completo quoad esse vt homo capax crescendi. Primus, mensuratur æternitate. Secundus, Ævo. Tertius, tempore, ex 399.

Infertur ex 400. quòd licèt æternitas Dei in se sit duratio tota permanens, & indivisibilis, hoc non impedit, quòd virtualitèr contineat infinitos sinus, & in illis durationes rerũ, vt dicemus infra §. 5. in fine, & §. 7.

§. III. ÆTERNITAS VT MENSVRA.

DVratio ex 401. Vna est intrinseca, quę est ipsa persistentia rei in existendo. Alia extrinseca & est mensura illa per quam metimur, quantum res duret in existendo. Est ergo ęternitas duratio, & mensura intrinseca Dei, & extrinseca creaturarum. Probo de duratione

in-

intrinseca; nam persistere in esse est perfectio digna Deo, sicut transire imperfectio, ex 402. Nec dicas: immensitas non dicitur absolutè extensio, sed virtualis: ergo nec æternitas, duratio Dei. Nego conseq. nam persistere in esse, absolutè est perfectio, secùs extensio, quæ sonat partes, ex 403.

Est etiam ex 404. mensura Dei. Tum quia mensurat vitam Dei quanta sit; non in sapere, vel posse, sed in permanere. Tum quia non obstat indistinctio à Deo, sicut nec vt essentia divina sit mensura per modum obiecti, mẽsurans perfectionem divinæ cognitionis, ex 405. Est etiam duratio, & mensura extrinseca creaturarum; nam per illam secundum diversos sinus metimur quantum duret creatura, sicut possumus per tempus. Nec inferas: ergo creatura vtpote durans duratione æterna, durat æternè. Nego, nam non durat adæquatè per illam, ex 406.

Dices 1. Mẽsurari dicit imperfectionem à Deo relegandam. Concedo, si esset à mensura superexcedenti, vel finita, ex 407. Dices 2. Æternitas nihil notificat nisi ipsam permanentiam Dei; hoc autem solum est notificare se ipsam. Resp. quòd talis permanentia vt notificat se ipsam, iam est aliqualitèr distincta à se ipsa vt notificata, 408. Dices 3. Mensura est extrinseca mensurato, secùs æternitas Deo. Concedo de mensura purà, nego de mensura simul forma, vt tempus respectu sui, ex 409. Dices 4. Mensura dicit relationem ad mensuratum, quam non dicit æternitas ad Deum vtpote indistincta. Respondent aliqui, quòd est mensura virtualis, & sic sufficit distingui virtualitèr, 410.

Sed isti prius debent assignare; ista virtualis mensura, quænam formalitas sit: nam omnis virtualitas & munus cadit supra quid formale; sicut assignatur, quòd radix virtualis attributorum sit formalis intellectio, 411. Quarè dico, æternitas de formali est duratio notificativa extensionis divinæ, quin egeat relatione vt sit mensura formalis, sicut etiam datur in Deo compro-

prehensio formalis sui, sine distinctione aut relatione ad se, 412.

Nec obest, quòd nõ datur Pater sine relatione. Nam Paternitas est ipsa relatio, secùs mensura, 413. Verum tamen est, quòd licèt æternitas sine relatione sit formalis mensuratio Dei, nos tamen ob imperfectionem nostram, illam concipimus cum relatione, & distinctione, ex 414. Dices 5. Essentia divina est mensura omniũ attributorum: ergo superfluit alia mensura. Nego conseq. nam est mensura perfectionis eorum, sed non extensionis tantæ, 415. An æternitas respectu creaturarum sit duratio, & mensuratio in actu secundo per se ipsam, an solùm in actu primo, ex 416. & 417. Sed de hoc infra §. 6.

§. IV. SI EST SPECIALE ATTRIBVTVM.

EX 418. Maneat 4. Quòd æternitas intrinseca, tum vt mẽsura, tum vt duratio est speciale attributum Dei. Dices 1. Esse Dei transcendens, per se ipsum durat sine duratione alia speciali. Distinguo: durat duratione passiva, & notificata, concedo: notificante, nego; & hæc est æternitas. Dices 2. ex 419. Duratio stat in necessitate existendi semper, quæ æquè communis est, ac infinitas. Distinguo. Duratio passiva, cõcedo; activa, seu notificãs nego. Vndè hæc addit supra attributa rationem specialem quasi extraneam. Quarè, infinitas est transcendens, nam infinitat prædicata Dei in suis lineis: at æternitas est specialis, nam est mensura tantificans illa solùm quoad quantũ durent, & sic sufficit vna pro omnibus, sicut vna quantitas pro materia, &c. ex nu. 420.

Dices 3. Nihil speciale addit æternitas supra existentiam necessariam per se ipsam permanentem, & transcendentem. Solet responderi, quòd nihil, sed esse eandem permanentiam diversimodè conceptam, nempè vt explicabilem, & vt explicativam, ex 421. Collige 1. Quòd æternitas est speciale attributum subsequens

quens

quens ad esse increatum, sicut ad esse creatum existens subsequitur durare, tanquam res alteriùs lineę. 2. Quòd supra immutabilitatem addit durationem notificativam. 3. Quòd est perfectio positiva, ex 422.

§. V. EXPLICATIO CONTINENTIÆ TEMPORUM in Æternitate.

EX 423. Sicut anima rationalis, in se indidivisibilis, est in corpore quasi inflata, & extensa; sic ęternitas omnino indivisibilis est iam de facto, ita ampla, & expansa, vt ex se fixa stans, sufficiat præoccupare, & amplecti omnes dies futuros, & plus sine termino. Quòd quomodo sit, exemplis declaro.

Primum est, ex n. 425. De puncto centri, quòd cum sit indivisibile, tangit omnes lineas circuli. Sed hoc non explicat successionem temporum ad æternitatem: nam lineæ non succedunt ad punctum. Secundum *del vsillo* in curru, quòd fixum stans tangit rotas succedentes. Sed neque hoc explicat infinitatem durationis æternę, & eius superexcedentiam ad tempora; nam hæc non circundant æternitatem, sicut rotæ lignum illud, sed potiùs æternitas circundat tempora, 426.

Tria ergo sunt declaranda in æternitate, nempè permanentia, virtualis successio, & superexcedentia. Quare sit ex num. 427. tertium exemplum de immensitate, quæ est iam de facto ita substantialitèr expansa, vt sit iam in omni loco producibili, quantum est de se. Sic æternitas iam de facto est in omni tempore futuro, quantum est de se, etiam in die Iudicij. Non quia Deus dicatur de facto correspondens tali diei; (cum nondum iste sit) sed quia durationem quam habebit in die Iudicij, & per quam illi correspondebit, iam Deus illam habet de facto; non enim habebit plus durationis, nec aliquid novum durationis tunc, quam nunc, sicut nec immensitas plus extensionis, adveniente alio mundo, ex 428.

Quartum de albeo, ex 429. Vbi ripæ fixæ claudunt aquas, earumque motus successivos. Quintum de Capsula horologij, quòd optimè explicat illa tria, nempè permanentiam, continentiam, & superexcedentiam. Sextum de Musica scripta, ex 430. Septimum de Gigante supra pontem brachijs in infinitū expansis plusquam fluvius. Sicut enim Gigas ille est fixus, infinitè longus, totus simul, & virtualitèr successivus; quia amplectitur aquas præsentes, venientes, & præteritas, & etiam est superexcedens omnes illas, sic etiam æternitas, ex 431. Et si vis explicatam indivisibilitatem æternitatis, applica hęc animę rationali Gigantis, quę de illo dicuntur, vel applica Angelo posito in Capsula horologij, 432.

Sequitur 1. ex 433. Creaturas tàm quoad vbi, quam quoad durationem habere duas mensuras: vnam propriam, & æqualem, aliam communem, & superexcedentem, v. g. Petrus hodie durans habet pro mensura propria tempus hodiernum; pro communi, totam æternitatem, quæ omnia creata superexcedentèr ambit, & mensurat. 2. Quòd licèt creatura correspondeat æternitati toti nam hęc est indivisibilis, nō tamen totalitèr, quia virtualitèr est divisibilis. Sicut cor respectu animæ rationalis, ex 434. 3. Quòd licèt Antichristus correspondeat toti æternitati, non tamen existit ab æterno, quia non correspondet illi totalitèr, & pro omni sinu, sed solum pro suo, ex 435.

§. VI. PROBATIO CONTINENTIÆ.

PRæmisso ergo quod æternitas non se habet solùm instar puncti indivisibilis, cui omnia tempora succedant, sed instar puncti inflati præoccupantis omnia illa intra se, vt immensitas, Gigas, &c.

Probo 1. Talem præoccupationem, & continentiam, ex num. 436. & 437. Æternitas Dei in ratione mensuræ durativæ est actu infinita: ergo iam de facto simùl

men-

mensurat, & capit omnes res in duratione mensurabiles; si enim, non simùl, sed successivè illas caperet, nempè vnam post aliam, finita mensura sufficeret, sicut vas vnius vrtiæ ad totum mare. 2. Ex 441. quia ad simùl capi non requiritur, res simùl verè & propriè existere, nam triticum, & carentia tritici, simùl capiuntur à platea, & Adam, & Antichristus à visione Dei, ex 442. Quare æternitas de facto mensurat simùl, & capit vnico ductu existentiam rei pro tempore quo est; & eius carentiam, licèt pro tempore quo non est, quia sunt simùl quoad capi, licèt non quoad existere. 3. Visio Dei, quia infinita, capit, & videt simùl omnes res præsentes, & futuras: ergo & æternitas, quæ non est minus infinita, omnes illas mensurat & capit, ex 443.

Vrgetur, ex 444. Si visio Dei de facto non videret simul omnia visibilia, non esset infinita: ergo similitèr æternitas, si non mensuraret omnia mensurabilia. Vndè æternitas est iam de facto mensura in actu secundo, & quoad exercitium, omnium durationem & sæculorum, sicut visio, omnium visibilium.

Hinc collige, ex 445. aliam differentiam à tempore, quòd illud cum non sit totum simùl, non mensurat simùl, sed per priùs & posteriùs: Æternitas verò cum sit tota simùl & plenissima mensura, simùl & vnico amplexu mensurat. Nec ex hac expansione sequitur physica præsentia futurorum; nam Deus solùm existit, & durat in futuris, v. g. in cras, quoad sufficientiam, & ex parte sua, non quoad efficaciam ob defectum eorum, 446.

Vndè creaturæ ab æterno sunt simùl captæ ab æternitate, non capibilitate coexistentiæ, quia nondum sunt, sed excessu, quæ stat in eo, quod æternitas sua expansione transiliat omnia sæcula, ad quod non requiritur existentia in re excessa, Gigas enim simùl excederet illas aquas, etiam si istæ non essent adhuc, ex num. 447.

§.VII. DE PRÆSENTIA IN ÆTERNITATE, ex Q.XII. quid Thomistæ.

NOta 1. de Fide est omne creatum incepisse creari, & existere in tempore. 2. Sicut æternitas extrinseca per varias partes correspondet rebus, & suis carentijs, ita intrinseca per varios sinus, ex 448. Nec distantia rei à sua carentia, vel ab alia re impedit simùl capi à continente communi apud Thomistas, vt Grex, & sua carentia, à magna platea, Roma & Matritum ab Europa, ex 449.

3. ex num. 450. Mensura ex duplex; propria, quæ est tempus quo quis durat: & communis, quæ est ipsa æternitas. In illa datur successio, secus in ista, cui omnia correspondent. Nec ob id sunt ab æterno, nam non correspondent pro omni sinu, sed quælibet pro suo; sicut navis tangens partem maris, non est à mari vsque ad mare. 4. ex num. 451. Præsentia ad Deum ex duplex: Physica, quæ stat in physicè existere simul cum Deo existenti, & obiectiva stans in patere Deo intuenti.

Sentiunt ergo: futura physicè existere in æternitate, quòd explicant sic: Æternitas ob sui diffusionem iam hodie est duratio actualis omnis futuri: omnis autem duratio physicè tangit, tenet, & sibi alligat rem durantem: nulla autem res potest esse physicè tacta & tenta nisi pro eo instanti physicè existat: ergo Antichristus, v.g. hodie durat, tangitur & existit cum æternitate, & in tota illa, cum indivisibilis sit, ex num. 452.

Sed quid? cum existat in tota æternitate, dicetur etiam existere ab æterno? Concedunt, sumpto ly *ab Æterno* indivisibilitèr, nam sic, aut totum aut nihil; secus si partibilitèr, & pro omni sinu, ex 453. Vndè hæc propositio: *Nunc Antichristus durat*, est vera, non de nunc speciali nostro, sive formali, sine virtuali, sed de communi; nam sola hac duratione æterna, durat nunc Antichristus, non nostra, imò nec sua propria, ex num. 454.

Sed

Sed quomodo est in æternitate antequam sit? Respondent, iam existere, non nobis, cum nondum ad nos venerit, sed Deo: non quia ad Deum venerit per retrotractionem, sed quia æternitas anticipatè ad eum ierit per extensionem suam, quasi illum quæsitura. Sic Rex, ex 456. veniens ad nos, iam in diversorio est præsens, (nō nobis qui in Vrbe sumus, cū nondū ad nos venerit) sed Civibus, qui se anticiparunt ad illum in itinere invisendum. Sic etiam Rete à ripa expansum ad mare capit piscem distantem, non per adventum piscis ad ripam, sed extensionem retis ad piscem, 457. Sic etiam anima rationalis illius Gigantis amplectitur, per suam expansionem aquas illas antequam ad pontem veniant, ex num. 458.

Nota in fine, quòd hæc expansio ad futura multum iuvat vt Deus, quasi facialitèr illa videat, sicut in nobis extensio capitis ad videndum res distantes, ex 459.

§. VIII. PROBATIO.

HAnc Sententiam sic explicatam, sic à n. 460. probant Thomistæ. 1. Quia aliàs æternitas non esset mensura infinita, si non posset omnia simùl capere. Nec esset vniformis, nam variaretur in ipso actu mensurandi, nunc vnum, & postea aliud. Nec esset sumè perfecta, si non esset de facto actualissima mensuratio, & duratio omnium mensurabilium, sicut si immensitas non repleret actu simùl sursum, & deorsum. 2. Quia quando datur duratio rei, datur res: de factò æternitas est actu duratio omnium rerum, crastina, procrastina, &c. ergo Confirm. Ea existunt simùl in aliquo tertio, quæ durant simùl in illo: duratio rerum per æternitatem, est iam in ea, tota simùl: ergo.

Nec dicas, ex n. 465. Æternitatem mensurare successivè, non ex se, sed ex parte creaturarum ei succedentiū, vt pons fixus, aquas. Contra: Tū quia ob id pons est finitus, quia non simùl capit aquas. Tum quia immensitas

tas differentias locorum non replet successivè adhuc ex parte earum, sed simùl. Tum etiam, quia æternitas est physica mensuratio, & tactio in actu secundo, & sic non potest esse sine illis simùl, sicut nec vnio sine extremis.

3. Anima rationalis diffusa per corpus, replet simùl pedes, caput, &c. ergo & æternitas, diffusa per præsentia, præterita, & futura, ex n. 467. Nec obstat, quod futura nondum advenerint, nam æternitas ivit ad illa; imperfectio enim esset illa expectare vt mensuraret, sicut si visio vt videret, ex 468. Confirm. Nam ęternitas non est imaginanda, vt indivisibile simplex expectans tempora, vt pons aquas, sed vt ita expansum ab æterno in æternum, vt secum incorporet simul, fluentia, futura & sæcula. Nec dicas, quòd immensitas non replet rem futuram. Contra, nam hæc non est de linea immensitatis, at est de æternitatis, ex 469.

Vrgetur vltimo, ex nu. 470. Duratio crastina est in distans à re crastina, hodierna ab hodierna, &c. At ęternitas est hodie, & simùl duratio hodierna, crastina, &c. rerum: ergo est indistans, & pręsens illis omnibus.

§. IX. *ARGVMENTA*, ex 471.

SVpposito, quod hæc: *Antichristus est ab æterno*, est falsa, absolutè prolata; quia sonat ab æterno temporis; secùs, si addatur *in Æternitate*, quia sic solùm sonat mensurari æternitate. Similitèr, quod hæc alia: *Antichristus existit in æternitate*, est falsa, si nunc imbibitum in ly *existit*, summatur pro nunc nostro formali, aut virtuali; sed vera, si pro nunc communi æternitatis, licèt nos simus asuefacti non sic illud sumere, sed solùm pro nostro nunc, & tempore, ex 472. & 473.

Objicies 1. ex n. 474. Ergo Antichristus in æternitate, est & simul non est. Concedo, nam hoc non implicat respectu diversorum signum, sicut quod anima mo-

vea-

veatur in manu, & in pede licet. 2. Ergo si Adam, & Antichristus simùl coexistunt vni tertio, etiam inter se. Nego, quia & si coexistunt toti æternitati, sed non totalitèr, sed in diversis finibus. Sic Roma, & Matritum penetrantur cum eadem immensitate, & non inter se. 3. Ergo de facto simul existunt infinita futura in actu. Nego, nam vt ait Gonet, existere in æternitate, non est absolutè existere, sed cum addito, nempè in æternitate.

4. ex num. 477. Nihil potest contineri physicè in mensura communi, nisi contineatur in sua propria. Nego, quando cõmunis est infinita, cuius proprium est se extendere ad res in quocumque statu sint. Instas: immensitas est mensura infinita, & tamen non se extendit ad res in statu futuro. Concedo, nam id non est de sua linea: at est de linea durationis, & æternitatis.

5. ex n. 479. Res non nisi in propria mensura tangit æternitatem: ergo etiam in propria mensura erit ab æterno. Distinguo consequens: in propria mensura prout mensurante, nego; prout mensurata ab æternitate, concedo. Instas: prout mensurans, seu tale exercitium mensurandi rem in suo tempore est quid reale: ergo vt tale est physicè in æternitate. Sicut alia futura realia. Respond. tale exercitium mensurati æternitate: tale, inquam, sed non vt tale, sed more communi aliarum rerum: materialitèr enim se habet, quòd sit exercitium mensurans, sicut quod sit vlna, id quod mensuratur per aliam vlnam.

6. Antichristus incipiet existere in se: ergo & in æternitate. Nego consequentiam; nam fit transitus de mensura propria ad communem. Sic non valet: Monialis incipit esse in Cellula: ergo & in Monasterio, ex 480. Instas, incipit esse: ergo & esse in æternitate. Nego consequentiam, quia non valet ab esse absoluto ad esse cum addito; vt v.g. incipit esse: ergo & esse visus. Vel dic quod incipiet esse inceptione æternitatis, prout contractę ad suum finum, secus sumptæ indivisibilitèr, nam sic res, aut semper est, aut numquam est.

7. De facto non existit: ergo nec coexistit. Nego consequentiam, nam cum æternitas sit iam de factò duratio procrastina, tangit iam de facto physicè ipsam futuram existentiam Antichristi se ad illam expandens, vt Retè piscem. 8. Quòd existit in tempore, non existit in Ævo, licèt sit mensura maior: ergo nec in æternitate. Nego consequentiam, nam ęternitas continet tempora secus Ævum. Sic non valet: est in Navarra: ergo & in Castella, quę est maior, nam in hac illa non continetur, ex 484. 9. Ergo Deus non præexistit rebus. Nego, nam ante illas in suis mensuris, erant earum carentię, & tunc iam erat Deus.

10. Ergo ęternitas eodem modo respicit rem existentem, & ipsam vt futuram. Concedo, eodem modo formali, & nego eodem virtuali. Æternitas formalis semper respicit rem, & carentiam, sed pro diversis sinibus, sicut platea gregem, & carentiam, ex 486. Vndè licèt Antichristus sit durans ipsa duratione æterna Dei, sed non æternè, quia non pro omni sinu, sed pro suo solo, ex nu. 487.

§. X. VERA SENTENTIA, ex 488.

NOto 1. ex 488. Aliud esse, Antichristum existere, aliud existere in ęternitate. Primum sonat, strictè existere. Secundũ, impropriè & cum addito. 2. ex 489. id quod non est, non posse physicè capi, aut tangi à mensura quantumvis capaci; licèt possit intentionalitèr, vt à cognitione, &c. Nam ad hoc non requiritur physica existentia, sicut ad illud. Patet in vase magno respectu guttę vini nondum producti.

3. ex 490. Vt res coexistat physicè ęternitati, debet existere in se ipsa, nam denominatio coexistentis est ex illis, quę sumuntur, saltim partialiter ab existentia recti, de quo infra nu. 498. Noto 4. ex 491. Mensura capiens, vna est rei physicè sibi coexistentis, vt modius respectu tritici; alia non, vt ęternitas capiens futura

ca-

capibilitate non coexistibilitatis, sed excessibilitatis, & scientia Dei possibilia.

Dico ergo, ex 492. Futura non coexistunt de præsenti physicè Æternitati in sensu proprio, sed in improprio. Probatur 1. pars. Tum quia ex non mensurare physicè de factò futura, nulla sequitur læsio æternitatis, nec in sua infinita diffusione, nec in summa actualitate, nec in immutabilitate mẽsurãdi, sicut nec per vos in immensitate, ex non replere de factò alium mundum, nec in Spiritu Sancto ex non esse de facto vnitum Humanitati; ex eò, quòd hoc, solùm sit ex defectu, non sui, sed conotati requisiti, sicut per vos intellectio communis requirit Paternitatem vt sit generatio.

Dices, ex 493. Deficeret æternitati esse increatam durationem formalem crastinam Antichristi, cum hęc non possit dari hodie sine tangere existentiam crastinam. Deficeret etiam illi futuritio Antichristi, quę est de linea durationis. Contra ex nu. 494. Nam solùm deficeret quoad denominationem, non quoad entitatem, sicut & deficit illi esse durationem alterius mundi. Nec futuritio sive duratio futura intrinseca Antichristi est perfectio de linea durationis æternæ, nam illa duratio non est, sed erit; in æterna verò non datur *erit*, sed solum *est*.

Nec minus habet de tactu physico actualissimo vnio Verbi ad humanitatem, quam increata duratio crastina respectu Antichristi, & tamen in tempore advenit Verbo, quòd per suam ęternam actualitatem, posita humanitate, vniatur illi quoad exercitium: ergo ita, &c. ex n. 495. Ecce solutum pręcipuum Thomistarum argumentum, sumptum à perfectione mensurę ęternę, etiam si detur quod sit duratio in actu secundo creaturarum, nam solùm est duratio vt durent cum fine, sicut Verbum vnio humanitatis quando ista fit, ex 496.

Probatur 2. ex 497. Antichristo deficit requisitum essentiale vt denominetur durans, nempè *esse*, nam durare est permanere in esse; nemo autem potest per-

manere in esse, si non habet esse. Confirmatur. Ad denominationem coexistentis non sufficit actualitas formę, sed etiam requiritur actualitas subiecti. Quarè licèt de facto ęternitas sit duratio præsens Antichristi; tamen ob defectũ existentię, non denominat illum durantem pręsentèr, sicut nec ęternè, licèt sit duratio ęterna, ex 498. Vrgetur: quia Antichristus non existit semper in se, nec fit durans pro semper ipsa duratione ęterna: ergo ideò, quia cum non existit, non durat, licèt duret forma. Sic corpus Divi Petri non vivit, & si vivat sua forma, ex num. 499.

Dices, ex n. 500 Quando duratio est infinita, non requiri existentiam subiecti, nam tunc illud apprehendit in quocumque statu sit. Contra 1. Infinitas non supplet, quòd essentialitèr requiritur, nec facit mensurabile, quod mensurabile non est, sed nihil. Sic immẽsitas non replet de facto, nisi replebile, &c. ex 501. Contra 2. ex 502. Nam quod nõ est, quomodo potest apprehendi ab ęternitate, quantumvis expansa? Secus est de pisce in medio maris respectu Retis, nam ille iam est.

Probatur 3. ex 503. Antichristus incipit esse: ergo & esse durans, nam tunc denominatio incipit, quando conditio essentialis. Nec dicas, ex num. 504. Quòd etiam incipit esse, & non incipit esse visus, & Monialis incipit esse in Celulla, & non in Monasterio, &c. Contra: nam esse est conditio essentialis vt res duret, secus vt videatur, sicut nec esse in Celulla, vt sit in Monasterio. Vndè valet argumentum negãs à mensura particulari ad communem, si esse in illa requiratur essentialiter ad essendum in ista. Sic valet: Antichristus non est in proprio vbi: ergo nec in concavo Lunę.

4. ex 505. Vel quando dicitur Antichristus existere, seu durare nunc per æternitatem, intelligitur durare per nunc virtuale nostrum, vel per identicum, & commune præcisivè ab omni tempore. Si in 1. sensu, est falsum, ex 506. Tùm quia res solùm correspondent æternitati pro suo sinu, non pro omni, aliàs non esset

men-

mensura superexcedens. Tum etiam, ex 507. Quia si res correspponderet pro omni sinu, existeret semper, non solùm sempiternitate æternitatis identicæ, sed etiam virtualis, sicut ipse Deus.

Tum etiam, ex 508. Quia Antichristus est finitè mensurabilis: ergo non mensuratur à tota æternitate totalitèr, sed à tota partialitèr, seu pro suo peculiari sinu. Tum denique, ex 509 Quia res tantum habet de duratione in æternitate, quantum requiritur ad ambiendum durationem in propria mensura: at pro ista ambienda sufficit pars illa virtualis ei correspondens, ita vt cæteræ supersint: ergo Antichristus solùm durat in æternitate pro suo nunc, non pro nostro. Si verò sumatur in secundo sensu, est improprium de quo §. sequenti; imò nec potest in tali sensu sumi, vt in articulo 6. probatur.

§. XI. PROBATIO SECVNDÆ PARTIS.

ANtichristus, ex n. 510. non durat nec existit in æternitate pro nostro sinu, sed pro suo solo? Sed ille nondum venit, cùm æternitas quoad sinus sit successiva: ergo nec venit propriè loquendo simultas physica eius cum suo sinu, & per illum cum æternitate, sed veniet. Tum etiam, ex 511. Quia ad coexistentiam requirebatur vtriusque existentia. Tum etiam, quia nec per nunc identicum propriè durat de facto, nam solùm intrat in nunc commune per portam sui sinus, quæ porta vt talis nondum venit, imò nec ipse Antichristus vt intrare possit.

Vndè ex 512. hæc locutio: Antichristus est in æternitate: est impropria. *Quia* in rigore non sonat existentiam, nec in ea sistit, sed simultatem, seu ligationem suæ physicæ existentiæ cum suo sinu, quæ simultas licèt significetur per verbum de præsenti grammaticalitèr, physicè verò & realitèr est futura, ex 513.

§. XII.

§.XII. DE SECVNDO SENSV.

IN secundo sensu non apparet, quomodo possit summi, ex 514. Nam illud nunc identicum ex se est commune ad præsens, præteritum, & futurum: ergo si non contrahatur per aliquid speciale Antichristi, non illum denominabit durantem de præsenti, & sic relicta nuda entitate Antichristi, & nudo nunc identico, omni tempore præciso, impossibile est illum reddere durantem de præsenti.

Tum etiam, quia ego non duro nisi per meam durationem mihi intrinsecam, vt per tempus, licèt per istud illa mensuretur: ergo idem de Antichristo respectu illius nūc identici æternitatis, ex 515. Dices, ex 516. Nunc æternum reddere Antichristum durantem de præsenti pro suo tempore. Sic actio æterna Dei ad extra reddit Adamum physicè productum ab æterno pro suo tempore, sicut & visio visum, ex 517. Ad eum modum quo, si quis ab intra Ecclesiam, feriret aliquem pro extra, ex 518.

Si instes, ex num. 519. Non potest actio esse ab æterno, & effectus in tempore. Negant quando actio solum est æterna activè sumpta, sed passivè est temporalis. Nec valet, ex 520. Quòd actio creata etiam solùm activè æterna; non potest esse sine suo termino æterno: ergo nec actio Dei. Negant consequentiam, nam actio creata est fluxus, & motus in terminum: at actio Dei vtpote summè perfecta sine termino, non tàm fertur, quam trahit illum ad se, & ad mensuram suam æternam.

Sed quidquid sit de his: non potest actio Dei elevare rem creatum ad æternitatem, nisi pro suo solo sinu; at iste nondum venit, sed veniet: ergo propriè non mensuratur de præsenti per æternitatem, ex 521. Tandem: hæc physica præsentia etiam inutilis est, vt Deus videat certò futura, cum possit ea tam certo cognoscere in decreto, & alijs medijs, ex 522.

§.XIII. ARGVMENTA, ex num. 523.

SVpposito pro nunc Æternitatem se ipsa esse actualem durationem rerum, connotando illas, ex n. 524. Respondeo ad rationes Articuli 2. Ad primam: Æternitatem iam esse in actu secundo durationem, & mensurationem rerum pro formali, & quoad sufficientiam. Vndè, quando incipiat durare res, non fiet variatio in actu secundo mensurandi, secundum formale.

Ad secundã, ex 525. idem dico, esse scilicèt iam durationem crastinam, &c. quoad formale crastinæ. Ad confirmationem, concedo illa durare simùl, quorum duratio est simùl quoad denominationem, secùs si solùm quoad entitatem. Ad exemplũ de Immensitate, ex 526. concedo, replere etiam quoad denominationem, loca, sursum, &c. nam ista sunt: at cras non est.

Ad tertiam, ex 527. Concedo de anima rationali replere simùl partes corporis, nam istæ sunt; secùs æternitas tempora futura, quæ non sunt. Nec ex 528. valet, quòd se dilataverit ad illa, sicut rete ad piscem, nam piscis erat, secus illa. Neque valet paritas de visione, nam hæc non requirit existentiam. Ad confirmationem dico, ex 529. Quòd æternitas incorporat secum fluentia sæcula quoad sufficientiam, secùs quoad efficaciam, quia non sunt. Ad aliam replicam, nempè quod futurum debet amplecti ab æternitate, quia est de linea durationis. Dico, ex 530. iam amplecti quoad sufficientiam, & secundum quod dicit de perfectione formali durationis.

Ad vltimum dico, ex 531. Quòd æternitas nunc & semper est ex se simùl duratio hodierna, crastina, &c. secundum, quòd istæ denominationes dicunt de formali, secus de virtuali; virtualitas enim crastina, hodie non est, nam succedet virtualitati hodiernæ. Nec dicas, ex num. 532. Quòd visio ab æterno est visio etiam

quoad denominationem, nam ab æterno erat visibilitas rei, secùs coexistibilitas.

Objicies 5. ex 533. Antichristus correspondet de factò æternitati pro suo tempore, quę æternitas est *Nunc* præsens æternū. Nego, quòd correspondeat, sed correspondebit, veniente suo tempore. Objicies 6. ex 534. Prior est existentia physica futuri pro suo tempore, quam videri à Deo, nam ideò videtur, quia futurum est: ergo talis existentia pro suo tempore est ab æterno, siquidem est ante visionem æternam. Respondeo, quod est prior existentia, sumpta vt intuibilis, secus vt exercita.

Ad Patres dico, ex 535. loqui de præsentia physica vt intuibili, non vt physicè exercita. Ad Anselmum, ex 536. ideò dicere res non mutari in æternitate sed in tempore, quia esse & nō esse habent in eadem æternitate, sed in diversis temporibus. Vel dic, ex 537. non mutari in ęternitate adæquatè sumpta, nam sic omnia fiunt intra illam. Dices, ex 538. Ergo nec mutantur in tempore, quia etiam fiunt intra idem tempus imaginarium adæquatè sumptum. Nego esse idem tempus realitèr, sicut æternitas, quę pro formali est vnicum, & idem instans: & hęc de æternitatis Epilogo.

QVÆSTIO XIII.

DE INTELLECTIVO DIVINO, VBI PLVRA DE immaterialitate.

540 Aliqua dicta sunt supra Quæst.5. Artic.1. de intellectivo, quatenùs est essentia Dei, nunc alia restant scitu dignissima de illo, atque de linea intelligibili in communi, & vt pertinente ad Deum. Sed quia Angelicus Magister Divus THOMAS probavit Deum esse cognoscitivum ab immaterialitate, declaranda sunt aliqua de ipsa, difficilia satis.

AR-

ARTICVLVS, & §.I.

AN IMMATERIALITAS SIT RATIO COGnoscendi, & qua immaterialitas.

541 NOta I. aliud esse sumi res in linea entitativa (id est sub modo physico naturali, entitativo & groso) Aliud sumi in linea intelligibili: (id est sub modo intelligibili, & repręsentativo) De hac diversitate linearum egimus in tomo de *Incarnatione*, *quæst.28. art.14.à num.1514. & quæst.11. de Visione à nu.521.* Vbi quod pręter identitatē physicam & grosam detur alia vera idētitas intelligibilis.(vocatur intelligibilis à linea, nō autē, quia debeat esse purè obiectiva, vel intellecta) explicui exemplo imaginis Christi ligneę, quę in esse entitativo cū sit lignū quoddam, distinguitur realiter à vero Christo; in esse autē intelligibili, & repræsentativo, est identicè ipsissimus verus Christus.

542 Nota 2.& valdè ex art.2.huius quęst. Quod in cognoscētibus datur duplex modus habēdi formas, v.g. in intellectu cognoscente lapidem. Vnus est per entitativam passionem, & receptionem earum, (& in hoc convenit cum non cognoscentibus.) Sic habet entitativè speciem impressam, & cognitionem. Alter est sine receptione entitativa, per intentionalem attractionem. Sic attrahit ad se intentionalitèr, & intelligibilitèr ipsissimum esse, & formam lapidis sine receptione entitativa eius intra se. Et in hoc differt à non cognoscentibus. Intellectus ergo à primo modo habendi cognitionem denominatur entitativè cognoscens. A secundo modo habendi lapidem denominatur, non entitativè, sed intelligibilitèr formalitèr lapideus. Hanc anticipavi advertentiam, quia in dicendis, necessitas ipsius passim obvia erit.

543 Nota 3. quòd cū in materia prima, & detur esse ipsius, & detur etiam operari, duplex etiam datur ima-

materialitas contraposita materiæ. Vna entitativa. Alia exercitiva. Prima stat in spiritualitate contraposita esse entitativo materiæ. 2. In perfectione, & vi operandi modo quodam immateriali, id est elevato supra operari proprium materiæ, sive conditionum materiæ. Est autem specialissima conditio materiæ vt operativę, quòd operetur formalitèr solum per passionem, & motum, sive per entitativam receptionem formæ. Non enim habet ipsa alium modum habendi formas. Vis ergo habendi intra se formas sine receptione, erit immaterialitas exercitiva, vtpotè habens illas modo immateriali.

544 Ex quo patet, quod omne habere per receptionẽ, potentialitatem, compositionem, vel componibilitatem entitativas, vbicumque reperiatur (etiam in Angelo) est quædam materialitas stricta exercitiva, quia sapit specialissimè operari, proprium materiæ primæ. Cuius totum esse est propter recipere entitativè formas, & propter facere compositionem entitativam cum illis. Et in hoc sensu solus Deus, vtpote actus purissimus est summè immaterialis, quia est actus irreceptus sivè non receptus: non autem Angelus, qui suam cognitionem entitativè recipit, faciendo cum ea entitativam compositionem. An autem præter istam immaterialitatem exercitivam, detur alia etiam exercitiva, licèt latior, dicam in hoc artic. n. 569. His positis.

545 Ratio D. Thomę proponitur sic. Immaterialitas est ratio cognoscivitatis: atqui Deus est summè immaterialis: ergo & summè cognoscitivus. Minor est evidens, quia Deus est in summo immaterialitatis; entitativę quidem, cum sit summè spiritualis; exercitivæ, cum intra se non admittat operationem vllam per potẽtialitatem, compositionem, receptionem, passionem, aut motum, cum sit actus vndęquaque purissimus: ac per consequens nihil admittit, quod materiæ conditiones sapiat.

Ma-

546 Maior in qua est difficultas prob.quia cognoscivitas summitur ab amplitudine,sivè à capacitate tali, vt non solum admittat, & capiat intra se formas suas, sed formas aliarum rerum. Coarctatio enim est impedimentum intellectivitatis, eò quòd deprimit, aufert,aut diminuit hanc capacitatem habēdi formas aliarum rerum,& essendi quodammodo omnia,(quod est proprium cognoscentium;) sed omnis coarctatio huius amplitudinis provenit à materia: ergo. Probatur min.experientia, quia tactus est minus cognoscitivus quam oculus, quia materialior & magis coarctatus:est enim coarctatus ad obiectum provt hic & nunc; id est ad obiectum,vt præsens tempore, & contiguum loco. Oculus minus cognoscitivus Imaginatione, quia licèt non sit coarctatus ad *hic*,cum videat obiecta à longè,est coarctatus ad *Nunc*,id est ad obiectum præsens *Nunc*. Imaginatio verò se extendit ad præterita. Ipsa etiam est minus cognoscitiva intellectu humano vnito corpori:quia iste extenditur ad omnia etiam spiritualia, licèt ad modum corporis cognoscenda. Iste Angelico, qui extenditur etiam ad omnia,& ad spiritualia vt talia,&c. Idem patet in plantis ob multam materiam & grossitiem non cognoscentibus. Animal autem est minus cognoscitivum,quam homo.Iste quam Angelus.Iste quam Deus,qui immaterialior est.Ab immaterialitate ergo summitur activa cognoscitivitas.

§.II. QVÆSTIONES OPPORTVNÆ.

547 QVæres 1.Quomodo bruta sūt cognoscitiva,si nō immaterialia? Resp.esse immaterialia exercitivè,id est in operando *modo immateriali*, sivè supra conditiones materiæ. Si 2.quæras,quid sit habere formas modo immateriali? Respond.habere eas sine receptione entitativa;de quo latiùs art.2.§.1.

548 Quæres 3. Quid est operari supra cōditiones materiæ? Respondet Magister Godo[illegible] & [illegible]

disp 2. de natura Dei artic.2. §.2. ille verò tractatu de Scientia Dei,disp.22 num.121.) Quòd est operari independentèr à dispositionibus materiæ : Visio enim non elicitur medio calore , frigiditate , siccitate, aut humiditate,quę sunt dispositiones materiæ.Sed si opponas , quod sæpè sensus vt eliciant suas operationes egent illis qualitatibus,benè temperatis, v.g.gustus vt eliciat perceptionem saporum. Item tactus nimis infrigidatus non percipit , quod tangit. *Patet* in Medico, qui non percipit pulsum egrotum digitis congelatis. Respondebit Godoy,eas dispositiones requiri ex parte organi,non tamen ex parte virtutis. Sed de hoc in fine Artic.num.568.

549 Dico ego,quod elevatio supra cōditiones materię vt propria cognoscentiū, nō datur inter potentiam productivam cognitionis , & cognitionem , sed inter cognoscens,& cognitum ; quatenùs cognitum trahitur ad cognoscentem absque entitatiua receptione in illo. Intellectus enim procedens ad habendam cognitionem via receptionis,procedit modo materiali. Immateriali verò provt via attractionis obiecti ad se, sine receptione entitatiua obiecti in se.Hanc diversitatem vtriusque vię, nempè receptivæ cognitionis vt repræsentativæ ex vna parte, & ex alia tractivæ obiecti ad cognoscētem,valdè memoria tenè,& explica has duas vias declarativo exemplo in productione magnetis vt termini , & in attractione ferri ad magnetem. Non strictè sic,sed quasi sic evenit in cognitione ; nam ipsa vt est terminus productionis simul est attractio obiecti , id est lapidis ad intellectum, vt denominet lapideum,sitque forma eius vt lapidei.

550 Ex duplici ergo via,vna productionis cognitionis,& altera tractionis obiecti ad cognoscētem:Illa 1. est entitativa & physica ex genere suo, & nō importat differentiam à non cognoscente:ista secunda est grammaticalis,& intentionalis; & quia in sola ista attrahi-[illegible] al[illegible]a sine receptione, in sola ista verifica-

tur

tur elevatio supra conditiones materiæ, & formale exercitium, sivè modus immaterialitatis proprius cognoscentium.

551 Quæres 4. Ex qua immaterialitate, probet Divus Thomas cognoscivitatem? Magist. Ioannes à Sancto Thoma supra textum Div. Thom. ait, ex susceptiva specierum modo elevato supra cōditiones materiæ, sive modo intentionali. Sed contra, quia cum immaterialitas susceptiva specierum modo intentionali sit ipsa cognoscivitas, esset probare idem per idem. Id ipsum impugnat Illustrissimus Godoy, *disp. 22. de Scientia Dei, à nu.*155. multis alijs argumentis.

552 Ideò ipse docet D. Thom. probare ex immaterialitate entitativa. Sed potest contra hoc opponi. 1. quia in brutis videtur non posse ex immaterialitate entitativa probari, cum non detur. 2. Quia sicut certum est species colorum recipi in oculo, etiam est certum recipi in aere; solùm stat diversitas in susceptione modo intentionali proprio cognoscentium. Si ergo potentia visiva, tàm est entitativè materialis, quàm sit aer. Vndè provenit quod illa, & non iste sit susceptiva earum modo intentionali? Ergo non probatur ex immaterialitate entitativè sumpta, sed ex alia.

553 Noster Cornejo *de Sciētia Dei, disp. 1. dub. 2. à n.* 11. dixit: Quòd nō probit ex immaterialitate stricta scilicèt spiritualitate, sed ex alia latiori, nempè ex immaterialitate præcissa ab entitativa & exercitiva. Vndè argumentum D. Thom. formatur sic: Ratio cognoscendi provenit ab immaterialitate, id est à perfectione positiva exclusiva materiæ, sive exclusiva coarctationis materiæ, conditionumque eius in operando: atqui Deus omni modo est summè immaterialis: ergo est summè cognoscitivus. Maior probatur: Tùm ex amplitudine rei spiritualis in se, & ex elevatione excludente, & prætervolante in operando conditiones coarctativas materiæ proprias, propter quod accipit formas aliarum rerum. Tùm ex experientia iuxta quam ele-

varior cognitio procedit ex elevatiori supra conditiones materiæ operatione, vt patet in sensibus. Hæc sententia videtur probabilior.

554 Sed fortè, secunda erit magis solida, si explicentur duo. 1. Quid habeat plus de amplitudine pro hoc intẽto res spiritualis in esse entitativo, quam materialis; cum vtraque conveniat in esse entitativè solùm vbi est, & non vbi non est. (de quo infra Artic. 2. §. 1. in fine) 2. Illa ratio propter quam bruta, sunt susceptiva specierum modo intentionali & non aer, quid habeat de non materia, & de non grossitie materiæ, sive de immaterialitate præ Aere? Aer enim cum sit subtilior alijs entibus materialibus, & diaphanus, videtur quod sit habens minus de materiæ grossitie, ac per consequens sit immaterialior brutis pro entitate. Cur ergo non & pro exercitio cognoscendi?

555 Dicam quod mihi se offert in re satis obscura. Res spiritualis ex proprio esse essentiali entitativo est multo maioris amplitudinis & diffusionis quam sit ex se res materialis. Nam licèt vtraque conveniat entitativè in hoc quod est solum esse vbi est, & non vbi non est; habet tamen res spiritualis vt sibi proprium, quod essendo tota vbi est, se extendat & sit, vbi non erat, perseverante toto suo esse vbi antea erat. Est enim per replicationem, vel alio pacto, tota in toto, & tota in qualibet parte. Et per hoc patet ad primum. Ad secũdum respondetur, quòd duplex est positivus recessus à materia in se ipsa. Vnus totalis, & exclusivus materiæ. Alius solum partialis, & diminutivus materiæ, qui licèt non excludat pœnitùs materiam, diminuit tamen eam entitativè, & sicut rarum differt à denso in eo, quod illud importet sub magnis dimensionibus parum materiæ. Sic materiale cognoscitivum ex exigentia, quam forma habet de organis, & de maiori, vel minori primore artificioso eorum, postulat minorationem entitativam materiæ, ita vt sub æqualibus dimensionibus exigat ratione organorum minùs materiæ, quam

aer,

aer,& quam alia purè materialia, quæ organa non petunt. Summitur ergo cognoscitivitas ab immaterialitate entitativa, vel excludente, vel minorante materiam.

556 Sed quid prodest immaterialitas entitativa? Resp. prodesse. 1. pro amplitudine sæpè dicta. 2. Prodesse, experientia teste, pro capacitate ad habendas formas aliarum rerum, in quo stat linea cognoscitiva, de quo infra. Cum enim à materia,& grossitie oriatur coarctatio, vt sæpè docet Diuus Thom. ex Aristotele & experientia, à remotione eius vt impeditivę, sivè ab immaterialitate ei opposita provenire debet amplitudo maior cognoscentium propria.

557 Obijcies. A receptione cognitionis entitativa impeditur maior cognoscitivitas, vt patet in Angelo minus cognoscitivo, quam Deus. Atqui illa receptio Angelica suę cognitionis cum sit spiritualis, non est entitativè materialis: ergo impedimentum cognoscitivitatis, non summitur à sola materia entitativa. Resp. quod aliud est loqui de cognoscitivitate præcisè. Aliud de maiori, vel minori. Illud stat essentialitèr, in perfectione formæ exclusiva vel minorativa materiæ entitativę: minoritas autem, non debet semper sūmi à materia entitativa, sed potest à sapore materię. Sapor materię propriùs est duplex. Vnus stat in receptione entitativa formæ; alius in dispositionibus materialibus coarctativis; & impedientibus habere immaterialiter formas aliarum rerum. Illę destruit cognoscitivitatem; ille verò licèt diminuat, non destruit, quia non tollit Angelo recipienti cognitionem, vt alia via habeat sine receptione formas alienas. A materia ergo, eiusque saporibus provenit, tàm expulsio, quàm diminutio cognoscitivitatis; quæ ab immaterialitate entitativa provenire debet.

558 Tandem quæres. Quænam immaterialitas sit cognoscitivitatis immediata ratio? Resp. quòd sola sub-

subitantialis entitativa; & patet, quia sola ipsa exigit esse cognoscens elicitivè & formalitèr: Accidentia sufficit si inducāt saltim arguitivè cognoscitivitatē ex connexione cum illa antecedentèr, vel consecutivè, id est, vel à priori, vel à posteriori. A priori, vt intellectus, qui est principium *quo* cognitionis ex parte potentiæ. Species impressæ sunt principium *quo* ex parte obiecti. A posteriori autem, vt voluntas quæ connexè arguitivè probat præsuppositionem cognoscentis, cum sit inclinatio in obiectum provt aprehensum: idem dic de vnione hypostatica, & præsentia spiritualibus, probare quidē cognoscitivitatē in supposito mediatè, vel remotè. Solū ergo substātia immaterialis est cognoscitiva formaliter, licèt accidēs immateriale, vel habitus, & &c. sit reductivè cognoscitivus, sivè de linea: nō quidē cognoscitivus vt cognoscat ipse, sed vel vt adiuvet, vel vt inferat cognoscēs in supposito. Licèt ergo nō omne ens spirituale sit cognoscitivū formaliter, & vt *quod* est cognoscitivū reductivè, vel vt quo adiutivè vel saltim illativè probat cognoscens. Ex his sequitur immaterialitatē perfectam solum esse entitativam, & sic cognoscitivitas perfecta solū datur in cognoscente spirituali: imperfecta enim est propria brutorum.

§. III. ARGVMENTA.

559 OBijcies 1. Quod non repugnat substantia spiritualis non cognoscitiva: ergo. Nego antecedens, quia haberet amplitudinem recipiendi formas alienas; & non haberet. Alij respondent, quia esset vivens, (nam cum spiritualitas sit perfectio simplicèr simplex, debet contrahi per differentiam perfectiorem nempè vivens) & non esset, cum non esset intellectiva, & ei alia differentia vitæ repugnaret, v.g. affectivæ, vel nutritivę. Sed hęc secunda solutio, quam late fundat Illustrissimus Godoy, non placet, quia sicut substantia, licèt sit perfectio simplicitèr simplex

con-

contrahitur per corpus, etiam posset spiritualitas contrahi per non vivens.

560 Obijcies 2. Non repugnat Cœlum Empyreum purè materiale carens omni operatione ex D. Thoma *in 2. dist. 2. quæst. secunda, artic. 3.* Ergo nec substantia purè spiritualis. Nego antecedens, quia ex Aristotele vnumquodque est propter suam operationem. Et D. Thomas mutavit sententiam, *1. part. quæst. 66 art. 3 ad 2. & quodlib. 6. artic. 11.* Licèt enim ibi asserat esse probabilem, sed non sequitur illam. Permisso antecedenti, nego consequentiam, quia materialitas propter suam coarctationem est capax, vt contineatur intra solum gradum essendi, secùs amplitudo rei spiritualis.

561 Obijcies 3. Anima post resurrectionem vnita corpori, æquè perfectè vel perfectiùs noscet, quam separata. Tum quia æquè perfectè videt Deum. Tum ex D. Thom. 1 *part. q. 89. artic. 1. in corpore*; aiente meliùs esse animæ noscere per conversionem ad phantasmata: ergo materia nō officit. Distinguo antecedens, æquè perfectè noscit, eà quæ noscit per visionem Beatam, vel per species infusas, & independentes à corpore, concedo min. Per dependentes, nego. Divus Thomas autem per ly *meliùs* intelligit *connaturaliùs*, non *perfectiùs*. Imò separata perfectiùs noscit se ipsam & Angelos cum noscat per propriam speciem.

562 Nec item obest Divus Thomas 1.2. *quæst 4. artic. 5. ad 4.* dicens Animæ separationem à corpore retardare illam, ne tota intensione feratur in visionem divinæ essentiæ. Et id ipsum docuerat in 4. sententiarum. Respondeo, quòd non dicit retardari ab intensione visionis, sed ab intentione visionis, quia dividit intentionem in duo, volendo nempè visionem, sed simul desiderando, & conando ad reunionem: & hic teste Caietano retractavit sententiam, quam tenuerat quarto sententiarum.

563 Obijcies 4. Angelus superior non est imma-

te-

quoad denominationem, nam ab æterno erat visibilitas rei, secùs coexistibilitas.

Obijcies 5. ex 533. Antichristus correspondet de factò æternitati pro suo tempore, quę æternitas est *Nunc* præsens æternū. Nego, quòd correspondeat, sed correspondebit, veniente suo tempore. Obijcies 6. ex 534. Prior est existentia physica futuri pro suo tempore, quam videri à Deo, nam ideò videtur, quia futurum est: ergo talis existentia pro suo tempore est ab æterno, siquidem est ante visionem æternam. Respondeo, quod est prior existentia, sumpta vt intuibilis, secus vt exercita.

Ad Patres dico, ex 535. loqui de præsentia physica vt intuibili, non vt physicè exercita. Ad Anselmum, ex 536. ideò dicere res non mutari in æternitate sed in tempore, quia esse & nō esse habent in eadem æternitate, sed in diversis temporibus. Vel dic, ex 537. non mutari in ęternitate adæquatè sumpta, nam sic omnia sunt intra illam. Dices, ex 538. Ergo nec mutantur in tempore, quia etiam sunt intra idem tempus imaginarium adæquatè sumptum. Nego esse idem tempus realitèr, sicut æternitas, quę pro formali est vnicum, & idem instans: & hęc de æternitatis Epilogo.

QVÆSTIO XIII.

DE INTELLECTIVO DIVINO, VBI PLVRA DE immaterialitate.

540 ALiqua dicta sunt supra Quæst.5. Artic.1. de intellectivo, quatenùs est essentia Dei, nunc alia restant scitu dignissima de illo, atque de linea intelligibili in communi, & vt pertinente ad Deum. Sed quia Angelicus Magister Divus THOMAS probavit Deum esse cognoscitivum ab immaterialitate, declaranda sunt aliqua de ipsa, difficilia satis,

AR.

ARTICVLVS, & §.I.

AN IMMATERIALITAS SIT RATIO COGnoscendi, & quæ immaterialitas.

541 NOta I. aliud esse sumi res in linea entitativa; (id est sub modo physico naturali, entitativo & grosso) Aliud sumi in linea intelligibili: (id est sub modo intelligibili, & repræsentativo) De hac diversitate linearum egimus in tomo de *Incarnatione, quæst.28. art.14. à num.*1514. & *quæst.*11. *de Visione a nu.*521. Vbi quod præter identitatẽ physicam & grosam detur alia vera idẽtitas intelligibilis. (vocatur intelligibilis à linea, nõ autẽ, quia debeat esse purè obiectiva, vel intellecta) explicui exemplo imaginis Christi ligneæ, quæ in esse entitativo cũ sit lignũ quoddam, distinguitur realiter à vero Christo; in esse autẽ intelligibili, & repræsentativo, est identicè ipsissimus verus Christus.

542 Nota 2. & valdè ex art.2. huius quæst. Quod in cognoscẽtibus datur duplex modus habẽdi formas, v.g. in intellectu cognoscente lapidem. Vnus est per entitativam passionem, & receptionem earum, (& in hoc convenit cum non cognoscentibus.) Sic habet entitativè speciem impressam, & cognitionem. Alter est sine receptione entitativa, per intentionalem attractionem. Sic attrahit ad se intentionalitèr, & intelligibilitèr ipsissimum esse, & formam lapidis sine receptione entitativa eius intra se. Et in hoc differt à non cognoscentibus. Intellectus ergo à primo modo habendi cognitionem denominatur entitativè cognoscens. A secundo modo habendi lapidem denominatur, non entitativè, sed intelligibilitèr formalitèr lapideus. Hanc anticipavi advertentiam, quia in dicendis, necessitas ipsius passim obvia erit.

543 Nota 3. quòd cũ in materia prima, & detur esse ipsius, & detur etiam operari, duplex etiam datur ima-

materialitas contraposita materiæ. Vna entitativa. Alia exercitiva. Prima stat in spiritualitate contraposita esse entitativo materiæ. 2. In perfectione, & vi operandi modo quodam immateriali, id est elevato supra operari proprium materiæ, sive conditionum materiæ. Est autem specialissima conditio materiæ vt operativę, quòd operetur formalitèr solum per passionem, & motum, sive per entitativam receptionem formæ. Non enim habet ipsa alium modum habendi formas. Vis ergo habendi intra se formas sine receptione, erit immaterialitas exercitiva, vtpotè habens illas modo immateriali.

544 Ex quo patet, quod omne habere per receptionẽ, potentialitatem, compositionem, vel componibilitatem entitativas, vbicumque reperiatur (etiam in Angelo) est quædam materialitas stricta exercitiva, quia sapit specialissimè operari, proprium materiæ primæ. Cuius totum esse est propter recipere entitativè formas, & propter facere compositionem entitativam cum illis. Et in hoc sensu solus Deus, vtpote actus purissimus est summè immaterialis, quia est actus irreceptus sivè non receptus: non autem Angelus, qui suam cognitionem entitativè recipit, faciendo cum ea entitativam compositionem. An autem præter istam immaterialitatem exercitivam, detur alia etiam exercitiva, licèt latior, dicam in hoc artic. n. 569. His positis.

545 Ratio D. Thomę proponitur sic. Immaterialitas est ratio cognoscivitatis: atqui Deus est summè immaterialis: ergo & summè cognoscitivus. Minor est evidens, quia Deus est in summo immaterialitatis; entitativę quidem, cum sit summè spiritualis; exercitivæ, cum intra se non admittat operationem vllam per potẽtialitatem, compositionem, receptionem, passionem, aut motum, cum sit actus vndęquaque purissimus: ac per consequens nihil admittit, quod materiæ conditiones sapiat.

546 Maior in qua est difficultas prob.quia cognoscivitas summitur ab amplitudine,sivè à capacitate tali, vt non solum admittat, & capiat intra se formas suas, sed formas aliarum rerum. Coarctatio enim est impedimentum intellectivitatis, eò quòd deprimit, auffert,aut diminuit hanc capacitatem habēdi formas aliarum rerum,& essendi quodammodo omnia,(quod est proprium cognoscentium;) sed omnis coarctatio huius amplitudinis provenit à materia: ergo. Probatur min.experientia, quia tactus est minus cognoscitivus quam oculus, quia materialior & magis coarctatus:est enim coarctatus ad obiectum provt hic & nunc; id est ad obiectum,vt præsens tempore, & contiguum loco. Oculus minus cognoscitivus Imaginatione, quia licèt non sit coarctatus ad *hic*,cum videat obiecta à longè,est coarctatus ad *Nunc*,id est ad obiectum præsens *Nunc*. Imaginatio verò se extendit ad præterita. Ipsa etiam est minus cognoscitiva intellectu humano vnito corpori:quia iste extenditur ad omnia etiam spiritualia, licèt ad modum corporis cognoscenda. Iste Angelico, qui extenditur etiam ad omnia,& ad spiritualia vt talia,&c. Idem patet in plantis ob multam materiam & grossitiem non cognoscentibus. Animal autem est minus cognoscitivum,quam homo.Iste quam Angelus.Iste quam Deus,qui immaterialior est.Ab immaterialitate ergo summitur activa cognoscitivitas.

§.II. QVÆSTIONES OPPORTVNÆ.

547 QVęres 1.Quomodo bruta sūt cognoscitiva,si nō immaterialia? Resp.esse immaterialia exercitivè,id est in operando *modo immateriali*, sivè supra conditiones materiæ. Si 2.quęras,quid sit habere formas modo immateriali? Respond.habere eas sine receptione entitativa:de quo latiùs art.2.§.1.

548 Quæres 3. Quid est operari supra cōditiones materiæ? Respondet Magister Godo[illegible] & [illegible]

disp. 2. de natura Dei artic. 2. §. 2. ille verò tractatu de Scientia Dei, disp. 22. num. 121.) Quòd est operari independentér à dispositionibus materiæ: Visio enim non elicitur medio calore, frigiditate, siccitate, aut humiditate, quę sunt dispositiones materiæ. Sed si opponas, quod sæpè sensus vt eliciant suas operationes egent illis qualitatibus, benè temperatis, v.g. gustus vt eliciat perceptionem saporum. Item tactus nimis infrigidatus non percipit, quod tangit. Patet in Medico, qui non percipit pulsum egrotu digitis congelatis. Respondebit Godoy, eas dispositiones requiri ex parte organi, non tamen ex parte virtutis. Sed de hoc in fine Artic. num. 568.

549 Dico ego, quod elevatio supra cõditiones materię vt propria cognoscentiũ, nõ datur inter potentiam productivam cognitionis, & cognitionem, sed inter cognoscens, & cognitum; quatenùs cognitum trahitur ad cognoscentem absque entitativa receptione in illo. Intellectus enim procedens ad habendam cognitionem via receptionis, procedit modo materiali. Immateriali verò provt via attractionis obiecti ad se, sine receptione entitativa obiecti in se. Hanc diversitatem vtriusque vię, nempè receptivæ cognitionis vt repræsentativæ ex vna parte, & ex alia tractivæ obiecti ad cognoscẽtem, valdè memoria tenè, & explica has duas vias declarativo exemplo in productione magnetis vt termini, & in attractione ferri ad magnetem. Non strictè sic, sed quasi sic evenit in cognitione; nam ipsa vt est terminus productionis simul est attractio obiecti, id est lapidis ad intellectum, vt denominet lapideum, sitque forma eius vt lapidei.

550 Ex duplici ergo via, vna productionis cognitionis, & altera tractionis obiecti ad cognoscẽtem: Illa 1. est entitativa & physica ex genere suo, & nõ importat differentiam à non cognoscente: ista secunda est grammaticalis, & intentionalis; & quia in sola ista attrahitur [illegible] sine receptione, in sola ista verifica-

tur

tur elevatio supra conditiones materiæ, & formale exercitium, sivè modus immaterialitatis proprius cognoscentium.

551 Quæres 4. Ex qua immaterialitate, probet Divus Thomas cognoscivitatem? Magist. Ioannes à Sancto Thoma supra textum Div. Thom. ait, ex susceptiva specierum modo elevato supra cōditiones materiæ, sive modo intentionali. Sed contra, quia cum immaterialitas susceptiva specierum modo intentionali sit ipsa cognoscivitas, esset probare idem per idem. Id ipsum impugnat Illustrissimus Godoy, *disp. 22 de Scientia Dei, à nu.155.* multis alijs argumentis.

552 Ideò ipse docet D.Thom. probare ex immaterialitate entitativa. Sed potest contra hoc opponi. 1. quia in brutis videtur non posse ex immaterialitate entitativa probari, cum non detur. 2. Quia sicut certum est species colorum recipi in oculo, etiam est certum recipi in aere; solùm stat diversitas in susceptione modo intentionali proprio cognoscentium. Si ergo potentia visiva, tàm est entitativè materialis, quàm sit aer. Vndè provenit quod illa, & non iste sit susceptiva earum modo intentionali? Ergo non probatur ex immaterialitate entitativè sumpta, sed ex alia.

553 Noster Cornejo *de Sciētia Dei, disp.1. dub.2. à n.11.* dixit: Quòd nō probat ex immaterialitate stricta scilicèt spiritualitate, sed ex alia latiori, nempè ex immaterialitate præcissa ab entitativa & exercitiva. Vndè argumentum D.Thom. formatur sic: Ratio cognoscendi provenit ab immaterialitate, id est à perfectione positiva exclusiva materiæ, sive exclusiva coarctationis materiæ, conditionumque eius in operando: atqui Deus omni modo est summè immaterialis: ergo est summè cognoscitivus. Maior probatur: Tùm ex amplitudine rei spiritualis in se, & ex elevatione excludente, & prætervolante in operando conditiones coarctativas materiæ proprias, propter quod accipit formas aliarum rerum. Tùm ex experientia iuxta quam ele-

vatior cognitio procedit ex elevatiori supra conditiones materiæ operatione, vt patet in sensibus. Hæc sententia videtur probabilior.

554 Sed fortè, secunda erit magis solida, si explicentur duo. 1. Quid habeat plus de amplitudine pro hoc intēto res spiritualis in esse entitativo, quam materialis; cum vtraque conveniat in esse entitativè solum vbi est, & non vbi non est. (de quo infra Artic. 2. §. 1. in fine) 2. Illa ratio propter quam bruta, sunt susceptiva specierum modo intentionali & non aer, quid habeat de non materia, & de non grossitie materiæ, sive de immaterialitate præ Aere? Aer enim cum sit subtilior alijs entibus materialibus, & diaphanus, videtur quod sit habens minus de materiæ grossitie, ac per consequens sit immaterialior brutis pro entitate. Cur ergo non & pro exercitio cognoscendi?

555 Dicam quod mihi se offert in re satis obscura. Res spiritualis ex proprio esse essentiali entitativo est multo maioris amplitudinis & diffusionis quam sit ex se res materialis. Nam licèt vtraque conveniat entitativè in hoc quod est solum esse vbi est, & non vbi non est; habet tamen res spiritualis vt sibi proprium, quod essendo tota vbi est, se extendat & sit, vbi non erat, perseverante toto suo esse vbi antea erat. Est enim per replicationem, vel alio pacto; tota in toto, & tota in qualibet parte. Et per hoc patet ad primum. Ad secūdum respondetur, quòd duplex est positivus recessus à materia in seipsa. Vnus totalis, & exclusivus materiæ. Alius solum partialis, & diminutivus materiæ, qui licèt non excludat pœnitùs materiam, diminuit tamen eam entitativè, & sicut rarum differt à denso in eo, quod illud importet sub magnis dimensionibus parum materiæ. Sic materiale cognoscitivum ex exigentia, quam forma habet de organis, & de maiori, vel minori primore artificioso eorum, postulat minorationem entitativam materiæ, ita vt sub æqualibus dimensionibus exigat ratione organorum minùs materiæ, quam

aer,

aer,& quam alia purè materialia, quæ organa non petunt. Summitur ergo cognoscitivitas ab immaterialitate entitativa, vel excludente, vel minorante materiam.

556 Sed quid prodest immaterialitas entitativa? Resp. prodesse. 1. pro amplitudine sæpè dicta. 2. Prodesse, experientia teste, pro capacitate ad habendas formas aliarum rerum, in quo stat linea cognoscitiva, de quo infra. Cum enim à materia,& grossitie oriatur coarctatio, vt sæpè docet Divus Thom. ex Aristotele & experientia, à remotione eius vt impeditivę, sivè ab immaterialitate ei opposita provenire debet amplitudo maior cognoscentium propria.

557 Obijcies. A receptione cognitionis entitativa impeditur maior cognoscitivitas, vt patet in Angelo minus cognoscitivo, quam Deus. Atqui illa receptio Angelica suę cognitionis cum sit spiritualis, non est entitativè materialis: ergo impedimentum cognoscitivitatis, non summitur à sola materia entitativa. Resp. quod aliud est loqui de cognoscitivitate præcisè. Aliud de maiori, vel minori. Illud stat essentialitèr, in perfectione formæ exclusiva vel minorativa materiæ entitativę: minoritas autem, non debet semper sūmi à materia entitativa, sed potest à sapore materię. Sapor materię propriùs est duplex. Vnus stat in receptione entitativa formæ; alius in dispositionibus materialibus coarctativis; & impedientibus habere immaterialiter formas aliarum rerum. Ille destruit cognoscitivitatem; ille verò licèt diminuat, non destruit, quia non tollit Angelo recipienti cognitionem, vt alia via habeat sine receptione formas alienas. A materia ergo, eiusque saporibus provenit, tàm expulsio, quàm diminutio cognoscitivitatis; quæ ab immaterialitate entitativa provenire debet.

558 Tandem quæres. Quænam immaterialitas sit cognoscitivitatis immediata ratio? Resp. quòd sola sub-

substantialis entitativa; & patet, quia sola ipsa exigit esse cognoscens elicitivè & formalitèr: Accidentia sufficit si inducāt saltim arguitivè cognoscitivitatē ex connexione cum illa antecedentèr, vel consecutivè, id est, vel à priori, vel à posteriori. A priori, vt intellectus, qui est principium *quo* cognitionis ex parte potentiæ. Species impressæ sunt principium *quo* ex parte obiecti. A posteriori autem, vt voluntas quæ connexè arguitivè probat præsuppositionem cognoscentis, cum sit inclinatio in obiectum provt aprehensum: idem dic de vnione hypostatica, & præsentia spiritualibus, probare quidē cognoscitivitatē in supposito mediatè, vel remotè. Solū ergo substātia immaterialis est cognoscitiva formaliter, licèt accidēs immateriale, vel habitus, & &c. sit reductivè cognoscitivus, sivè de linea: nō quidē cognoscitivus vt cognoscat ipse, sed vel vt adiuvet, vel vt inferat cognoscēs in supposito. Licèt ergo nō omne ens spirituale sit cognoscitivū formaliter, & vt *quod* est cognoscitivū reductivè, vel vt quo adiutivè vel saltim illativè probat cognoscens. Ex his sequitur immaterialitatē perfectam solum esse entitativam, & sic cognoscitivitas perfecta solū datur in cognoscente spirituali: imperfecta enim est propria brutorum.

§. III. ARGVMENTA.

559 OBijcies 1. Quod non repugnat substantia spiritualis non cognoscitiva: ergo. Nego antecedens, quia haberet amplitudinem recipiendi formas alienas; & non haberet. Alij respondent, quia esset vivens, (nam cum spiritualitas sit perfectio simplicèr simplex, debet contrahi per differentiam perfectiorem nempè vivens) & non esset, cum non esset intellectiva, & ei alia differentia vitæ repugnaret, v.g. affectivæ, vel nutritivę. Sed hęc secunda solutio, quam late fundat Illustrissimus Godoy, non placet, quia sicut substantia, licèt sit perfectio simplicitèr simplex

con-

contrahitur per corpus, etiam posset spiritualitas contrahi per non vivens.

560 Obijcies 2. Non repugnat Cœlum Empyreum purè materiale carens omni operatione ex D. Thoma *in 2. dist. 2. quæst. secunda, artic. 3.* Ergo nec substantia purè spiritualis. Nego antecedens, quia ex Aristotele vnumquodque est propter suam operationem. Et D. Thomas mutavit sententiam, 1. *part. quæst. 66. art. 3 ad 2. & quodlib. 6. artic. 11.* Licèt enim ibi asserat esse probabilem, sed non sequitur illam. Permisso antecedenti, nego consequentiam, quia materialitas propter suam coarctationem est capax, vt contineatur intra solum gradum essendi, secùs amplitudo rei spiritualis.

561 Obijcies 3. Anima post resurrectionem vnita corpori, æquè perfectè vel perfectiùs noscet, quam separata. Tum quia æquè perfectè videt Deum. Tum ex D. Thom. 1 *part. q. 89. artic. 1. in corpore;* aiẽte meliùs esse animæ noscere per conversionem ad phantasmata: ergo materia nõ officit. Distinguo antecedens, æquè perfectè noscit, ea quæ noscit per visionem Beatam, vel per species infusas, & independentes à corpore, concedo min. Per dependentes, nego. Divus Thomas autem per ly *meliùs* intelligit *connaturaliùs*, non *perfectiùs*. Imò separata perfectiùs noscit se ipsam & Angelos cum noscat per propriam speciem.

562 Nec item obest Divus Thomas 1. 2. *quæst 4. artic. 5. ad 4.* dicens: Animæ separationem à corpore retardare illam, ne tota intensione feratur in visionem divinæ essentiæ. Et id ipsum docuerat in 4. sententiarum. Respondeo, quòd non dicit retardari ab intensione visionis, sed ab intentione visionis, quia dividit intentionem in duo, volendo nempè visionem, sed simul desiderando, & conando ad reunionem: & hic teste Caietano retractavit sententiam, quam tenuerat quarto sententiarum.

563 Obijcies 4. Angelus superior non est immate-

terialior entitativè, quàm inferior: sed est magis cognoscitivus: ergo maior cognoscitivitas, non summitur à maiori immaterialitate. Resp. 1. hoc non est contra Assertum; quia fortè maioritas summi potest ex alijs, & substantia cognoscivitatis summi ab immaterialitate. Resp. 2. Quòd superior non est immaterialior, quàm inferior immaterialitate entitativa ex parte termini negati nempè materiæ, quia in hoc non datur magis, & minus; benè verò immaterialior perfectione, superativa cōditionum materiæ, nempè amplitudine diffusiori ad maiorem locum, & maiori exercitivè, importante magis & minus, quia ex propria perfectione habet minus de receptione, & compositione, cum superior possit per vnam speciem simplicem vniversaliorem, quod inferior per plures. Hoc pacto Deus est immaterialior Angelo, quia licèt non magis excludat materiam, excludit magis materiæ operationes proprias, earumque saporem, scilicèt receptionem, & compositionem entitativam.

564 Vndè fit, quòd non omnis immaterialitas per se ipsā cognoscitivitas, sit (licèt illā inferat in supposito) nisi addat aliquam perfectionem specialem. Voluntas enim est spiritualis, & tamen non est cognoscens, quia ex propria ratione habet ferri in obiectum per modum ponderis. Sola autem illa perfectio spiritualis est per se ipsam cognoscens, quæ supra spiritualitatem addit, quod sit per se assimilativa & tractiva obiecti ad se modo immateriali, & immuni à receptione.

565 Obijcies 5. Si coarctatio impedit intellectivitatem, non minus Angelus est coarctatus per suam singularitatem, ac quęlibet alia res coarctetur per materiam, à qua accipit individuationem: ergo non erit intellectivus. Nego consequentiam, quia individuatio, solùm est coarctatio rei in ratione singularis, & incommunicabilis alteri singulari. Impedimentum autem intellectivitatis non provenit ab hac coarctatio-

ne, sed ad alia proveniente etiam à materiæ conditionibus: illa scilicèt, quæ minuit amplitudinem, extensionem, & capacitatem habendi formas aliarum rerum.

566 Obijc.6. Ex P. Arriaga de scientia Dei, disp.15. quod aer, aqua, & Cœli sunt immaterialiores verme; atqui non sunt cognoscitivi: ergo istud non summitur ab illo. Maiorem probat, quia sunt minus crasi quam corpus Elephantis, &c. Neg. maiorem de immaterialitate minuente entitativum materiæ. Quia materia recipiens formam vermis, minus habet de materia propria propter artificium organorum, quam habeant aer, & Cœli de materia sua. Idem dic de Cœlo Empyreo, etiam si esset corpus simplex. Caret enim artificiosa dispositione organorum. Ad probationem respondetur, esse minus crasos subtilitate quasi penetrationis, non autem artificiosæ rarefactionis diminuentis materiam propriam talium formarum.

567 Obijc.7. ex eodē. Licèt quātitas impediat cognoscitivitatem, sed non ipsa sola, sed alia dari possunt impedientia: ergo poterit dari perfectio non quanta, & non materialis, sivè perfectio spiritualis impedita cognitione. Nego antecedens, si sermo sit de quantitate & consanguineis ipsius, quia sola hæc sunt ex se coarctativa, & impeditiva amplitudinis, & diffusionis, ac per consequens, & cognoscivitatis in supposito. Sola ergo materialitas est quæ impedit cognoscitivitatem, cum hac tamen differentia, quod quando est totalis quoad esse & conditiones coarctativas, excludit substantialiter eam ob incapacitatem habendi formas aliarum rerum, quando vero non est totalis, quoad esse, & conditiones, non excludit eam licet diminuat.

568 Obijcies tandem ex D. Thom. 2. contra gentes, cap.68. formæ mixtorum atque animæ plantarum sunt immateriales. (Solum enim formæ elementorum, apud ipsum totaliter adæquantur materiæ, suntque totaliter immersæ in illa quo ad esse, & quo ad om-

nem

nem operationem.) Atqui non sunt cognoscitivæ: ergo cognoscitivitas non summitur ab immaterialitate. Nota quod est duplex formæ immersio in materia. Vna totalis sivè quoad omnem operationem; alia partialis, id est, non quoad omnem. Sicut adstrictio passeris ad laqueum est duplex. Vna alligans eum totaliter. Alia non; quia licèt astringat pedes eius, relinquit alas solutas vt aliqualiter volitet, ad capiendas muscas. Totalis ergo est quando forma in nullam potest operationem prorumpere, nisi in illam ad quam (verba SS. D. Thom.) se extendunt qualitates, quæ sunt dispositiones materiæ, vt calidum, frigidum, humidum, & siccum, rarum, densum, grave, & leve, & his similia, sicut formæ elementorum.

569 Quia ergo formæ mixtorum inanimatorum aliqua ratione elevantur in operando supra conditiones materiæ (Adamas enim attrahit ferrum non virtute caloris aut illarum conditionum materiæ, sed virtute accepta à Cœlis valdè diversa à prædictis,) & animæ plantarum plus elevantur, quia habent virtutem etiam participatam non solum à corporibus Cœlestibus, sed à motoribus eorum, dum ipsæ se movent ab intrinseco, ideò talis modus operandi per virtutem excedentem dispositiones materiæ, dicitur immaterialis. Sed latè & efficienter, & non intentionaliter, & vt proprius cognoscentiũ, quia iste stat solum in volitare ad attrahendas ad se formas *aliarum rerum* sinè receptione; sivè vt clarius dicam; attrahendas vt faciat suas, quin vllo pacto desinant esse alienæ: At ille alius modus immaterialitatis per solam virtutẽ elevatiorẽ cum non excludat entitativam receptionem & motum inde est quod non infert adhuc imperfectè cognoscitivitatem. Efficienter ergo solum est immaterialitas.

570 Ex hucusque dictis infero. 1. Ab immaterialitate non solum summi intellectivitatem activam, sed etiam passivam intelligibilitatem. Eo enim obiectum est cognoscibilius, quo est magis abstractum à mate-

ria

ria sivè minus coarctatum. Vt ratio veri videatur N. Cornejo, *disput. 1. de scientia Dei, dub. 2. num. 22.*

571 Infero. 2. Div. Thomam, cognoscitivitatem non probare ab immaterialitate viventi, sed ab immaterialitate vt sic. 3. Non probare ab immaterialitate vt à signo, (eo scilicèt quod spiritualitas indicat maiorem perfectionem ac perconsequens, & cognoscitivitatem) sed ab ea vt ratione formali per se inducente cognitionem & valdè conducenti ad altiorem. Licèt fortè non strictè à priori de quo iterum, infra *art. 5.*

572 Propter hęc placet ratio D. Thom. quia cū vis cognoscitiva sit communis omni cognoscenti, assignari aliqua debet ratio communis eis, & solū eis; in quo ista vis tam similis fundetur, & radicetur, non conveniens alijs. Nulla autem est assignabilis congruentior. Tum quia hoc non debet reduci ad propriam perfectionē, non designando eam, sive ad naturas rerū cognitas à posteriori, vt sæpè facit P. Arriaga, sicut Medici confugientes ad qualitatem occultam, si enim Scopus noster est scire, Noscamus ergo res per causas, & non impugnemus congruas, sed defendamus.

ARTICVLVS II.

DVPLEX DISCRIMEN INTER COGNOSCENTIA, & non cognoscentia.

§. I. DISCRIMEN PRIMVM.

593 PRimum est quod cognoscentia non solum habent formas suas, sed formas aliarum rerum. Differunt ergo cognoscentia à non cognoscentibus, quia intellectus, v. g. præter habere entitativè, & per veram receptionem speciem impressam & cognitionem albedinis, vlterius habet formas aliarum rerum intra se, scilicèt ipsam verā albedinē vt formam suam; ipsam, quę physicè est in pariete vt forma parietis. Habet

bet inquam illam ipsam intra se: non per modum receptionis, sed per modum intentionalis attractionis, sivè modo immateriali altiori & excellentiori iam explicato, *num*. 547.

574 Quid autem sit habere modo immateriali? Resp. iam supra n. 549. habere sine receptione, & motu, habentibus saporem materiæ, & sapientibus conditiones materiæ. Sicut enim Christus verus & realis, qui in esse entitativo, & physico est in Cœlo, est in imagine sua lignea vere novo modo speciali repræsentativo, sed sine receptione physica veri Christi in ipsa imagine, sic (imò, & multo proprius vt constabit) forma albedinis, cum per physicam & grossam receptionem solum sit in pariete, per intelligibilem attractionem ipsissima sine receptione in eo, est intra intellectum meum. Sic Carolus II. Rex Hispaniæ ipsissimus, ipsissimus qui sub modo physico, & entitativo est Matriti, nunc sub modo repræsentativo est intra mentem meam præsens intelligibiliter, ipsissimus, ipsissimus. Et cum modo ipsum non videam oculis in se nec in aliqua imagine artificiali ipsius, tamen ipsum habeo intra mentem præsentem, ita vt clausis oculis eum quasi videam, sicut videbam quando mihi physicè erat præsens.

575 Dices primo: Intra intellectum meum solum dari cognitionem Regis, & nihil amplius de Rege. Sed contra, quia cognitio non est cognita & habeo aliquid cognitum intra me: cum hac tamen differentia quod cognitionē habeo in esse physico grosso, rem cognitam in esse repræsentativo vero, scilicèt intelligibiliter vero. Item cognitio in intellectu meo nullam habet figuram, sicut Rex habet intra me figuram suam præsentem: ergo aliquid aliud habeo in intellectu præter cognitionem.

576 Confirmatur: Quia cum dico: omnis homo existens in mundo est rationalis: ipsissimum rationale, quod sub modo naturali est in ipsis, ipsissimum

præ-

prædico in intellectu meo de quolibet ipsorum, (aliàs talis prædicatio universalis de inferioribus esset falsa, si non predicarem ipsissimum:) ergo rationale quod in ipsis est physicè sub modo naturali; habet intellectus meus intra se, verè verè sub modo repræsentativo, & intentionali: ergo cognoscentia habent formas aliarũ rerũ, ita vt cũ permaneãt istę in ipsis rebus sub modo physico, ipsissimæ specie & numero habeantur sub modo repræsentativo à cognoscentibus. Non enim alius est lapis, de quo confregisse caput suum, Goliath noscebat & dolebat, quique erat repræsentabilitèr in memoria ipsius, ab eo qui antea erat physicè in torrente, & postea in agro.

577 Dices 2. Obiectum esse in intellectu; sed esse solum repræsentativè. Esse autem sic, non est verè esse, sed est impropriissimè esse. Contra: Modo Rex Carolus distat à te 50. leucas; & dum de illo tecum loqueris intra te, est tibi intra te præsens & verè præsens. Si hoc negas, rem per experientiam evidentissimam negas: ipsissimus ergo est præsens verè intra te: atqui non sub modo physico, sed sub modo repræsentabili: ergo sic esse, est verè esse. Non verè grose, sed verè intelligibilitèr. 2. De Fide est imaginem Christi esse adorandam: dum ergo in spiritu adoras illam, vel adoras ipsissimum Christum verum in illa imagine, ita vt adoratus in recto sit Christus. Vel solùm adoras imaginem vt repræsentativam Christi. Si illam vt distinctam à Christo? Illa adoratio, & cultus est falsus, vtpote datus non Christo, sed cuidam rei scilicèt ligno, coloribus & figuræ vt repræsentativis Christi vt termini & in obliquo; quo pacto non sunt Christus. Si ipse Christus adoratur in ea: ergo verè est ibi, sed repræsentabilitèr.

578 Video hoc multis esse captu difficilimum: Sed tota difficultas capiendi hanc sententiam, provenit ex eo quod non agnoscant, nisi solam identitatem, & præsentiam physicam grosam & sensibilem, cui soli

assuefacti sunt per sensus, & per eam volunt omnes identitates & præsentias metiri. Sed falluntur sanè: Aliæ enim præsentiæ verissimæ dantur, & sunt innegabiles vltra physicas & grosas. Quòd probo: Ego hodie de præsenti verissime sum professione Religiosus, & obligatus tali Statui, & habeo essentialia prædicata Religiosi hodie & de facto: ergo cum forma essentialis stet in votis, vota illa in professione emissa, hodie verè sunt, & verissimè existunt in me, alligando me; non verè physicè grosè, sed verè moralitèr perseverant. Idem de consensu coniugatorum, verè enim perseverat, & est in illis præsens matrimonium: non physicè grosè, quia physicè consensus ille iam non est: ergo datur verè esse, & vera præsentia eius, & vera est illa perseverantia rerum, vltra physicam, & grosam. Idem dixi de peccato originali, & habituali suo loco.

579 Si dicas formas essentiales Religiosi, & coniugati non stare in votis, & consensu, qui iam non sunt; sed stare in eorum præteritione, quæ modo physicè perseverat. Contra, quia non stat in præteritione, sed in ipsis verè nunc perseverantibus præsentia morali. Tùm quia præteritio etiam erit in nobis post mortem & resurrectionem; & tamen tunc nulla erit obligatio, nec perseverantia coniugij, aut status Religiosi, qui solum obligat vsque ad mortem. Tùm quia in primo instanti votorum & matrimonij datur eorum forma, & nulla datur præteritio. Tùm quia per eadem vota & consensum constituebatur status Religionis, & coniugij *Tunc*, & *Nunc*: ergo si modo perseverat vterque status, perseverat forma vtriusque: perseverantia & præsentia quidem vera, licèt morali. Sic ergo esse ipsum obiectum intra intellectum, non est physicè & grosè, sed intelligibilitèr, verè tamèn & in vero & strictò sensu alteriùs lineæ intra intellectum est. Sicut etiam apud vos ego ipse, & mea prædicata essentialia logica, quæ modo existunt sub modo phy-

fico

sico & grosso actualitatis, (& apud plures identificata cum illo) ipsissima ipsissima fuerunt ab æterno cum Deo verissimè, sub statu solius possibilitatis.

580 Hinc sequitur. 1. Quòd res in linea entitativa ita sunt coarctatæ in se, vt solum sint vbi sunt, & quando sunt, & non sint vbi non sunt, nec quando non sunt. At in linea intelligibili habent talem extensionem & amplitudinem essendi, vt etiam sint vbi non sunt & quando non sunt. Sic Antichristus hodie non est, & tamen est in intellectu nostro, quod est esse vbi non est, & quando non est. Sequitur. 2. Quod sicut cognoscentia habent talem amplitudinem, vt capiant intra se sua & aliena, sic cognoscibilia passivè sumpta habent talē amplitudinem & dilatationem in linea passivæ intelligibilitatis, vt non solum sint vbi sunt, sed etiam vbi non sunt, vt dictum est de Antichristo. Item de Christo intelligibiliter & repræsentativè existente in sua imagine.

§ II ARGVMENTA.

581 Obijcies 1. Etiam aqua recipit calorem; sed hic non est forma sua, sed ignis: ergo. Nego minorem, quia licèt non sit à se, est sua per veram receptionem, & non est forma ignis, quia calor ignis in ipso solo remanet, & non transivit ad aquam. At albedo ipsa ipsa numero, remanendo entitativè in pariete, est quę transit intelligibilitèr ad intellectum cognoscentem.

582 Obijcies 2. Intellectus eatenus habet ipsam albedinem, quatenus habet speciem impressam, vel cognitionem repræsentativam albedinis; sed hoc non est habere formam, quæ non sit sua (illæ enim imagines sunt suæ per physicam receptionem:) ergo. Concessa mai. nego minor. quia intellectus vltra speciem, & cognitionē reprę sentantes, habet albedinem ipsam repræsentatam, & hęc non est forma sua, sed parietis,

quæ manendo materialiter forma physica parietis, eadem numero transit, vt modo immateriali sit forma intellectus, absque receptione in illo.

583 Obijcies 3. Si habet intellectus albedinẽ ipsam eo quod habeat speciem impressam, etiam habendo speciem canis, habebit canem ipsissimum in intellectu: ergo poterit in intellectu latrare. Ridicula est conseq. & ridicule illata. Sicut si ego inferrem contra te, quod si dum dicis in mente: *omnis homo est animal*, omnes homines sunt in intellectu tuo ipsissimi, qui sunt à parte rei: ergo ibi loquentur, ibi ambulabunt, comedent, imò & ibi de eo, quod comedunt, fiet, quod Christus dixit Math. 15. de his quæ in ventrem vadunt. Resp. ergo negando cõseq. quia fit transitus de linea intelligibili ad entitativam, qui admittendus non est. Igitur in intellectu sunt solum sub modo intelligibili & repræsentativo, & per identitatem intelligibilem: illas autem operationes non exercent nisi sub modo physico, grosso, & naturali; non sub modo abstractionis, vel repræsentationis; sic Christus in imagine non ambulat proprijs pedibus (imò nec in Eucharistia licèt in ea physicè sit vivus & verus) quia exercitatio talium operationum non convenit Christo sub omni modo, sed solũ sub modo naturali, grosso & entitativè extenso.

§ III. DISCRIMEN SECVNDVM.

584 Secundum discrimen inter cognoscentia, & non cognoscentia est ex Aristotele, quod cognoscens sit quodammodo omnia, & ideo dixit, quod intellectus cognoscens lapidem fit lapideus. Hæc propositio duplicem habet sensum. 1. est fieri lapideum ab imagine lapidis inclussa in specie impressa, & in specie expressa, sivè verbo mentis entitativè receptis sub modo naturali in ipso intellectu. 2. est quod fit lapideus formaliter & denominativè ab ipso esse, sivè ab essentia lapidis, tanquam à forma intelligibili per se

ipsam,

ipsam, verè intelligibiliter informante, & denominante lapideum, intellectum cognoscentem in concreto cognoscentis. Ita vt ipsum esse lapidis, quod est terminus intellectus vt repræsentãtis, sit forma ipsius vt lapidei. Sicut flos, qui est terminus arboris vt producentis, est forma arboris vt floridę; & anima, quæ est terminus corporis vt vniti, est forma eius vt vivi, sivè vt vivificati.

585 In intellectu ergo cognoscente lapidem, datur duplex denominatio, vna intellectus cognoscentis sivè repræsentantis lapidem, Altera intellectus lapidei sumpta ab ipso esse lapidis repræsentato. Respectu primæ ipsissimum esse lapidis solum est terminus repræsentationis. Respectu secundæ, est vera forma præbens intellectui cognoscenti & repræsentanti, veram intelligibiliter denominationem lapidei. Idem patet in Verbo divino, quod respectu Humanitatis vt vnitæ ei, est purus terminus; respectu autem eius vt infinitè valoratæ & dignificatę in se & suis operationibus, est forma moralis, valorans atque infinitans ea. Sicut autem à Verbo vt forma morali actiones Christi aliàs entitativè finitę, denominantur verissimè infinitè valoratæ & infinitatæ in alia linea, nempè morali; sic intellectus repræsentans lapidem denominatur verissime lapideus ab ipso esse lapidis tanquam à forma denominante in alia linea, verissime nempè intelligibilitèr.

586 Si quæras quomodo fit istud? Respondeo fieri per identitatem rei repræsentatæ cum intellectu vt repræsentante, sivè potius cum repræsentatione & imagine (non autem cum entitate intellectus, secundum se sumpti, sicut nec Christus identificatur cum entitate ligni secundum se, sed cum eo vt figurato, sive vt imagine.) Cũ enim idẽ idẽ sit repræsentatio, & repræsentatũ (intelligibilitèr,) eo ipso quod intellectus vt cognoscens est repræsentatio, eo ipso vt cognoscẽs est etiã ipsa res repręsentata. Sed in hoc intervenit duplex li-

nea, nempè physica in receptione imaginis, & intelligibilis in attractione repræsentati ad ipsum; tamen sine receptione.

587 Obijcies 1. Nihil ampliùs dari in intellectu, quam imaginem lapidis vt termini: dicere autem lapidis vt formæ, esse nudas voces. Nego totum, quia valdè diversa sunt sumi lapidem vt terminum imaginis in obliquo, vel vt formam in recto. Ego enim ante altare loquor cum Christo in illa imagine, laudo, adoro ipsum Christum in recto, & absque reflexione ad imaginem vt repræsentantem Christum in obliquo. Quam sub expressione imaginis & relatione ad Christum vt rem distinctam, nec vetula, nec homines simplices, imò nec Theologi orantes, primo illo aspectu & simplici intuitu concipiunt, sed quod videns plagatum & crucifixum concipiunt Christum: ergo in aliquo verò sensu est Christus.

588 Obijcies 2. Imago repræsentans est ipsa res repræsentata, & propterea intellectus fit res repræsentata, habetque formas aliarum rerum? Atqui totum hoc habet aer in specie impressa albedinis: ergo aer erit intelligibilitèr albus, eritque cognoscens. Respondeo, quod sicut imago Christi in altari est Christus intelligibilitèr, (intelligibilitèr passivè) ita & species impressa albedinis in aere est intelligibilitèr albedo ipsa passivè. Nego tamen, quod licèt species impressa sit repræsentativè albedo, aer sit adiectivè repræsentativè albus. Ratio est, quia sola potentia cognoscitiva est capax vt fiat in actu sive in facto esse alia res, sivè res ipsa repræsentata. Hoc enim non fit per solam speciē impressā, quæ est imago in actu primo, sed per expressam, vel cognitionem in subiecto capaci, quę est imago in actu secundo, quod repugnat aeri; sicut & lapidi intelligere, licèt divinitus produceret, & reciperet cognitionem: Aer ergo solum est vehiculū specierum pro potentijs cognoscitivis, pro se autem nihil. Nam ad hoc requirebatur capacitas, & amplitudo specialis in

subiecto vt posset in actu fieri alia. Sicut in speculo species impressa Petri est Petrus, sed quia illa imago non est pro se sed pro nobis, speculum non fit Petrus.

589 Sed replicas vrgentissime: licèt aer non fiat albus intelligibiliter activè, verè tamen fit albus repręsentativè passivè, ab imagine albedinis, & ab albedine repræsentata. Prob. exemplo, de imagine Christi lignea, quæ fit repręsentativè ipsissimus Christus verus & vivus. Atqui hæc non sunt cognoscentia: ergo habere formas aliarum rerum repræsentativè, etiam convenit non cognoscentibus. Aliqui vt Nost. Cornejo responderunt, quod aer solum habet speciem impressam albedinis in ratione qualitatis, non in ratione repræsentationis. Vndè nec fiet albus repræsentativè, adhuc passivè. Alius dicet, quod accipit speciem albedinis vt termini, non vt formæ. Sed his responsionibus videtur obstare, quod imago lignea Christi non deberet habere Christum, nisi solam figuram, & colores in ratione talium: non autem in ratione repræsentationis sive imaginis; nec Christi vt formæ. Hoc autem est contra sæpè dicta.

590 Respondebit alius 1. Quod aer fit albus, & imago lignea Christus repræsentativè passivè, id est, non pro se, sed pro nobis, sicut imago in speculo, quia non sibi, sed nobis repræsentat. Non solum autem est proprium cognoscentium, sed etiam eorum, quæ sunt de linea cognoscentium, posse habere formas aliarum rerum: cum hac differentia, quod habere activè, & per operationem ab intrinseco attractivam formę alienæ sit proprium cognoscentium. Habere autem passivè, & non repręsentativè pro se, sed pro nobis, sit proprium cognoscibilium, atque intelligibilium prout pertinentium ad talem lineam.

591 Vel dici 2. iuxta alias solutiones, à parte rei aerem solum recipere species, & lignum colorem & figuram in ratione qualitatum, & non ampliùs: vel ad

summum in ratione imaginis repræsentativæ obiecti per modum termini, & non per modum formæ. Quod verò Christus verè repræsentabilitèr sit in imagine per modum formæ, est opus intellectus, vel potentię interioris, quæ (facta comparatione inter imaginem & rem repræsentatam,) postea concipit istam vt ibi, per speciem, ex comparatione Christi cum imagine resultantem quam speciem cum postea intellectus habitualitèr habeat, vnico intuitu & simplici ibi ipsum Christum verum agnoscit. Quo pacto in imagine cognoscibili erit ipse Christus intelligibilitèr fundamētalitèr. Per speciem autem expressam cognoscentis erit ipsissimus Christus positus ibi, intelligibilitèr formalitèr, quia verissimum est ipsissimum Christum, qui est in Cœlo, esse repræsentabilitèr, adorarique in tali imagine à nobis, ipsum ipsum.

592 Objicies tandem: Ergo Deus non erit formaliter cognoscens. Tum quia non habet formas, & imagines aliarum rerum, nec fit quodammodo omnia, cum non fiat ipsum peccatum, nam non fit moralitas, aut macula peccati, quia macularetur. Respondetur negando consequentiam. Ad prob. respondetur, quod in ipsa essentia divina habet eminenter omnium imagines & formas, & in ipsa cognita fit omnia eminentialitèr, non autem formalitèr. Nec ideò fit peccatum, quia solum fit id quod est obiectum primarium suum, quale non est peccatum. Et licèt peccatum esset obiectum primarium, non sequitur, quod intellectus cognoscens illud, v.g. intellectus Divi Petri maculetur, quia solum maculat subiectum, sumptum sub modo entitativo, & exercito: non autem sub modo repręsentativo, quia sic habet se, sicut Coluber aureus in ornatu mulïebri, nullum prove in tali figura evomens venenum.

ARTI-

ARTICVLVS III.

AN DENTVR IN INTELLIGERE DIVINO INtellectus per modum potentiæ, intellectio, species impressa, habitus, &c.

593 HÆc omnia reperiuntur in intelligere humano. Difficultas est an in divino. Sermo autem est de eo sumpto à parte rei. Si autem coniungenda sint in intelligente divino, aufferri debent omnino ab eis imperfectiones quę sunt in intelligente creato. Sicut enim vt practicum tantum & speculativum tantum non coniunguntur in actu simul practico & speculativo, nisi ablato ab illis ly *tantum*, per quę se excludant. Et sicut non fit coniugium inter Patrem & filiam. Fieret autem, ablata generatione, quia tunc manerēt purè vir & femina; sic nec coniungentur per purissimam identitatem in intelligente divino intellectus & intellectio, nisi ablato ab eis productivo, & producibili.

§ I. DE POTENTIA INTELLEctiva an detur.

594 NOta 1. (Quod alij nō notant.) Non est idē potentia intellectiva, & potētia per modū actus. 1. Nā illa est intellectiva obiecti. Hæc verò productiva, & radix intellectionis. Nota 2. Quod prædicatū actus 1. vt bene docuit Pater Herize, debet esse speciale & proprium potentiæ prout contradistinctæ ab actuali intellectione. Vndè prædicatum imbibitum in ista, potius est de linea actus, quam de linea principij.

595 Nota 3. Nos non loqui modo de distinctione inter ipsas qualis sit; sed solùm de conceptu essentiali ipsarum, an reperiatur in Deo, sivè cum aliqua distinctione, sivè sine illa? De 1. Art. 4. agemus.

596 Nota 4. Intelligere divinum vt imbibat conceptum

ceptum potentiæ, intellectionis, & conceptum speciei, debere quidem referre & habere in se, quidquid intelligere humanum importat de conceptu potentię intellectivæ in communi sub ratione potentiæ intellectivæ. Ablata enim aliqua eius formalitate essentiali, deficeret potentia intellectiva (idem de specie impressa) sicut homo deficeret ablato rationali, vel animali. Non autem debet referre in se imperfectiones illas quas ex propria limitatione intelligere humanum importat, cum sint differentiales. Sicut vt Petrus sit animal, sufficit si sentiat: Nec necesse est, vt rugiat.

597 Explico rem exemplo declarativo. Accidit in Vniversitate Cõplutensi in Hispania satis celebri, quod erat ibi Doctissimus Magist. Benavides Carmelita primarius Sacræ scripturæ Cathedrarius (hic est qui Typis mandavit eruditum librum vocatum *lectura Sacra scriptura*, quem apud me habeo.) In Vniversitatis liceo defendebantur Theses. Arguebat ipse. Sed cum esset vir senex, & ęger valetudine, ad quamlibet propositionem tussiebat. Respondebat Licenciatus satis expertus. Sed cum Benavides esset formalissimus, dum repetebat Respondens, dicebat ipse, *non dico hoc*, & tussiebat, *non dico hoc* & iterum tussiebat. Tunc Respondens, sufferentiæ deficiens ait. Nescio quod in repetendo aliquid omiserim, *nisi velis, quod repetam tusim*. Igitur referebat Respondens, vt optimus responsor, omnes propositiones, atque omnia omnino quæ proferebat arguens, sola *tusi* sublata. Quærimus modo an intelligere divinum includat (claritatis gratia dicamus *repetat*) quidquid creatum includit de potentia, specie impressa, &c. sola sublata potentialitatis, & imperfectionum tusi: quæ intelligenti creato provenit ex propria ægritudine.

598 Pater Arriaga, *tom. 1 disp. 15 de scientia*: defendit in Deo actum. 1. intelligendi. Quem non ponit in vi intellectiva, vt P. Suarez; quia eam vim censet convenire intellectioni (sed fallitur) sed in subiecto,

quod

quod intellectivo & *quo*, & in alijs prędicatis, quę meo videri, vel non sunt clarè de linea intelligendi, v.g. *substantia personabilis*, vel non exprimunt formalem potentiam, vt v.g. *substantia intellectiva*, & aliàs sunt communia intellectioni divinæ. Resp. Arriaga in creatis substãtiam intellectivam esse actum primum, non convenientem intellectioni creatæ, & id sufficere vt in divinis habeat rationem actus primi. Sed cõtra. Quia in creatis ideò est actus primus, quia productivus intellectionis & non imbibitus in illa. Atqui in divinis nil habet de productivo, & imbibitur in intellectione: ergo in Deo, nec vmbram habebit actus 1.

599 Assero ergo. Intelligere divinum pręter intellectionis actualis conceptum claudit strictè perfectionem potentiæ intellectivæ, & perceptivę. Prob. quia Deus strictè & formaliter & non eminenter solum, est intelligens. Ad intelligens autem non sufficit sola intellectio, vt patet si poneretur in lapide, sed pręter illam imbibit intellectum per modum potentię intellectivę obiecti: ergo. Confirmatur, quia intelligens imbibit, *quod* & *quo*, sivè potens intellectivum actuatum vltimo in ratione intelligentis. In intelligente autem creato intellectus non contribuit solum per producere, sed multo plus per vim suam perceptivam & intellectivam obiecti: ergo & Deus præter intellectionem actuativam, imbibit potentiam intellectivam obiecti, quam ipsa actuet.

600 Assero 2. Talis potentia non est per modum actus. 1. Quia potentia intellectiva, sivè perceptiva ex suo conceptu essentiali non est potentia ad intellectionem, vt probavi largè, *quæst.* 5. de Trinitate, *à num.* 334. sed est potentia perceptiva obiecti; & per se ipsam percipiens illud, quia per se ipsam est *quod* & *quo*, & est sua vltima actualitas. Salvatur autem conceptus essentialissimus potentię intellectivę in eo, quod sit cognoscens & percipiens obiectum *vt quod* absque potentia ad cognitionem. Nec enim idem est potentia ad

cog-

cognoscere, & potentia cognoscitiva, nam vt cognoscitiva est ad obiectum; potentia autem ad cognoscere est ad producendam & recipiendam cognitionem. Hęc autem valde diversa & inconnexa sunt, nam potentia ad producere, divinitus convenit lapidi sine alia; Si enim divinitus elevetur ad producere, & recipere cognitionem, non propterea erit perceptivus obiecti. Item illa, id est cognoscens, convenit Deo formaliter & datur in eo formale cognoscere, & non formale producere, & recipere. Conceptus ergo potentię perceptivę communis intelligenti divino & creato, salvatur omnino absque potentialitate ad cognitionē, & absque actu. 1. ad illam in solo *quod* cognoscitivo obiecti, vbi autem nil datur de virtuali productione aut potentialitate, non datur actus 1. nec secundus.

601 Ex quibus sequitur, quod licèt in intellectu creato detur duplex prędicatum formale speciale potentię; vnum potentię perceptivę: aliud potentię productivę cognitionis, essentia intellectus vt sic solum stat in potentia perceptiva, & tota ratio productivę est ex tusi, & imperfectione. Quia cum intellectus creatus non sit suum cognoscere, nec sua vltima actualitas (hoc enim reservatur soli actui purissimo) Natura dedit intellectui creato vim producendi cognitionem, vt hac via provideat sibi de vltima actualitate, quam non habet ex se. Igitur intellectus divinus per se ipsum est determinatissimus, actuatissimus & intelligens absque vlla vmbra vię ex parte sua inter intellectum & intellectionem. Ac per consequens potentialitas formalis ad cognitionem, sivè virtualiter distincta, vel indistincta ab illa, semper est releganda à Deo, quia ita est ex tusi, vt sit indenudabilis ab imperfectione.

602 Contra. 1. Obijcies. Intellectio per se ipsam est vis intellectiva obiecti, & est posse intelligere, siquidem intelligit: ergo superflua est alia formalitas potentię intellectivę, vt contradistinctæ à cognitione. Respond. neg. antecedens. Quia intellectio, si voceturin-

intellectiva à linea (id est, quia est de linea intelligibili) verum est. Falsum autem si dicatur intellectiva ab Intellectivitate. Hoc enim est proprium solius potentię intellectivę vt *quod*, provt contradistinctæ ab actuali intellectione. Nec verum est, quod ipsa intellectio vt talis intelligat, nam eius munus est reddere intelligens principium ex se intellectivum, per modum vltimę actualitatis. Nec ex hoc infertur imbibi in ea potentia perceptivã, de qua loquimur hic. Solum enim infertur posse logicum, & per modum non repugnantię.

602 Dices 2. Inter cognoscitivum, & cognitionem debere dari aliquam rationem distinctionis: atqui ista nequit fundari nisi in ratione radicis, actus primi, & potentis ad cognitionem: ergo. Nego maiorem in divinis; nam licèt detur in creatis distinctio in his, provenit ex limitatione & tusi; secus in divinis, ob rationẽ actus purissimi. Licèt autem perceptivo vt tali non repugnet ex se, quod non sit percipiens, vel è contra, secus perceptivo contracto ad divinum. Et sic licèt de perceptivo creato divinum referat perceptivum, & etiam perceptionem (vt *quod*, & *quo*) sed non refert formalitatẽ illam potẽtialitatis ad perceptionem, quia talis formalitas est tusis & limitatio.

603 Item licèt percipere sit vitale percipienti divino, sed non per modum operantis ab intrinseco, sed per modum intentionaliter tendentis ab intrinseco, & ita strictè ab intrinseco, vt id prę̄stet per purissimam identitatem. Nec obest 3. quod omne vivere sit se movere ab intrinseco ex Aristot. Nego enim de omni. Sicut Aristoteles dum definivit terminum, *extremum propositionis*, non definivit omnem terminum, sed solum propositionis, præbendo in eo protyporum, vt ad instar istius definiantur termini aliarum orationum logicarum. Sic solum definivit hic vitam physicam, & creatam, vt ad instar huius definiatur intentionalis, per *tendere intentionaliter abintrinseco.*

604 Vndè licèt intellectio concipiatur à nobis vt ope-

operatio, est conceptio indeterminata, nam à parte rei, ipsa solum est vltima actualitas cognoscendi sive cognoscentis per se ipsum determinati. Quod si Angelus, & homo constituuntur per intelligere radicale; ideò est, quia nec sunt per se vltima actualitas, cum non sint actus purissimi, nec per se constitui tota lineæ perfectione. Tandem cum D. Thomas negat Deo potentiam intellectivam, loquitur solum de potentia ad intellectionem, non ad obiectum. Ex his sequitur, quod intelligere divinum non constituitur per solam actualitatem per se subsistentem, sed simul per potentiam intellectivam iam explicatam.

605 Vndè potentia perceptiva divina à perceptione solum differt tanquam eadem omnino perfectio & formalitas, magis vel minus expressata per vnum, vel alium conceptum. An autem importent aliquam distinctionem per analogiam ad creaturas, infra dicam Artic. 4. & supra quæst. 5. & in Tractat. de Trinitate, quæst. 5. & de Voluntate, quæst. 3.

606 Ex dictis infero contra P. Arriaga, quod intellectio ex conceptu intellectionis non intelligit, nec est intellectiva, sed solum est vltima actualitas vt potentia intellectiva intelligat. Vndè illa potentia sic actuata non est subiectum intellectionis, (nisi sumulisticè, nō physicè virtualitèr.) Vndè vis intellectiva non est vis respectiva ad intelligere, sed ad obiectum.

§. II. DE SPECIE IMPRESSA, ET HABITV.

607 MAior est difficultas de specie impressa, & hęc crescit ex phrasi Thomistarum satis recepta: qui ex vna parte dicunt, quod eius esse est fœcundare, concurrere, influere, movere potentiam, & determinare illam, atque specificare intellectionem. Cum tamen ex alia parte negent plures ex illis in Deo intellectum per modum potentiæ in actu primo. Pro resolutione nota 1. Intellectum divinum per se ipsum
esse

esse summè determinatum, & actuatum ex parte potentię. Species autem impressa, si detur, solum dari pro determinatione ex parte obiecti, licèt verè detur vt compleat intellectum intelligentem.

608 Nota 2. Speciei impressę tribui frequenter ab Authoribus plurima munera, quæ de eius essentia non sunt. Si autem quę sunt de essentia speciei impressæ vt sic separentur, & hęc reperiantur in Deo, strictè & verè dabitur in ipso formalissimè species impressa rigorosa. Dixi *formalissimè*, nam in hac quęstione, non est sermo de habere potentiam, intellectionem, & speciem impressam eminenter, (nam de hoc non est dubium) sed de habere formaliter.

609 Assero 3. Quod convenit essentię divinę respectu divini intellectus vt intelligentis stricta & rigorosa ratio speciei impressę. Ita D. Tho. Arriaga & alii. Prob. quia proprissimum esse & specialissimum munus speciei impressæ est quod sit ratio & quasi forma per quam obiectum sit præsens potentiæ, intimè coaptatum, proportionatum, sivè vnitum, vt potentia sit complete potēs percipere illud, complemento se tenēte ex parte obiecti: atqui totum hoc convenit divinæ essentiæ per se ipsam, vt per se patet: ergo convenit ei formaliter stricta ratio speciei impressæ. Maior patet. Quia species impressa idem est ac specificans imprimibile intimè, sivè impressum potentiæ, vel intimitate vnionis, vel potius intimitate identitatis, ita vt quanto strictior & formalior sit identitas, tanto erit species magis impressa illi. Vocatur autem species, quia venit specificare cognitionem pro ipso obiecto. Nil autem magis imprimitur intellectui divino intelligenti, nec magis vnitur vt specificet illum, quam ipsa essentia divina: ergo ipsa per se ipsam strictissimè erit species impressa.

610 Obijcies 1. Species impressa specificat vt vicaria obiecti, quod non competit essentiæ: ergo. Respondeo vicariatum esse de tusi. Obijcies 2. Saltim

ha-

habet ex se influere & concurrere & fœcundare strictè potentiam in genere causæ efficientis ad fœtum sivè cognitionem. Patet in nobis. Item in Angelo quando noscit se per suam substantiam vt speciem impressam. Item in essentia divina vt est species impressa ad visionem beatorum. Vndè hi influxus non proveniunt ex limitatione aut tusi, cum conveniant essentiæ divinæ: ergo. Resp. Nego antec. quia talis conceptus fœcundandi efficienter licèt ex parte sua non importet tusim, importat ex parte cognitionis productæ, & non est communis omni speciei impressæ. Stat enim huius essentia in eo quod per illam obiectum intimè sit in potentia, illamque compleat atque specificet: In hoc enim sufficienter salvatur diversitas munerum inter potentiam ex parte potentiæ, & obiectum ex parte obiecti.

611 Obijcies 3. Species impressa non vtcumque specificat pro obiecto sed movendo, cum sit obiectum motivum, fœcundando, & causando. Atqui motio, fœcundatio, & causatio non possunt verificari per purissimam identitatem, sed in suo conceptu important influxum. Etenim specificare est præbere speciem rei specificatæ: ergo cum omnis influxus respectu intellectionis divinæ repugnet divinæ essentiæ, etiam conceptus strictus speciei impressæ. Resp. duplicem dari motionem, influxum & causationem. Vnus est strictus & in genere causæ efficientis. Alius latus & in genere causæ formalis, quæ cum potius causet per constitutionem, quam per productionem, causa stricta non est. Non enim movet motione influxiva & productiva, sed motione de *quare* & quasi aliciente. 1. influxum præstant species ipsę, substantialis sivè accidentalis in cognitionem productam. 2. autem præstat obiectum illud, quod specificat tanquam ratio attingendi, & tanquam movens alective, quin moveat influxive, sicut contingit respectu volitionis in motivo voluntatis. Hic. 2. concursus & specificatio est conceptus essentialis speciei im-

impressæ, & benè compatitur cum identitate adhuc virtuali, non primus. Habet ergo species impressa facere vt hoc. 2. modo obiectum moveat, & specificet potentiã,& in tali vi faciendi stat conceptus speciei impressæ,vt supra num.182.

612 Obijcies 4. Vel significatum per illa verba *motio, concursus, fæcundatio, &c.* in genere causæ formalis sumptum, reperitur vere à parte rei in Deo vel non? Si non? Habetur intentum. Si reperitur? Ergo & distinctio, compositio, & potentialitas, quia omnia hæc importat rigor illarum vocum. Nota valdè, quod totus conceptus formalis & strictus speciei impressæ communis omnibus salvatur in eo quod sit: *Ratio & vis faciens, vt obiectum sit præsens, & intimè vnitum, atque proportionatum potentiæ, vt specificet cognitionem, moveatque ad illam obiective, sivè motione intentionali & repræsentativa, & tanquam ratio primaria, sivè obiectum primarium.* Si illud salvatur in Deo, vere salvatur tota essentia speciei (sivè salvetur, sivè non, significatum regorosum illarum vocum.) Resp. ergo. Si sermo est de fæcundatione Patris pro Verbo, essentia proprie est vis fæcundativa intellectus, sivè memoriæ fæcundæ Patris. Sed quia sermo hic non est de illa, sed solum de intellectione absoluta, dicimus significatum tale vel concipi vltimate, vel inultimate, iuxta dicta hic à num. 134. Conceptum inultimate non salvatur in Deo, quia sic admiscentur ab intellectu quædam distinctiones, & relationes, quæ ibi non sunt. Salvatur tamen vltimate cõceptum, sumptum scilicet non pro concursu & fæcundatione ad fœtum (quia sic sonat active) sed pro sola motione intentionali obiecti primarij purè intentionaliter motivi, & pro complere formali potentiæ perceptivę, importante simul potentiam & obiectum (quæ obiecti importatio est inrefusabilis etiam in sententia negante speciem impressam) atque pro formali specificatione propria obiecti primarij.

613 Obijcies, 1. Species facit vt obiectum sit præsens ? Ergo habet quo facit influxum. Similiter si præbet specificationem sivè speciem potentiæ, hæc præbitio sonat actiones importantes potentialitatem & distinctionem. Resp. sonare id, si sumantur iuxta conceptum inultimatum; secùs, si iuxta vltimatum, iuxta quem per se ipsam facit & præbet sine influxu & sine via media. Sic homo constituitur essentialiter per animal rationale, nec tamen istud aliquo pacto distinguitur ab illo, licèt ly *constitui* videatur quod aliquã causalitatem importet. Nego ergo: quia constitutio solum inultimate concepta immiscet distinctiones, vt dixi supra num.189. Vltimate enim est idem idem. Et quoties causalitas causæ formalis est adæquata constitutio, importat idem idem.

ADVERTENTIÆ QVÆDAM. VBI DE HABITV.

614 Hic adverte quatuor. 1. Est quod Godoi & Gonet, hic, *disp.2.de natura Dei, art.5 §.2 n. Prob.3.*) docet quod de ratione speciei impressę sit concurrere efficiēter ad cognitionem. Hanc candē potestatē concursus effectivi in tali specie inculcat ipse, & supponit in argumentis, quibus probat suam sententiam de obiecto motivo divinæ intellectionis, *art.5.§.2.* Sed in primis, qua conseq. ignoro ego, cum ipse neget in Deo inter intellectum & intellectionem distinctionem virtualem: ergo & melius effectionem virtualem. Insuper vbi datur æquivalentia distinctorum sivè oppositorum, in eo in quo opposita sunt, necesse est detur distinctio virtualis; atqui species vt efficienter productiva & intellectio vt producibilis æquivalent oppositis, prout opposita sunt, vt patet in divinis vbi productio facit oppositionem: ergo. Vndè multo minus capio quo pacto, *art.5. §. 2.* respondendo ad 3. neget, quod obiectum motivum divinum (eo quod solum influat eminenter formaliter) influat, terminet, aut speci-

cificet formaliter aut virtualiter intellectionem divinam, sed solum æquivalenter. Contra enim: tum quia *æquivalenter*, idem est ac *virtualiter*. Distinctio enim virtualis illa est, quæ cum non sit distinctio, æquivalet distinctioni. Tum quia solum datur æquivalentia aut virtualitas productionis, aut distinctionis, quando licèt nec detur productio nec distinctio, datur aliquod proprissimum & specialissimum munus earum. Atqui nil tale datur in potentia intellectivâ & specie respectu intellectionis: ergo nec æquivalentia à te asserta datur.

615 Hæc igitur inconvenientia multo melius vitantur negando nobiscum, in intellectu potentiam ad cognitionem, & in specie impressa influxum effectivum; & concedendo solum formalem specificativum.

616 Nec propterea essentia desinet esse obiectum motivum, nam vt benè M. Godoi, *tom.1. in 1. part. disp. 25. num* 137. *& disp. 26. num.* 254. Vnus Angelus cognitus ab alio non influit in cognitionem illam efficienter, nec per se ipsum, nec per speciem à se productam; cum producatur à Deo, est tamen verè obiectum motivum, ex eo solum quod ratione sui repræsentatur per illam speciem, & hoc pacto specificat illam. Si autē hoc non sufficiat pro specie impressa, satius esset eam in Deo negare, quam concursum effectivum concedere.

617 2. Est, quod licèt supra n. 181. dixerimus potentiam, & speciem esse in Deo eminenter, sed non negavimus esse simul formaliter. 3. Est, quod species impressa à qua intelligere est omnino indistinctum entitative virtualiter, est species impressa imbibita in ipsa essentia; species impressa autem (si detur) imbibita in Attributis, erit sicut ista sunt, virtualiter entitative distincta ab intelligere: vt enim sunt obiectum divinæ intellectionis, sufficit si sint repræsentativè ipsissimum intelligere. Sed de hoc iterum, *art.6.*

618 4. Est, verisimilius esse intellectionem divinam non habere strictè rationem speciei expressæ;

Quia conceptus proprius illius videtur stare in productı, & exprimi efficienter ex impressa.

619 Assero 3. In Deo non datur verè, & strictè habitus. Hæc conclusio sequitur ex secunda. Et probatur, quia habitus in suo conceptu essentiali & specifico totus est pro potentia ad producendum actum. Quod Deo nullatenus convenit. 2. Quia duplex est habitus Vnus dat simpliciter posse, & alius facilè posse. Vterque repugnat Deo. Quia ille supponit ex se potentiam intellectivam, sed imbecilem, & non habentem posse. Iste vero ex suo conceptu habet facilitare potentiam quam supponit nō summè determinatā, sed potius difficilem ad executionem actus.

620 Si dicas 1. Intellectū per se ipsum habere posse, & promptitudinem, sivè facilè posse, & in hoc ipso stare essentiam vtriusque habitus Sed contra: quia hic sermo est de habitu prout contradistincto ex genere suo à potentia. Sic autem sumptus habitus constituitur specifice per dare ab extrinseco, potentiæ, posse vel facilitatē, quam vel non habebat, vel non erat nata habere per se ipsam. Totum autem hoc repugnat Deo.

621 Si dicas 2. Quod forma dans virtutem, sive dans facilitatem est perfectio simpliciter simplex, ergo convenit Deo Distinguo anteced. est perfectio, ipsa secundum se concedo. Ipsa prout dans per formam superadditam & supponentem ex parte potentiæ improportionem & difficultatem, nego antec. & conseq. quia solum vt sic est habitus.

ARTICVL.IV.& §.I.

DE DISTINCTIONE INTER TALES *perfectiones.*

622 QVæritur an detur aliqua distinctio inter potentiam intellectivam, intellectionem, speciem impressam, & essentiam Dei. Respondeo quod à parte

rei nulla, adhuc virtus liter. Tum quia Div. Tho. in 1. *part. quæst* 14 *art.* 2. ait. *Cum Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet quod in eo intellectus & intellectum, sint omnibus modis idem;* tum quia sunt de eadem omnino linea, & intra eam per se connexa, tum quia illa potentia cognoscitiva cum sit actus purissimus, est in sua linea summè immaterialis; ergo ex vi talis immaterialitatis habet, quod sit per se ipsam metaphysicè & formalissimè & virtualiter, etiam in esse rei, & non solum repræsentativè, ipsissimum suum obiectum. Licèt enim cognitio ex suis solum sit idem cum obiecto repræsentativè: at contracta ad infinitè perfectam, & summè immaterialitatis, ex vi huius est entitativè actus purissimus in tali linea ac per consequens entitativè idem, idem. Vide me de Trinit. *quæst* 7. *à num* 510. & ibi in appendice post indicem à nu. 802.

623 Nec obest 1. Quod intelligere divinum est participabile inadæquatè, nempè vt intellectio per visionem beatam: vt natura sivè essentia per gratiam habitualem. Cum autem visio & gratia sint entia superna, sunt participatio Dei, vt Dei; ac per consequens participant ea vt divina. ergo talis partibilitas in participari, probat aliquã distinctionẽ. Vide in tom de Trinit. à num. 518. & 598. Respondetur in intelligere divino posse considerari omnia illa inadæquatè, id est præcisè vt talia: & adæquatè, id est vt contracta ad infinita. 1. Modo sunt partibilia & vt sic participantur: vt infinita autem non participantur, nec sunt partibilia. Quando ergo dicimus quod in Deo potentia intellectiva, intellectio, species, & obiectum, sunt eadem formalitas, sine vllo sapore distinctionis virtualis ex parte sua, id intelligitur quando quodlibet ex his sumitur, non generice & inadæquatè, v.g. vt natura vt sic & vt cognitio vt sic, sed specifice adæquatè & determinatè, prout divina natura & simpliciter infinita: quia sub hac ratione, quodlibet importat meta-

physicè omnem omnino perfectionem suæ lineæ.

624 Gratia ergo, verum est, quod non est participatio divinæ intellectionis, & tamen est participatio divinæ naturæ vt radicis, &c. sed id provenit quia non est participatio divinæ naturæ integra, sed diminuta. Cum enim sit participatio creata & vas parvum nequit esse actus purissimus, sed potentialis respectu intellectionis. Ex hoc ergo capite oritur quod participet partibiliter, quia participat diminute. Vndè licèt verum mihi sit, quod eo modo quo aliquæ formalitates habent diversas definitiones de *esse*, differant in *esse*; falsum tamen est, quod prædictę formalitates, si summantur vt infinitæ, habeant diffinitiones diversas de *esse*, sed ad summum de explicari conceptu claro, vel confuso. Intellectus enim vt infinite perfectus per se ipsum est sua intellectio, & quanto perfectior est intellectio, eo est actus purior, ac per consequens & strictius est ipsum obiectum repræsentatum.

625 Objicies 2. Ex D. Thom. In Deo distinguuntur sapientia & bonitas virtualiter, quia in creatis distinguuntur realiter. Sed etiam distinguuntur intellectus & intellectio in creatis; ergo. Distinguo mai. quia in creatis realiter, præcisè; nego mai. Quia ex diversitate linearũ, & diversa ratione formali ex se distinguũtur, &c. concedo mai. & min. & nego conseq. Etenim in divinis admitti potest virtualis distinctio, vt inter essentiam & attributa, & in istis inter se: quia nec Deitas debet esse per se ipsam formalis volitio (cum ista ponat eam in alia linea, &c.) Debet autem per se ipsum intellectus esse intellectio ob identitatem lineæ, petentem totam propriæ lineæ perfectionem per se ipsum habere.

626 Objicies 3. In Deo pertinent ad eandem lineam Intellectus, sivè habitus principiorum, Scientia, Sapientia, Prudentia & Ars: atqui distinguuntur virtualiter: ergo & potentia intellectiva, & intellectio. Resp. Pater Gonet, *art.* 2. §. 2. eas pertinere generice

so.

solum ad eandem lineam: habent enim obiecta formalia diversa. Nam habitus principiorum respicit Essentiam secundum se, Scientia eam vt causam, Sapientia vt altissimam, Prudentia & Ars vt rationem agendorum, & sic possunt distingui virtualiter specifice: At intellectus & intellectio ad lineam specificè eandem pertinent, quia specificantur ab eodem obiecto formali, scilicet Essentia vt tali.

627 Respondeo ego aliter ex dictis in Tract. de Visione à *num* 632. quod sicut in omnipotentia, & est formale essẽtiale, & est materiale: & immateriali datur multiplicitas virtualis ob creaturas independentes, secùs in formali potentię ad quid quid non repugnat: sic non datur inter intellectum & intellectionem, nam sunt de essentiali formali noscendi Essentiam, licèt permittatur distinctio inter illas cognitiones, quæ ad essentiam lineæ & ad intelligere materialiter se habent.

§ II. ILLATIONES NOTABILES.

628 INfero 1. Diversum esse concipere nos in Deo substantiam vt *quod* intellectivam, intellectum proximè intellectivum, & intellectionem, vt sunt verè in Deo; & concipere eos per analogiam, sivè similitudinem ad creaturas. Primus conceptus cum sit vltimatus de illis prædicatis, nec ponit inter illos distinctionem virtualem, & multo minus ordinẽ procedendi: pascitur enim illis provt sunt à parte rei (dico provt sunt, quia ibi est verè quidquid concipit, licèt non concipiat omni modo quo est, cum sit præcisivus.) Vndè sicut formica pascitur grano tritici, ablata prius ab ipso extremitate, in qua stat virtus productiva alterius tritici; sic conceptus vltimatus pascitur & concipit in intellectu Dei potentiam intellectivam obiecti, ablata & præcisa ab illo Vi productiva cognitionis.

629 At secundus conceptus inultimatus & per analogiam ad creaturas, ex propria imperfectione ha-

bet, quod inmisceat Deo aliquas imperfectiones ex creaturis haustas, & Deo falso applicatas. Talis est conceptus omnis applicans Vi intellectivę vim productivam intellectionis, & intellectioni rationem operationi, ab intellectu procedentis: cum tamen à parte rei nil tale habeat adhuc virtualiter, sed solum constituatur per rationem vltimę actualitatis intelligendi. Propterea istos conceptus explicui, num.347. de Trinitate per comestionem & nutritionem: inultimatus enim comedit, & ad se trahit totum cibum; vltimatus vero instar nutritionis, separat in cibo partes puras & alimentativas, à grosis & excrementitijs; & exclusis istis, pascitur solis illis, id est veritate pura obiecti.

630 Infero 2. Contra aliquos, conceptum inultimatum posse procedere (dum inmiscet illas imperfectiones,) vel Assertivè, vel solum Enuntiativè (id est eas sine assertione vlla apprehendendo). Primo modo fingit, & facit strictè ens rationis. Secundo modo non fingit, quia non sistit ibi, sed innitendo illis, transit ad veritatem iuxta dicta supra numer.138. Quando ergo in his quæ sunt de essentiali linee intellectivę sivè de formali, concipiuntur aliquę distinctiones, intelligendum est concipi inultimate, & per analogiam ad creaturas, non autem verè, nec in obiecto prove est in se.

631 Infero 3. Contra Gonet & alios; quod si in Deo potentia intellectiva prescindatur ab intellectione, non ideò concipitur potentialis, quia ly *potentia* concipitur vt est ad obiectum, & vt perceptiva eius, non ad actum vt productiva. Tamen non concipitur cõceptu claro vt actuata, cũ tamẽ omni perfectioni divinę conceptę vt tali debeatur expresio vltimę actualitatis suę lineę, ob rationem actus purissimi. Vide supra num.231. Si dicas, quod tunc in Deo potentia intellectiva concipitur cum indifferentia. Distinguo: cum indifferentia ad intellectionem, nego: ad cognitionem expresiorem creatam concedo.

Infe-

632 Infero tandem non esse contra rationem actus purissimi (quem satis benè explicatum reperies supra num. 216.) distinctionem virtualem inter perfectiones diversę lineę, vt patet in intellectione & volitione, quia puritas actus stat in eo, quod essentia Dei v.g. sit tota actus, & ipsa in omni linea per purissimam identitatem est tota actus: nam non solum est per identitatem suum existere, & suum intelligere; sed etiam per identitatem exclusivam potentialitatis aut componibilitatis & omnis muneris, aut saporis specialis earum, est suum Velle & suum Posse.

633 Quod si dicas 1. Essentia est radix attributorum, & potentialis respectu eorum: ergo Deus non est vndequaque actus purissimus. Aliqui non renuunt admittere, vbi est linearum diversitas, potentialitatem. sed ego nullatenus admittã in Deo adhuc inter virtualiter distincta, sed solam radicem logicam: & si aliquando toleratur, est per rationem inultimatam. Aliud enim est distinctio & varietas virtualis (& hæc imperfectionem non importat, sicut nec realis in personis) aliud potentialitas, aut componibilitas virtualis, & hęc est imperfecta. Æque autem Deus est volens strictè per purissimam identitatem (in vi perfectionis accedentis ad aliam) ac homo sit volens per compositionem volitionis cum voluntate. Vide me quæst. 3. de voluntate Dei, & in fine art. 6.

634 Dices 2. Inter essentiam, & volitionem non datur tanta simplicitas ac inter intellectivum & intellectionem: ergo nec ęqualis puritas. Nego antec. quia licèt non detur ęqualis vnitas formalizalis propter varietatem & multiplicitatem, & distinctionem linearum, datur tamen ęqualis simplicitas, quia datur ęqualis exclusio compositionis, & saporis compositionis: quam sola simplicitas excludit. In fine nota, quod etiam est dabilis conceptus vltimatus præscissivus & inadæquatus quando scilicet attingit de re veram formalitatem existentem in ipso, sed sine alijs. Si aliquando (præci-

Puè in materia de Trinitate) insinuavimus vltimatum debere esse de tota & integra formalitate connexa lineæ; loquebamur de adæquato. Dixi *connexa*. Etenim quæ ad lineam se habeant materialiter, non officit conceptui vltimato essentiæ, quod non exprimantur.

ARTICVLVS V.

ITERVM DE ESSENTIA METAPHYSICA DEI.

635 EGimus de ea supra *quæst. 5. à nu. 171*. sed alia restant discutiẽda, & 1. An in immaterialitate consistat essentia sivè natura Dei? Ratio dubitandi est, quia si intellectivitas est demonstrabilis à priori, vt vult Div. Thom. ex immaterialitate; ista debet esse prior atque radix illius. Noster Cornejo fecit distinctionem in Deo inter essentiam & naturam: eo quod essentia pertineat ad esse, sitque ratio formalis & primaria essendi. Natura autem pertinet ad operari. Diffinitur enim natura *Principium motus & quietis, &c.* Et videtur quod vox *natura* sonet id à quo alia nascuntur. Dicamus Hispane. Essentia es *la nata del ser*. Natura vero *la nata del nacer*, id est prima radix nascentium. Vndè inquit Cornejo quod essentia Dei stat in immaterialitate entitativa. Natura vero in intelligere.

636 Sed hæc sententia merito displicet multis, & nos supra num. 175 oppositam docuimus. Tum quia in creatis essentia & natura, metaphysicè loquendo, sunt idem omnino. In homine enim, in quo animal rationale est essentia specialissima ipsius, id ipsum est natura, id est radix risibilitatis & aliarum proprietatum. Vndè diximus supra à num. 160. (pro eodem cum communi sententia vsurpantes essentiam & naturam) quod in Deo ratio essentiæ sumpta pro formalitate, est de formali in Deo. Ratio autem radicis (in qua per vos stat esse naturæ) est solum de virtuali.

Tum

637 Tum etiam quia essentia metaphysica cuiuslibet rei debet esse prædicatum primarium specialissimum talis rei (commune enim licèt possit esse de essentia, absolute non est essentia). Illud autem vt tale, est principium & causa alicuius specialis operationis, v.g. rationale discursus. Non ergo adhuc in creatis distinguuntur essentia vt talis, & natura vt talis, secundum quod natura importat de esse & de formali. Multo ergo minus in divinis.

638 Quare, tam essentia quam natura metaphysica Dei stat in actuali intelligere, vt diximus hic quæst. 5. Et etiam in tomo de Trinitate *quæst. 5. à num.* 334. Nec argumentum factum probat, quod immaterialitas entitativa, quatenùs ratio demonstrandi intellectivitatem sit metaphysica essentia, vel natura Dei.

639 Tùm quia licèt admittatur, quod sit ratio à priori probativa, non est perfectio specialis cum spiritualitas sit transcendens omnia Dei. Nec item est nobilior perfectio Dei, cum intelligere divinum completum ex substantia intellectiva, intellectu & intellectione sit quid nobilius. Tum quia fortè non est demonstratio à priori quoad se in Deo (sed solum quoad nos, sumpto fundamento à creatis vbi demonstratio est à priori ex immaterialitate,) & se habet sicut si ex rationali probaremus principium discursivum, quin vnum sit radix à priori alterius. Ratio enim actus purissimi non permittit radicem specialem à priori, respectu intelligentis.

640 Stat ergo essentia specifica metaphysica Dei, & similitèr natura Dei in intelligere divino *A se* per modum actus purissimi, imbibens & potentiam intellectivam (imò & substantiam intellectivam vt *quod potentiis*) & intellectionem, non permodum operationis, sed vltimę actualitatis; quin in ipso ex parte sua detur virtualis vlla distinctio inter essentiã metaphysicam Dei, & inter naturam Dei. Probatur, quia Deus

debet

debet essentialiter constitui metaphysicè per lineam plenam, inter omnes perfectissimam inter *esse* autem *vivere, & intelligere* constituentia lineas aliqualitèr diversas, omnium perfectior est intellectiva, quia supra alias addit nobiliorem perfectionem.

641 Quin contra antea dicta obstat Div. Thom. 1. *part quæst* 39. *art*. 2. ponens distinctionem inter essentiam & naturam. Respondeo enim fortè loqui de ipsis inadæquatè sumptis, sicut nos dum supra nu 167. diximus, quod aliud est loqui de formalitate illa, quæ est natura, & aliud de ipsa sub munere naturæ. Respondetur 2. quod loquitur de illis sumptis iuxta conceptum naturæ vel essentiæ, vt contractis ad divinas, sed inultimate & per analogiam ad creatas.

642 Nec obest. 2. quod perfectiùs cõstituitur Deus metaphysicè, si constituatur per plenitudinem lineę intentionalis, vt comprehendentis intellectivam & volitivam. Negatur tum quia vel sermo esset de tendentia intentionali prout præcissa ab intellectiva & volitiva, & sic non est essentia metaphysica, quia hæc est perfectio quædam specialis & specifica, non autem generica. Tum quia perfectio specialis, quæ sit essentia, debet esse præcipua, ita vt nulla detur magis præcipua & perfecta. Intelligere autem est quid principaliùs, & addens specialem perfectionem maiorem supra vitam intentionalem.

643 Vel sermo est de aggregato ex intellectione & volitione, & hoc non est vna perfectio, sed duplex, & vna est ratio saltim logicè à priori respectu alterius & perfectior. Vndè illa erit essentia metaphysica. Tùm quia, Filius Dei ex vi Processionis non acciperet totam essentiam metaphysicam Dei, cum volitionem non accipiat.

644 Nec obest. 3. Quod essentia Dei debet constitui per perfectum in omni genere aggregativè. Sic enim est quid speciale & solius Dei, & speciale intra Deum, quia non est quid commune & transcendens.

Et

Et quod sit optima ratio probatur, quia si Deus non esset perfectus in omni genere, sive si ei deesset aliqua perfectio, v.g. volitionis, eo ipso non esset Deus. Resp. enim. Neg. antecedens, quia illa non est perfectio specialis, nec est radix aliarum: id autem postulat conceptus essentiæ metaphysicę, vt sępè diximus, prout contradistinctus ab essentia physica entitativa, quæ est aggregatum omnium perfectionum. Nec vltima probatio vrget, sicut nec hęc: si homo non esset risibilis, non esset homo; ergo risibilitas est essentia metaphysica? falsa consequentia, quia ad non essendum sufficit defectus cuiuslibet formalitatis, sive communis, sive specialis per se, licèt secundarię, quia ex deficientia secundariæ ruit primaria ob connexionem illius cum ista.

645. Nec obest 4. Quod intelligere vt tale convenit creaturæ, atqui essentia Dei, nec gradus ipsius nequit convenire creaturæ: ergo essentia Dei non stat in illo. Sed stat vel in perfectione formali in omni genere, vel in infinitate, quæ creaturæ nequit convenire. Respond. 1. quod hoc argumento, prob. essentiam Angeli, non stare in gradu intellectivo, quia convenit homini. Resp. 2. concessa maj. distinguo min. essentia, vel gradus Dei nequit convenire creaturæ: essentia per se ipsam, concedo. Per participationem diminutam, nego min. & consequentiam. Resp. 3. quod creaturæ nequit convenire intelligere à se, vel intelligere necessarium. In quo stat essentia metaphysica Dei, prout contraposita omni attributo & omni creaturæ. Vndè, nec infinitas potest esse essentia Dei, tum quia transcendit omnia Dei, tum quia est modus eorum, nam sonat modum habendi perfectionem sine termino & fine.

646. Nec obest 5. quod in Deo perfectius est esse, quam intelligere, ergo. Antec. prob. Tum quia est quid prius & abstractius, tum quia propterea Deus Exodi 3. sumpsit nomen ab *esse*, dicens: *Ego sum qui sum*. Tum quia *esse*, est quid summè actuale. Nego anteced. Ad 1. prob.

prob. Respondetur, esse quid abstractius abstractione & prioritate maioris universalitatis, secùs prioritate perfectionis, aut radicis. Ad 2. respond. Deum sumpsisse nomen à primaria differentia sui à creaturis, sed transcendenti, ac per consequens, non ab essentia metaphysica. Ad 3. respond. etiam intelligere esse summe actuale & actualitate lineæ perfectioris.

647 Nec obest 6. ex Cornejo. Volitio supponit primum volibile: ergo & intellectio primum intelligibile: ergo supponit essentiam. Nego 1. consequent. disparitas est, tũ quia volitio est de obiecto vt intellecto. Tùm quia cum intellectio, & intelligibile sint de eadem linea, intellectio debet per se ipsam propter rationem actus purissimi, esse ipsa res intellecta, sivè ipsa res intelligibilis, & omnis omnino perfectio talis lineæ. Volitio autem est alterius lineæ ex conceptu suo, aliam supponentis.

648 Nec 7. si dicas: ergo intellectio est actus omnimodè reflexus, sive est intellectio intellectionis. Concedo, quod sit reflexus eminentèr; imò & formalitèr, si id sonet tantum, quod sit ipsa obiectum primarium suum.

649 Adverte esse contra varias DD. sententias, (licèt in intelligere divino dentur, sicut in humano formalis substantia intellectiva, vt *quod*, formalis potentia intellectiva, vt *quo* potentis, & formalis intellectio vt *quo* intelligentis) non dari intellectum per modum actus. 1. nec formalẽ, nec virtualẽ, nec per rationẽ vltimatã. Non datur formalis, quia formalis postulat producere formaliter intellectionẽ. Nec itẽ virtualis, quia hic consistit in habere munus proprijssimum producentis intellectionem, quin producat, Nec item per rationem vltimatam, quia non datur ex parte rei aliqua prioritatis ratio, vt probatum est.

650 Solũ per analogiã ad creaturas, vt dictũ est, & per conceptum inultimatum, potest potentia intellectiva, quæ est ad obiectum, concipi instar potentiæ ad in-

in-

intellectionem. Dum autem concipiuntur à nobis prædicatum substantiæ & potentiæ, intellectivæ addendo *remota*, vel *proxima* in iij *remotè*, vel *proximè*, iam admiscentur aliqua de suis & imperfectionibus creatis, & sic talis conceptio est inultimata.

ARTICVLVS VI.

DE OBIECTO SPECIFICATIVO DIVINÆ *intellectionis.*

651 NOta 1. Obiectũ aliud esse specificativũ, aliud extensivũ. Illud est, quod dat speciẽ intellectioni. Istud, omnẽ ad quod illa extenditur. Sic potentia visiva specificatur essentialiter solum à lucido colorato vt sic: extenditur tamen ad particulares colores. Nota 2. Obiectum aliud esse immediatum; id est, quod immediatè, & in se ipso est tactum. Aliud mediatum, quod licèt attingatur ipsum, non in se, sed in alio attingitur, vt v.g. creaturæ in Deo visso, ob connexionem eius cum illis.

652 Nota 3. Quod obiectum aliud est formale, aliud materiale. Illud est, quod attingitur ratione sui: istud verò, quod (sive attingatur immediatè in se ipso, vt color particularis à visu, sive mediatè in alio) attingitur ratione illius. Formale autem idem est, ac specificativum. Plures specificativum dividunt in formale terminativum, (scilicèt quod ratione sui terminat, quin influat efficientèr, adhuc virtualiter) & in formale motivum, scilicèt, quod terminat, aut etiam movet influendo. Sed apud Nos omne formale est motivum, quia vel movet motione formali & specificativa ex *num*. 612. vel motione efficienti: quæ efficientia non est communis omni obiecto motivo, vt probavi in Angelo, *num*. 616.

653 Nota 4. Quod respectu obiectorum materialium immediatè, vel mediatè attingibiliũ potest dari ali-

aliqua forma num. immultiplicata, quæ sufficere possit pro informandis omnibus illis, & pro omnibus actibus vnius virtutis, aut potentię, sicut vna numero bonitas divina pro toto habitu charitatis, & vna numero lux Solis pro videndo omnes colores distinctos, qui sunt nunc in hoc emispherio. Simitèr ergo ab vna Deitate possunt reddi Deo intelligibilia, omnia, (sed diversimodè, sicut vna sanitas numero denominat distincta analogata diversimodè). Sua scilicèt, ob identitatem cum illis. Creaturæ vero, ob continentiam, & connexionem essentialem cum illis.

654 Ex quibus patet, compatibile esse quod Deus vt vnus & Trinus, omniaque eius attributa, & relationes immediatè & in se ipsis terminent divinam cognitionem vtporè intuitivam & comprehensivam; & tamen non omnia sint obiectum formale, nec terminent ratione sui, sed solum ratione Deitatis.

655 Triplex datur sententia circa specificativum divinæ intellectionis. Prima ponit in Ente vt sic, communi analogicè divinis & creatis, ita vt in Deo plures dentur cognitiones, quarum quædam à Deitate in se, aliæ ab attributis, aut relationibus in se; aliæ à creaturis in se specificentur. Sic plurimi ex Recentioribus, & præcipuè *Herize tract.1.disput.4.cap.2. & 3. & disputat.5.cap.4 & 5.* Secunda ponit in solo Ente increato transcendente omnia divina, quia eo ipso proportionatur obiectum formale, quale est veritas infinita, cum intellectione infinita. Ita aliqui Thomistæ.

656 Tertia ponit solum in divina essentia, ita vt si alia virtualiter ab ipsa distincta, in se ipsis immediatè terminent, sed non ratione sui nisi ratione Deitatis. Hæc enim est ratione cuius omnia Deus attingit, sicut potentia visiva in se ipsis attingens colores particulares, non specificatur essentialiter ab illis, sed à lucido colorato vt sic, ratione cuius eos attingit.

Ita

ita communiter celebriores Thomistæ. Item è Societate P. Antonius Perez *de Scientia Dei, disput.2. num.18.* asserens esse communem, ex Falolo *quæst.14. art.2 dub.2 & art 5. dub 5.* P. Gonez citat pro ea Suarez, Vazquez, & Granado, quibus etiam subscribo, & explico per varias conclusiones.

§. I. VERA SENTENTIA.

657 Assero 1. In Deo datur cognitio suæ essentię metaphysicæ propter ipsam, specificata ab ipsa essentia vt obiecto formali, & specificavo, & motivo, motione formali. Hoc tenent omnes & non eget vlteriori probatione.

658 Assero 2. Prædicta cognitio, vt talis, & vt specificata ab essentia nõ potest nõ habere pro obiecto terminativo immediato attributa & relationes. Patet, quia vt talis est cognitio intuitiva & cõprehẽsiva Deitatis: ergo cõprehendit in ea omnẽ connexionẽ & identitatem, quam habet cum omnibus illis, quę ipsa est: ergo cognoscit immediatè eam, vt est volens, Omnipotens, &c. & vt est omnia identificata cum ipsa: & sic omnia terminant immediatè eandem illam cognitionem, & omnia manent cognita, & totus Deus ratione essentiæ divinæ, vt obiecti formalis: sicut & etiam creaturæ manent cognitę (licèt mediatè) ratione connexionis quam habet Omnipotentia sine identitate.

659 Pro maiori declaratione probationis nota duo 1. est quod pro cognoscendo termino in recto vel obliquo, sunt valdè diversæ identitas & connexio. Nam connexio cum versetur inter realiter distincta non recusat inter ea rectum & obliquum, v.g. Deus est productivus creaturarũ: secùs identitas, nam effectus formalis istius est, quod vnum sit aliud. Et sic comprehensio talis identitatis necessario intuetur, quod Deitas sit volitio. Si autem non attingeret sic, non procederet

consentanee ad naturam identitatis, nec ad essentiam comprehensionis.

660 2. Est, quod omnes omnino combinationes obiective reperibiles inter Deitatem & Attributa, & è contra, in quibus adversarij fundant diversas cognitiones in Deo, (vnam qua cognoscat Deitatem vt radicem Attributorum, & sic ista in obliquo: aliam qua cognoscat Attributa vt virtualiter modificativa Deitatis, & sic illa in recto, & istam in obliquo) comprehenduntur per prædictam vnicam cognitionem. Patet, quia omnes illæ sunt per identitatem mutuam & attinguntur, vt vnum est aliud. V.g. Intueor in me, quod mea Deitas est volito, se habentes æquivalentèr ad distincta realiter. Et sic valdè impertinētèr, & parum consentaneè ad identitatem illam summam, adducuntur tales cognitiones tactivæ alicuius extrimi in obliquo.

661 Sequitur ex his, quod Deus præter prædictam cognitionem, nullam aliam habet distinctam virtualitèr ab illa, & si illius vt probatum est, sola Deitas est obiectum formale, sola Deitas erit obiectum formale, & specificativum totius intelligere divini: reliqua autem erunt obiecta materialia, sive pure terminativa immediata, vel mediata. Probatur 1. Per illam cognitionem scit Deus omnia sua comprehensivè, & omnes combinationes, & connexiones eorum per identitatem, & ita clarè scit, vt quælibet alia cognitio nihil afferat novæ claritatis, pro talibus obiectis, & connexionibus sumptis ex parte rei cognitæ Et aliàs per eam scit altiori & perfectiori modo in se omnes excogitabiles, ita vt alia cognitio, nec afferat melius obiectum formale & motivum, nec adferat de novo modum tendendi immediatum: ergo superfluit omnis alia cognitio divinarum perfectionum.

662 Respond. 1. talem cognitionem novam afferre novum motivum formale, siquidem attingeret Attributa ratione ipsorum. Contra 1. quia tale motivum licèt sit diversum, sed non est melius, nec ęquè consen-

taneum obiectis: ergo inutiliter additur. 2. Quia licèt sit virtualiter diversum quoad esse formale, sed cum iam esset eminenter contentum in essentia, non est diversum, nec aliquid addens pro exercitio movendi. Contra 3. Quia cognitionum multiplicatio virtualis præcipuè quando obiecta sunt connexissima adhuc metaphysicè, & vna nihil affert vtilitatis de cognoscere, supra aliam, potius officit maiori simplicitati, quam proficiat intellectivitati.

663 Respond. 2. Quod sicut connexio Deitatis cum Attributis est medium noscendi illa, ita & connexio istorum cum Deitate est medium noscendi eam, & sic duplex debet esse cognitio pro duplici medio. Contra, quia hæc multiplicatio, non habet locum, quando media sunt omnimodè connexa inter se, & omnino idem, & non possunt comprehendi consentaneè ad obiecta, nisi vt sunt in recto idem, & vt Deitas est volitio, non verò vt exigens volitionem. Vndè Conceptio Deitatis prout exigentis Attributa in obliquo in Deo non est, & in nobis est conceptus inultimatus.

664 2. Probatur assertio, quia repugnat omnino cognitioni ferri in obiectum, tanquam in obiectum formale dans ei speciem, nisi obiectum vniatur illi, vel per speciem impressam, vel per seipsum: ergo obiectum sive medium specificans cognitionem vtpote causans eam in genere causæ formalis, debet iam esse & cõcipi esse quando est ea & non post eam. Atqui Attributa, & relationes per vos sunt posteriora, omni intellectione necessaria: ergo non possunt esse obiectum formale intellectionis essentialis & necessariæ. Sed huic argumento non multum fido, quia prioritas solum à *quo* cum non tollat esse simul simul ex *num.* 686 *de Trinitate*, non impedit sufficientem simultatem immediatam obiectivam cum actu.

665 3 Probatur, quia Deus omnia cognoscit modo ipsis rebus magis consentaneo: ergo cum Deitas sit ratio fontalis omnium, sive causa exemplaris, quam om-

omnia imitantur, & omnibus per continentiam sit ratio essendi, erit etiam pro omnibus præcipuum medium & ratio assentiendi, & sic assensus per eam est magis consentaneus naturis rerum, imò & ipsi Deo: Est enim à priori, & sic magis perfectus, & magis scientificus: ergo cum Deo repugnet assensus non ita consentaneus, repugnat quod per creaturas, vel relationes, vel etiam per Attributa, tanquam per rationem assentiendi, assentiatur ipsis, vel etiam Deitati. Nulla ergo datur cognitio in Deo specificata ab alio, præterquam à Deitate. Vndè plures antiqui apud Fasolum, *quæst.* 14. *artic.* 5. *dub.* 1. docebant creaturas non nosci à Deo terminativè, sed denominativè, quia non per se, sed per Deitatem noscuntur ipsa omnia.

666 Obijcies 1. Attributa debent esse obiectum altiori modo, quam creaturæ; sed ista sunt secundarium: ergo illa primarium. Respond. negando consequens. quia etiam illa attinguntur ratione Deitatis. Differunt tamen, quia intrinseca Dei sunt obiectum immediatum terminativum & in se; creaturæ vero in Deo. Et si imbibant Deitatem sunt modificationes primarij ad istud valdè accedentes, suntque obiectum Attributum. Sic vocatur in Logica obiectum imbibens, simul materiale & formale intra se.) Nil de his competit creaturis.

667 Obijcies 2. In Deo datur strictè scientia: ergo vt sic specificatur ab Attributis. Probatur consequens. quia vt scientia, differt à lumine principiorum, quod specificatur ab essentia vt tali. Permisso antecedenti, nego consequens. ad probationem permisso, quod tales cognitiones distinguantur in Deo. Dico quod sufficienter differunt in eo quod lumen est de essentia vt in se, & vt habente rationem primi veri. Scientia de eadem essentia vt radice Logica Attributorum, assentiens istis propter illam.

668 Obijcies 3. Obiectum formale adæquatum divini intellectus debet esse illud, cum quo convertatur

tur ratio formalis sub qua talis potentiæ, atqui non Deitas, sed divina Veritas est, quæ convertitur cum obiecto divino, estque communis illi: ergo. Nego min. quia Deitas est ratio communis pro omni actu divino, non communitate vniversalitatis & prædicationis, (sicut divina Veritas transcendens omnem perfectionem divinam) sed sufficit communitas continentiæ, concernentiæ, vel denominationis, quæ iam reperitur in vnica numero Deitatis perfectione. *Vide plura de his Tract. de Voluntate Dei à num.*

669 Obijcies 4. Essentia divina prout est in se est Attributa ipsa & relationes; atqui essentia divina est species impressa, & simul est obiectum motivum divinæ intellectionis: ergo etiam Attributa, & Relationes. Nota 1. ad hoc vt vnum à parte rei sit ratio movendi, aut specificandi, & non aliud; sufficere distinctionem virtualem minimam, quæ jam datur inter Deitatem & Attributa.

¶ Nota 2. Illa se tenere ex parte potentiæ, quæ dantur, vt potentia intelligat: & illa ex parte obiecti, quæ dantur vt obiectũ intelligatur. Hoc pacto, se habet species impressa, vniens & proportionans intimè obiectum cum potentia. Sicut autem lux proportionat colorem cum oculo, reddendo illum visibilem, & revelatio Mysteria cum fide, reddendo illa credibilia, sic ratio illa vniens ex parte obiecti, tanquam forma proportionativa, est obiectum & ratio formalis reddens obiectum tangibile à tali potentia.

¶ Vndè sicut non est idẽ, obiectum immediatè & in se tactum, & ratio obiectiva propter quam tangitur, sic nec est idem Attributa esse in se tacta; & esse rationem, vt tangantur. Hæc enim est sola Deitas reddens illa tangibilia à Deo: sola ergo ipsa est obiectum formale, & sola ipsa est species impressa specificans in genere causæ formalis.

670 Respond. ergo, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, quia fit transitus de linea entita-

tiva, in qua sunt idem essentia & Attributa, ad lineam intelligibilem & de *quare*. Etenim Deitas & Attributa æquè terminant immediatè cognitionem comprehensivam, cum sint idem quoad esse in se, sed non æquè sunt ratio formalis terminandi: sicut in ente veritas, & bonitas sunt idem, nec tamen terminat cognitionem, quia bonum, sed quia verum. Vndè vt benè Gonet hoc argumentum non valet in Deo: veritas & bonitas sunt idem, atqui veritas est ratio specificativa intellectus divini: ergo & bonitas. Mala conseq.

§. II. DE OBIECTO CREATO.

671 EX his assero 4. cum Thomistis, Suarez, & alijs, obiectum formale non posse esse creaturas in se ipsis, nec ens vt ens, commune enti creato, & increato. Probatur: Tùm quia dū creaturæ cognitæ in Deo ratione Deitatis, noscūntur quantum perfectè cognoscibiles sunt, tàm ex parte obiecti formalis, quàm ex parte modi ob motivum altius. Tùm à paritate Volūtatis divinæ, quæ tota & in omni actu suo est propter divinam bonitatem vt probavi suo loco, à n. 156. Tùm quia ens tale, præscindendo ab infinito, & sub præcisa attingibilitate entis, est specificativum sufficiens & æqualiter proportionatum pro intellectu creato: ergo eo ipso erit infinite insufficiens pro divino, quod est infinite maius, perfectius, & altius.

672 Tùm quia intellectus divinus & creatus, cum sint tàm infinite distantes, repugnant quod habeant vnam, & eandem omnino formrm essentialiter specificativam; nam qualis est forma essentialis rei, (sive entitativa, sive intelligibilis, sive moralis, quælibet in sua linea) & sicut in operatione morali infinita, forma est infinita; sic à paritate in intellectione infinita; & quale est essentiale specificativum totale rei, talis est & res specificata: præcipuè cum obiectum formale sit mensura perfectionis potentiæ, & actuum ipsius apud omnes.

Tùm

Tùm quia cum ex obiecto & potentia pariatur notitia, obiectum debet omnino proportionari potentiæ, sed repugnat intellectioni infinitæ finita potentia: ergo etiam finitum obiectum. Tùm quia ex Divo Thoma obiectum formale, per se vel per speciem debet esse perfectio, & complementum intelligentis. Nihil autem creatum potest esse tale respectu Dei: ergo.

673 Tùm quia obiectum motivum, sive formale differt à terminativo, in eo quod illud dat speciem, & essentiam actui; illud verò purè terminat, & non dat speciem. Sed enti creato, licèt competat terminare cognitionem infinitam, repugnat vis dandi speciem & essentiam & perfectionem infinitam, qualis est essentia intellectionis divinæ: ergo repugnat ei esse obiectum formale.

¶ Tùm denique, quia cum omnis potentia intellectiva debeat compleri ex parte obiecti per speciem impressam completivam potentiæ, (sive distinctam, sive indistinctam ab obiecto) vt intelligat & fiat intelligibilitèr res intellecta, necesse est quod obiectum illud, quod est primarium & formale & motivum, repræsentetur primario per talem speciem. Atqui repugnat Deo species immediatè, & primario, creaturam repræsentans: ergo & repugnat quod creatura respectu alicuius divinæ intellectionis sit obiectum formale, motivum, & primarium.

674 Minor probatur, quia repugnat quod Deus intelligat per speciem creatam immediatè repræsentantem creaturam, quia intellectus nequit noscere obiectum per speciem eius immediatam, nisi sit in eodem gradu immaterialitatis species illa cum obiecto: nam ob id, repugnat quod intellectus noscat rem per speciem corpoream, quia ista est inferioris ordinis. Nec item per speciem increatam, quia hæc non repræsentat primario creaturam: sed primario Deum, & in illo creaturam: ergo. Sic substantia Angeli, vt est species impressa pro se, primario repræsentat se ipsam, &

secundario & mediatè alia à se. Sic Beati in essentia Dei gerente vices speciei, primario vident Deum, & in eo, secundariò, & mediatè creaturas.

675 Respondebis cum Patre Arriaga *de Scientia Dei, disput 19. à num. 26.* esse in Deo speciem increatam immediatam pro creaturis, nempè eminentias ipsas productivas, (non creaturarum) sed specierum repræsentantium creaturas, quæ species continentur in Deo eminentèr. ¶ Contra 1. quia non continentur eminentèr formalitèr, sed solum eminentèr: ergo non habent prędicatum formale proprium speciei impressæ: atqui per te pro intellectione requirit Deus in se speciem impressam strictam, & propriam: ergo, &c. Contra 2. quia illa eminentia, est pro producere speciem, non verò est pro repræsentare creaturam, cuius illa est species: ergo nec species increata datur immediatè pro creaturis. 3. Quia vt supra, nu. 611. probavi. Influxus speciei in Deo non est efficiens, sed formalis: ergo species ipsa non est incognita, sed potius cognita ratione sui: ergo in illa noscentur creaturæ, vt in medio cognito, & sic non ratione sui.

§. III. ARGVMENTA.

676 OBijcies 1. Creaturæ sunt obiectum verum & de sphæra intellectus divini: ergo &c. Respond esse obiectum secundarium & attingibile: sed non attingibilitate illa, quę se habeat ratione sui (quia talis attingibilitas est pro intellectu creato tantum, & insufficiens pro intellectu infinito.) ¶ Nec ob est 2. Quod Deus cognoscit omne verum, omni modo quo est cognoscibile. Disting. enim. Omni modo ex parte rei cognitæ conc. quia noscit de omni vero quidquid est. Nego tamen ex parte motivi, nam non attingit ex motivo, quo à nobis attingitur.

677 Vndè divina intellectio, licèt sit eminenter Metaphysica, & omnes Scientię penetrans omnes veri-

tates obiectivas earum, sed non est ipsæ formalitèr, quia non habet motivum earum. Nec ipsæ sunt perfectio simplicitèr simplex, quia contractæ sunt ad attingibilitatem finitam, qua talem.

¶ Nec obest 3. Quod obiectum formale intellectus divini debet continere omnia obiecta, quę ipse cognoscit: atqui solum ens vt sic, & non ens increatum continet omnia, quæ Deus cognoscit: ergo. Respond. sufficere quod contineat, continentia denominabilitatis vt dixi supra num. 653. Quo pacto Deitas ipsa iam continet omnia. Vndè obiectum formale perfectioris potentiæ, non est necesse, quod sit vniversalius prædicatione. Sed continentia, & denominatione, aut concernentia supradicta.

678 Obijcies 4. Creaturæ iam sunt possibiles in se in signo eodem cum intellectione necessaria: ergo & possunt nosci in se ipsis, & specificare intellectionem divinam. In primis nego antecedens. Sed in signo originis posteriori vtpote exemplabiles ex essentia. Dato antecedenti, nego consequentiam, quia earum attingibilitas in se, non est adæquativa intellectionis infinitæ Dei, vt dictum est.

679 Nec obest 5. Ex Arriaga *de Scientia Dei, disput. 19. à num. 22.* quod cognoscere creaturas in se ipsis intuitivè & comprehensivè, est perfectio ex suo generè, vt per se patet: & est sine vlla imperfectione positiva, & ad summum importat minorem perfectionem; atqui non repugnat Deo minor perfectio, dummodo absolutè sit perfectio: ergo. Min. patet, nam volitio, & alia Attributa dantur in Deo, & sunt minus perfecta, quam intellectio. Si respondeatur relegari à Deo illam cognitionem ob superfluitatem. Contra, quia si in Christo non est superflua scientia per se infusa de creaturis in se ipsis, vltra Beatam earum in Deo, quia potius ob varietatem auget pulchritudinem, nec in Deo erit superflua cognitio specificata à creaturis ob eandem rationem.

Ref-

680 Respond. ad argument. talem scientiam, si sit de creaturis in se, & ratione sui, vt contendunt adversarij, importare positivam imperfectionem respectu Dei, quia specificari ab ente finito sub ratione talis, & haurire ab illo perfectionem suam essentialem adhuc in genere causæ formalis, est imperfectio positiva; & cum creatura sit limitata & finita, quomodo potest esse forma infiniti vt talis? Nec valet paritas de scientia infusa Christi, quia Christo vt homini non repugnat illa varietas finita, quam affert cognitio superna creaturarum in se ipsis; de quo in Tomo *de Incarnatione quæst. de Scientia Christi.*

681 Nec obest 6. Quod si per impossibile Deus non esset productivus formicæ, sed hæc ab alio produceretur, adhuc maneret omniscius, nam eminentia formicæ se habet materialitèr ad Omnipotentiam, & ad Deum: ergo tunc nosceretur in se ipsa à Deo. Respondetur 1. Formicam repugnare produci nisi ab aliqua prima causa. In illa ergo nosceretur. 2. Respondetur nosci in se ipsa, sed non ratione sui, sed sub lumine obiectivo Deitatis, vt à num. 192. de Volunt. Resp. 3. In eo tunc non noscendam, quia ablato medio, nequit nosci, nec est inconveniens, quod non maneat materialitèr Omniscius, sicut non manebat materialitèr Omnipotens.

682 Nec obest 7. ex eodem. Non repugnat intellectionem divinam specificari à creaturis. Nam de facto specificatur, cum sint obiecta ipsius saltim mediata, & cum perfectior evadat visio Beata videns in eminentia Dei Angelum, quam formicam à num. 35. *de Visione.* Confirmatur, quia non repugnat Omnipotentiam specificari à creaturis possibilibus & pendere ab illis. Imò à formica: nam nequit dari clarior specificatio, quam quod deficiēte formica, deficeret Deus, eiusque essentia: ergo & intellectio specificari poterit à creaturis. Has replicas facit Pater Arriaga, respondendo ad argumenta sibi contraria. Sed sanè has, &

alias

alias conservat in Scholis vsus confundendi lineam intelligibilem, cum linea entitativa; cum sint valdè diversę, nec liceat argumentari ab vna ad aliam.

683 Igitur pereunte possibilitate formicę, periret tota entitas materialis Dei, sed non essentia Metaphysica, & metaphysicè intelligibilis Dei, quæ stat in intelligere quidquid intelligibile est, sicut Omnipotentia metaphysicè in posse producere, quidquid producibile est: & si periret formica, adhuc permaneret iste ipsissimus metaphysicus conceptus. Vndè licèt entitas Dei connectatur necessario, cum possibilitate formicæ non specificatur ab illa, quia specificari est accipere speciē & essentiam ab illa: at connecti cum illa vt termino est, petere illam vt possit dare esse illi; vide si est magna differentia. Nec quod corruat esse entitativum alicuius rei, pereunte aliquo, probat specificari essentialitèr ab illo, nam homo periret, pereunte possibilitate risus, & pereunte actione productiva hominis: adhuc tamen non periret essentia Metaphysica.

684 Falsum etiam est visionem specificari ab obiecto mediato ratione sui, quia licèt requirat illud, speciem essentialem non summit ab illo. Et licèt perfectior sit visio beata videns in Deo Angelum quam formicam. Resp. ad id: perfectior est, sed non alterius speciei aut essentiæ, nec perfectior ab obiecto mediato, sed ab immediato nempè perfectiori eminentia. Nec inde infertur posse variari obiectum mediatum invariata visione. Nego enim, quia est obiectum necessario requisitum, licèt non specificativum, sicut animal & appetitus sensitivus est necessarium, & invariabile in homine, licèt non sit specificativum formale ipsius.

685 Tandem argues. Deus noscit creaturas futuras in se ipsis, & videt existentes in se ipsis, imò habet ab existentia earum quod determinetur ad videndum: ergo visio est ab illis saltem vt à conditione: ergo & specificatur ab illis. Permisso antec. & 1. conseq. nego, 2. Quia actus liber est ipsissimus necessarius, specifica-

turque

turque ab eodem obiecto formali. Quod autem addit supra necessarium est pura terminatio, nihil addens de perfectione, & sic licèt requirat creaturas, non solum vt terminum, sed vt conditionem vt sit; id non est accipere à creaturis perfectionem vllam aut specificationem, aut esse: sed requiri illas vt habeat nobam terminationē. Vide me tract. de voluntate agentem Quæst. 6. de actu libero.

686 In fine nota duo. 1. Est: quod licèt respectu scientiæ beatæ creatæ Deitas sit forma intelligibiliter, & non purus terminus, sicut & respectu offensæ est forma, non tamen illa infinitatur sicut offensa, quia in ęstimatione morali non est mensura vt ipsa est in se, sicut respectu offensæ in quam refunditur Deus quantus est, eo quod offendatur quantum offendibilis est. In visionem autem vt pote de linea intelligibili & præscisivam, solum refunditur quantum expressatur & ob id finitè, sicut dixi suo loco tract. de Incarnat.

2. Est, ex quęst. 4. de Volunt. à n. 192. fortè nō repugnare, quod Deus noscat creaturas in se ipsis immediatè, dummodo non noscat ratione ipsarum, sed ratione Deitatis, per quam fiunt sufficientes attingi à Deo, sicut color videtur ab oculo in se ipso immediatè, sed ratione lucis, per cuius perfusionem fit sufficiens videri ab oculo.

687 Ex hucusque dictis sequitur solum obiectum formale tactum ratione sui, esse quod specificat cognitiones, intellectiones, & scientias: Materiale enim, secundarium, & extensivum, & quidquid indirectè tangitur & proponitur per speciem impressam, non specificat metaphysicè. Vndè si visio beata videns in Deo Angelum, comparata cum vidente lapidem, habet aliquid diversitatis & perfectionis specialis, non sumitur hæc ab Angelo, sed à vi divina speciali productiva Angeli diversa à vi speciali pro lapide.

688 Nec dicas: visio beata, si in eminentia de Sole comprehenderet istum, & in eo infinitos effectus speciei di-

diversos ab ipso producibiles, infinitaretur à talibus effectibus comprehensis iuxta dicta *numer*.50. *de Visione*: ergo qui a specificaretur ab illis. In primis nego posse infinitos specie effectus nosci in Sole, eiusque eminentia, sed in infinitis concausis & earum eminentijs. Resp.2. nego antecedens, sed infinitatio & specificatio summeretur ab eminentia infinito modo, & cum sufficientia pro infinitis effectibus expressata.

EPILOGVS QVÆS. XIII.

DE INTELLECTIVO DIVINO.

§. I.

IMMATERIALITAS EST RATIO cognoscendi.

689 NOta ex *num*.541. Quod res in linea physica est alia à se in linea intelligibili, sive repræsentativa. Sic Imago Christi physicè est lignum repræsentativè vero ipsissimus Christus, qui adoratur in eo. Cognoscentia ex *num* 542. differunt à non cognoscentibus, quia licèt tam ista, quam illa habeant formas suas per physicam & veram receptionem, vt v.g intellectus creatus speciem impressam, & cognitionem: at formas alienas manentes alienas physicè; cognoscentia habent in se novo modo, per intentionalem attractionem: secundum quam lapis, qui physicè est in pariete, intelligibilitèr est intra intellectum cognoscentem illum. Vndè iste à cognitione lapidis denominatur formalitèr physicè cognoscens per receptionem physicam cognitionis: à lapide verò cognito, denominatur formalitèr intelligibilitèr lapideus per intentionalem attractionem. Sic communitèr Homo doctus dicitur litteratus, quia scit litteras, ita vt denominetur sciens

à

à scientia litterarum, & litteratus à litteris scitis.

690 Nota insuper ex *num.* 543. Quod in materia prima datur duplex materialitas. Una entitativa stans in non esse spiritualem, alia exercitativa stans in eo, quod specialissimum eius operari, & se exercere, sit solum per physicam receptionem & compositionem. Similitèr datur duplex immaterialitas istis opposita. Entitativa stans in re spirituali. Exercitiva stans in vi attrahendi formas alienas sine physica receptione, aut compositione. Solus autem Deus ex *num.* 544. est summè immaterialis, quia ut actus purissimus excludit à se ipso materiam, tam in esse, quam in exerceri. Angelus autem licèt excludat materiam in esse, (in quo differt ab Homine, & Brutis) non autem in exerceri: quia species impressas, & cognitiones suas habet in se per veram & physicam receptionem & compositionem.

691 Est ergo Deus, iuxta Divum Thomam ex *num.* 545. ideò summe cognoscitivus, quia summe immaterialis. Cognoscitivitas enim summitur ab immaterialitate; nam summitur ab amplitudine habendi intra se per attractionem intentionalem formas aliarum rerum, (quæ est differentia cognoscentium à non cognoscentibus.) Amplitudo autem provenit ab immaterialitate ex 546. sicut & limitatio, & coartatio à materialitate. Patet in sensibus si intra se comparentur, & in intellectu angelico atque humano unito corpori, vel separato à corpore. In quibus eo est maior vis cognoscendi, quo quilibet est remotior à materia in entitativo, & exercitivo.

692 Sed quomodò bruta materialia cognoscunt? Respondeo ex num 547. quia sunt immaterialia exercitive, nam præter formas suas physicè à se habitas, habent formas alienas intra se sine receptione. Et hoc est operari modo immateriali & superante conditiones materiæ, (cuius totum exercitium est operari per solam physicam receptionem) Quare ex num. 550. adhuc in ipso cognoscente, producere & recipere cogni-

nitionem est de linea physica communi non cognoscentibus: attrahere ad se obiectum sine receptione est de intentionali propria cognoscentium.

693 Probat autem Divus Thomas cognoscitivitatem, non ex immaterialitate susceptiva specierum modo intentionali, quia esset probare idem per idem à num. 551 Sed vel ex præcisa ab entitativa & exercitiva, cum utraque valde conducat ad cognoscitivitatem, ex num 553. Vel potius ex entitativa ex num. 554. Quia spiritualitas entitativa cum ex se manendo tota vbi est, se possit extēdere, vt simul sit tota, vbi non erat; amplitudinem capaciorē secum portat. Bruta similitèr petunt ex se habere multum minus de materia, & licèt non habeant totalem recessum ab illa, benè verò partialem, quia habent entitativam minorationem materiæ, ratione foraminum, & organorum, cum primore multū artificio, & heterogeneo. Vndè differunt ab aere, & à Cœlis, & similibus propter hęc.

694 Etenìm linea intentionalis est linea amplitudinis & non coarctationis, vt physica: quia in linea physica res solum est vbi est, & non est vbi non est, nec est quando non est: in intentionali autem res est vbi non est, & quando non est. Sic nunc de facto Antichristus de præsenti est intentionalitèr in intellectu nostro, quod est esse, vbi non est & quando non est. Vide huius rei lōgā explicationē, & probationes à nu. 580. Cū ergo materia entitativa, (& idem de exercitiva) coarctet res: entitativa ad esse hic & nunc, & materialis, pars ad partē, necesse est, quod ipsa sit impedimentū amplitudinis, & quod spiritualitas cum ponat rem totam in toto & totam in qualibet parte, amplitudinem importet ad cognoscitivitatem conducentem.

695 Provenit ergo cognoscitivitas ab immaterialitate entitativa; vel exclusiva totaliter materiæ, vel physicè minorativa ipsius. Quod si ex nu 557. receptio entitativa cognitionis est in Angelo totaliter spiritualis, & tamen impedit in illo cognoscitivitatem summam:

mam: ergo non sola materia entitativa impedit cognoscitivitatem, sed potest impediri ex alio capite. Resp. quod sola materia est, quæ impedit substantialiter cognoscitivitatem. Maioritatem autem cognoscitivitatis, aliquando impedit materia entitativa. Aliquando verò sapor proprius materiæ exercitivus: nempè habere cognitionem per receptionē entitativam etiam spiritualem. Vndè ex num. 558. Immaterialitas, quæ sit ratio cognoscitivitatis est sola substantialis, quia sola; ista est cognoscitiva vt *quod*. Cætera spiritualia vt *quo* inferunt cognoscitivitatem, illativè & connexè.

§. II. ARGVMENTA.

696 OBijcies primo: potest dari substantia spiritualis non cognoscitiva. Nego, nam haberet amplitudinem ad alias formas, & non haberet, ex num. 559. Secundo, Empyreum caret omni operatione: ergo & aliqua substantia spiritualis. Nego antecedens, vel permitto, nam materialitas vtpote coarctans, potest contineri intra solum gradum essendi, secus amplitudo rei spiritualis, ex num. 560. Tertio. Anima revota æquè perfectè noscit, ac separata: ergo materia non officit. Concedo antecedens, de his quæ noscit per visionem, aut species independentes à corpore; secus per dependentes. Quare separatio non retardat animam ab intensione visionis sed ab intentione; cum sit divisa in volitionem visionis & revnionis, ex num. 561. & 562.

697 Quarto: Angelus superior est magis cognoscitivus quàm inferior; sed non gaudet maiori immaterialitate. Dist. mi. entitativa & ex parte termini negati, nempè materiæ, concedo; exercitiva & quoad habere minus de receptione, nego; cum superior possit per vnam speciem, quod inferior per plures, ex num. 563. Obijcies quinto: Voluntas est spiritualis, & non est cognoscitiva: ergo ad hoc non sufficit sola spiritualitas

Con-

Concedo consequentiam: sed debet addi, quòd sit tractiva obiecti ad se modo immateriali, quod non habet voluntas, cum potius feratur in obiectum, ex num. 564.

698 Sextò: Angelus ex num. 565. est coarctatus per suam singularitatem, & tamen est cognoscitivus. Concedo, nam coarctatio impediens cognoscitivitatem, non est coarctatio rei, ne alteri individuo communicetur, sed ne alienas formas accipiat per attractionem sine receptione. Septimo: Cœli sunt immaterialiores verme. Sed non sunt cognoscitivi. Nego maiorem, ex num. 566. nam materia prima vermis minus habet de materia propter artificium organorum.

699 Octavo, à num. 567. vsque ad 669. Non à sola quantitate impeditur cognoscitivitas: ergo poterit etiam à re spirituali. Nego antecedens, loquendo de quantitate & eius consanguineis, nam sola hæc coarctat amplitudinem. Nono: Formę mixtorum inanimatorum, ex Divo Thoma sunt immateriales, & tamen non sunt cognoscitivę. Respondetur, esse immateriales latè & efficiēter, quia scilicèt aliquid efficiūt per virtutem excedentem dispositiones materię, vt Adamas in attrahere ferrum, à differentia formarum elementalium, quę nihil faciunt nisi per calorem, siccitatem, &c. Non verò intentionalitèr, quod stat in attrahere formas alienas sine receptione.

¶ Sequitur ex his cognoscitivitatem substantialiter, summi ab immaterialitate exclusiva: exclusiva nempè, vel minorativa materiæ: at magis vel minus, à recessu à conditionibus, vel saporibus materiæ. Quales sunt habere formas per physicam receptionem, vel operari tanquam per virtutes, per calorem, frigus, &c. de quibus à num 568 Elongatio ergo vel accessus ad istas conditiones, auget, vel minuit cognoscitivitatem.

700 Infero primò, etiam summi ab immate-

rialitate intelligibilitatem passivam obiecti. Secundo, Divum Thomam non probare cognoscivitatem ab immaterialitate viventi, sed ab vt sic; & ab hac, non tanquam à signo, sed tanquam à ratione formali. Placet ergo ratio Divi Thomæ assignantis radicem cognoscitivitatis communem omni, & soli cognoscenti, & non recurrentis ad naturas rerum cognitas à posteriori, ex num. 570. ad 572.

§. III.

DVPLEX DISCRIMEN COGNOSCENTIVM, à non cognoscentibus.

701 PRimum est à nu 573. habere præter suas formas, formas aliarum rerũ; suas per physicam receptionem; alienas solum per intentionalem attractionem. Sicut enim Christus existens physicè in Cœlo, est in imagine sua verè repræsentativè, ita albedo physicè existens in pariete, ipsa intelligibilitèr est intra intellectum, & Carolus Rex physicè existens Matriti, ipsissimus verè intelligibilitèr est præsens intra mentem meam.

702 Dices: intra mentem non dari de Rege, nisi cognitionem. Contra: nàm intra mentem habeo Regem cognitum, habeoque in sua figura; cognitio autem nec est cognita, nec figuram habet: ergo præter cognitionem habeo ipsum Regem; illam physicè; illum, intelligibilitèr. Confirmatur, ex num. 576. Cum dico: *Homo est rationalis*; prædico de homine illud rationale, quod verè habeo in mente; sed hoc est ipsissimum, quod physicè est in homine, aliàs esset falsa prædicatio: ergo.

703 Dices: obiectum solum est intra mentem repræsentativè, quod non est verè esse, sed impropriè esse. Contra primo: dum loqueris de Carolo, nimis à te physicè distanti, sentis illum intra te esse verè præsen-

rem. 2. Dum adoras imaginem Christi, ipsum Christum verum adoras, non lignum: nam hoc non est Christus: ergo verè est Christus ibi in ea Imagine: at non physicè, sed repræsentabilitèr. Deindè, (nota valdè dari aliud esse verè presens præter grossum) nam vltra physicam, aliæ dantur verissimæ presentiæ. Sic in Religioso professo verè moralitèr perseverant vota; & in coniugatis, vtriusque consensus: aliàs nec ille esset actu verè Religiosus, nec isti verè coniugati, sed fuissent. Vide alia à num. 579.

704 Obijcies primo, ex num. 581. Etiam aqua recipit calorem, qui est forma aliena. Nego esse alienam, sed suam per receptionem, licèt acceptam ab alio. Secundo: Intellectus ideò habet albedinem, quia eius Imagines habet, nempè speciē & cognitionē; sed hæ nō sunt formæ alienæ: ergo. Respond. præter speciem & cognitionem habere ipsam physicam albedinem parietis intra se, licèt non physicè. Tertio, ex num. 585. Ergo in intellectu præter speciem canis, erit ipse canis physicus, & sic ibi poterit latrare. Nego: nam ad hoc debebat existere ibi canis physicus, sed physicè.

SECVNDVM DISCRIMEN.

705 EX nu. 584. est: quod cognoscens, dum cognoscit fit quodammodo res cognita; vndè intellectus cognoscens lapidem denominatur lapideus ab ipso lapide physico, verè intelligibilitèr ipsum informante. Duplex ergo datur denominatio in intellectu iam cognoscente: vna est cognoscentis lapidem, alia est lapidei. Forma primæ; est cognitio physicè informans; forma secundæ est ipse lapis intelligibilitèr informans sine receptione.

706 Sed quomodo fit istud? Per identitatem rei repræsentatæ cum ipso intellectu; non nudè sumpto, sed vt repræsentante; nam cum idem idem sit intelligibilitèr repræsentatum & ipsa repræsentatio, eo

ipso quod intellectus ut cognoscens est repræsentatio, eo ipso ut cognoscens est ipsa res repræsentata. Vide exemplum hic num. 689.

707 Obijcies, ex num. 587. In intellectu solum datur imago lapidis, non verò lapis ut forma. Nego, sicut in Altari non solum datur Imago Christi, sed ipse Christus, quem in ipsa Imagine adoramus. Secundo, ex num. 588. Repræsentatio est idem cum repræsentato: Ergo aer habens speciem albedinis, erit intelligibilitèr albus, & sic cognoscens. Respondetur, quod species albedinis in aere solum passivè est intelligibilitèr albedo; idque non pro aere, sed pro potentia cognoscitiva, quæ sola est capax ut actu fiat res repræsentata per speciem expressam, vel verbum mentis, quod est imago in actu secundo.

708 Instas, ex num. 589. Ergo iam aer saltim passivè, licèt non activè, erit intelligibilitèr albus; & sic habebit formas aliarum rerum, quin sit cognoscens. Respond. 1. concedendo consequentiam, nam licèt habere formas alienas activè & attrahendo illas, sit proprium cognoscentium, habere illas passivè & non repræsentativè pro se, sed pro nobis, est proprium cognoscibilium. Vel secundò: aerem solum recipere species ut qualitates, & ad summum ut imagines obiecti per modum termini, & non obiecti per modum formæ, quousque adveniat intellectus, & fiat actu cognoscens, & repræsentans, ac proindè fiat albedo intelligibilitèr ab albedine repræsentata vitaliter.

709 Obijcies tertio ex num. 592. Ergo Deus non erit cognoscens, cum non habeat imagines aliarum rerum. Respondetur, quòd in essentia divina habet eminenter omnium imagines, & in ipsa cognita fit omnia eminentialitèr. Nec ideò fit peccatum, quia solum fit id quod est suum obiectum primarium: & dato quod fieret, adhuc non macularetur ab illo, quia maculare est proprium peccati in esse groso & sub modo naturali, non sub intelligibili.

§. VI.

§. VI.

AN IN DEO DETVR POTENTIA INTELLECTIVA, ex dictis à nu. 593.

710 SErmo est an detur vera potentia secundum prædicata essentialia potentiæ. Sed vt hoc plenè capias, vide prius omnino Simile de thuri, *à nu* 597. Dico 1. dari veram potentiam physicam intellectivam seu perceptivam præter actualem intellectionem: nam Deus est formaliter intelligẽs, ad quod requiritur intellectio, & intellectus, *quod* & *quo*. Dico 2. hæc potentia non est actus primus, quia non est potentia ad intellectionem, sed respectiva ad obiectum. Vndè potentia intellectiva vt sic præscindit à producenti intellectionem, & à non producenti. Intellectus enim creatus si producit intellectionem, non est quia intellectus, sed quia creatus & ex imperfectione sive tuli.

711 Dices 1. intellectio per se ipsam est intellectiva & intelligens: ergo superfluit alia formalitas potentiæ Nego antecedens, loquendo vt *quod*, vt patet, nam si poneretur in lapide, non ideò esset intelligens. Secundo. Inter potentiam perceptivam & cognitionem debet dari aliqua distinctio: ergo & ratio radicis, seu actus primi. Nego antecedens in divinis, ob rationem actus purissimi. Tertio, percipere est vivere: vivere est se movere & operari ab intrinseco: ergo. Nego min. de vita vt sic, nam intẽtionalis definitur per tẽdere intentionalitèr ab intrinseco. Vndè licèt intellectio concipiatur à nobis vt operatio, est inultimatè; nam in re solum est vltima actualitas cognoscendi, quæ à potentia perceptiva Dei solum differt, tanquam eadem omnino perfectio & formalitas, magis vel minus expressata per vnum, vel alium conceptum.

§. IV.

DISTINCTIO INTER TALES PERFECTIONES à num. 622.

715 NOta valdè diversitatem conceptus vltimati ab invltimato, ex num. 628. Inter potentiam ergo intellectivam, intellectionem, speciem impressam, & essentiam Dei, nulla est distinctio à parte rei adhuc virtualis; nam potentia cognoscitiva Dei, vtpotè actus purus, est in sua linea summè immaterialis; ac proindè debet esse ipsissimum suum obiectum, etiam in esse rei. *Vide à num.* 313. *de Trinitate.* Et debet esse omnis omnino formalitas talis lineæ. Nam intelligere Dei non componitur ex frustulis sicut nostrum, hic ex num. 218.

716 Dices 1. intelligere divinum vt intellectio participatur à visione, vt natura à gratia: vbi autem partibilitas, ibi distinctio. Resp. posse partiri, si summantur inadæquatè & præcisè vt natura, & vt cognitio, &c. secus si adæquatè & vt infinita & vt in se; nam sic sunt eadem formalitas, ita vt qualibet importet metaphysicè omnem omnino perfectionem suæ lineæ. Et licèt habeant definitiones diversas, non sunt diversæ de esse, sed ad summum de explicari conceptu claro vel confuso. Et sic loquimur in conclusione.

717 2. Ideò sapientia & bonitas Dei differunt virtualiter, quia in creatis realiter: ergo idem de intellectu & intellectione. Negò, ideò præcisè: sed quia etiam sunt de diversis lineis. 3. Sapientia Dei, scientia, &c. pertinent ad eandem lineam intellectivam, & tamen differunt virtualiter. Nego pertinere formaliter, sed solum materialiter, & inter pertinentia de materiali, non repugnat virtualis distinctio.

718 Infero 1. Nos verè in Deo concipere vltimatè substantiam vt *quod* intellectivam, intellectum proximè intellectivum, & intellectionem: nam omnia hæc verè sunt in Deo, ex conceptu essentiali ipsorum: licèt

stinctam formalitatem, ac essentia, licet dicas diversum munus nempè radicandi proprietates. Nec dicas secundo: Stare essentiam in immaterialitate, quia immaterialitas utpote ratio à priori intellectivitatis est prior ipsa. Resp. quod non est tam nobilis ac intelligere divinum completum ex substantia intellectiva, intellectu & intellectione. 2. Quod est transcẽdẽs. Nec dicas 3 Quod perfectius constitueretur Deus per plenitudinem lineæ intentionalis comprehendentis intellectivam & volitivam. Nego; nam nõ per intentionalem ut sic, cum intelligere sit quid principalius & addens specialem perfectionem maiorem supra vitam intentionalem: neque per aggregatum ex intellectione & volitione, aliàs Filius ex vi Processionis non acciperet totam essentiam metaphysicam Dei. Item quia essentia metaphysica est una perfectio non duplex. *Vide à num.* 339. *&* 343. *de Trinitate*.

722 Nec 4. Debere constitui per perfectum in omni genere aggregativè cum sit propriissimum Dei. Nego: quia illa non est perfectio specialis, nec radix aliarum, quod requiritur ad essentiam metaphysicam. Nec 5. Quod intelligere etiam convenit creaturis. Nam non convenit illis intelligere à se, vel necessarium. Nec 6. Quod in Deo perfectius est esse & prius quam intelligere. Respond. quod solum est prius prioritate maioris universalitatis, secus prioritate perfectionis, aut radicis.

723 Nec septimo: Quod sicut volitio supponit primum volibile, ita intellectio supponet primum intelligibile, ac proindè essentiam; nam intellectio est ipsum intelligibile, cum sit totum quod est de sua linea; volitio autem est alterius lineæ aliam supponentis.

724 Nec ultimo: Ergo intellectio est actus omnino reflexus, seu intellectio intellectionis. Conc. quod sit reflexus eminenter, imò & formaliter, si id sonet tantum, quod sit ipsa obiectum primarium suum.

§. VIII.

§. VIII.
DE OBIECTO SPECIFICATIVO INTELlectionis Dei.

725 DIco 1. ex num. 657. datur in Deo cognitio suæ essentiæ metaphysicę habens ipsam pro obiecto formali & specificativo. Est certa apud omnes.

726 Dico 2. hæc cognitio habet pro obiecto terminativo immediato attributa & relationes, quia cum sit comprehensiva Deitatis, attingit in ea identitatem cum attributis & relationibus, ac proinde comprehendit eam vt est ipsa attributa & relationes: sicut attingendo connexionem cum creaturis, attingit etiam creaturas. Cum hac tamen differentia; quod creaturas attingit in obliquo, nam attingitur omnipotentia vt productiva creaturarum; attributa verò in recto, nam attingitur Deitas vt essens volitio, iustitia, &c. hæc etiam est vis identitatis.

727 Dico 3. superflua est alia cognitio in Deo adhuc virtualiter, quia hæc secunda cognitio nec afferret novum obiectum cognoscendum, cum per primam cognitionem iam attingat Deus omnia sua, omnesque connexiones, & identitates: nec novam claritatem; nec affert de novo modum tendendi immediatum; nec melius obiectum formale & motivum quam Deitas. 2. Probant alij quia attributa & relationes sunt post intellectionem necessariam, & sic non ponunt sed supponunt esse specificum in ea.

728 3. Prob. ex num. 665. quia Deus omnia cognoscit modo ipsis magis consentaneo; & cum Deitas sit omnia sua & alias sit Exemplar omnium creabilium; sicut est omnibus ratio essendi, erit etiam medium à priori & ratio formalis pro omnibus assentiendi: ac proinde nulla datur in Deo cognitio specificata ab alio quam à Deitate. Et vnica cognitio adhuc virtualiter omnia necessaria penetrans.

Nec

729 Nec dicas 1. Creaturę sunt obiectum secundarium; ergo attributa primarium. Nego conseq. nam omnia attinguntur ratione Deitatis; licèt cum aliqua differentia: attributa immediatè & in se, creaturæ in Deo. Nec 2. in Deo datur scientia & lumen principiorum: ergo cum lumen specificetur ab essentia virtuali, scientia specificabitur ab attributis. Nego conseq. nam scientia & lumen sunt de essentia; lumen de essentia vt in se & primo vero; scientia de essentia vel vt radice logica Attributorum & ratione assentiendi illa, vel vt causa creaturarum.

730 Nec 3. Non Deitas sed veritas divina est communis omni obiecto divino; ergo non illa sed ista erit obiectum formale adæquatum. Resp. Nego antec. nam Deitas est ratio communis pro omni actu divino; non communitate prædicationis, sed continentiæ & denominationis, ex num. 677. Nec 4. essentia est attributa; sed essentia specificat: ergo & attributa. Nego conseq. ob distinctionem virtualem inter Deitatem & Attributa, & quia fit transitus de esse rei, ad esse cognitum. Vndè attributa immediatè & in se attinguntur, sed non ratione sui, sed ratione Deitatis, quæ quidem est ratio formalis pro omni obiecto divinæ intellectionis, sicut bonitas divina pro omni obiecto divinæ dilectionis.

§. IX.
DE OBIECTO CREATO.

731 Dico 4. ex num. 671. Nec ens vt sic, nec creatum possunt esse obiectum formale; non ens vt sic; quia cum sit proportionatum pro intellectu creato, erit infinitè insufficiens pro divino. Non creatum: Tùm quia sola divina bonitas est obiectum formale pro omni actu divinæ voluntatis. Tùm quia specificativum finitum nequit dare speciem infinitam. Tùm quia sicut repugnat intellectioni infinitæ finita potentia, ita & finitum obiectum. Tùm quia intellectui divino nequit

repræsentari primario, quid creatum; neque per speciem impressam creatam, vt est certum, neque per increatam, quia hæc non repræsentat primario creaturam, sed Deum, & in illo creaturam: imò eminentię productivę speciei creaturarum, non sunt pro repręsentare creaturas, sed pro producere earum species, & se habent vt medium cognitum.

732 Nec dicas 1. Creaturas esse veras, ac proindè obiectum Dei. Respond. attingi vt obiectum secundarium, sed non ratione sui. Nec 2. attingi à Deo omne verum omni modo, quo est cognoscibile. Concedo de omni modo ex parte rei cognitæ, sed non ex parte motiui; nam non attingit ex motivo quo à nobis attingitur. Nec 3. Obiectum formale debere continere omnia obiecta, quæ Deus cognoscit, quod solum habet ens vt sic. Respond. quod iam Deitas continet omnia; continentia denominabilitatis, & hoc sufficit. Nec 4. Creaturas iam esse possibiles in signo intellectionis necessariæ, ac proindè posse specificare illam. Respondetur: Nego antecedens, quia eorum esse est exemplabile ex essentia, & sic in signo vlteriori ad illam. 2. Nego posse illam specificare, quia nequeunt eam adæquare.

733 Nec 5. Esse perfectionem attingere creaturas in se ipsis & ratione ipsarum. Nego secundam partem. imò implicat, à finito aurire perfectionem infinitam. De prima vide à *num. 191. de Voluntate Dei*, doctrinam notabilem. Nec 6. Deficiente eminentia formicæ, adhuc ipsa nosceretur à Deo: ergo tunc in se ipsa. 1. Nego antec. 2. nosceтur in ipsa, sed nō ratione sui, sed sub lumine obiectivo Deitatis, vt dixi à *num 191. de Voluntate*. Nec 7. Obiecta secundaria etiam specificare, nam sine illis nequit dari ea cognitio. Imò Omnipotentia specificatur & pendet à formica, qua deficiente, deficeret. Respond. hæc omnia probare connexionem, sed non specificationem.

734 Nec vltimo: Scientia visionis creaturarum

pende

pendere à positione futuritionis, vel existentiæ, ac proindè specificari ab illis. Respond. talem scientiam non addere novam perfectionem supra necessariam, sed solum novam terminationem; & sic non sequitur, quod perfectio Dei specificetur à creatura. Adde omnem actum liberum specificari ab obiecto necessarij, cum includat illum.

735 Infertur, quod licèt Deitas sit obiectum formale infinitum scientiæ beatæ creatæ, hoc non obstanti talis scientia non evadit infinita, quia Deitas licèt infinita, finitè expressatur & attingitur. Et hæc de Epilogo Quæst.13.

QVÆSTIO XIV.

AN DISTINCTIO SCOTICA REPERIATVR INter divina Attributa.

736 SCotica distinctio, quam illè vocat formalem ex natura rei, & Nos maioris expressionis gratia, vocabimus *formalicalem*, non solum à Divinis sed etiam ab humanis reijcitur cõmuniter ab alijs Scholis; fortè quia inintelligibilis eis, visa est. Sed ego qui in ipsa percipienda aliquid insudavi, eam valdè intelligibilem invenio & veram probare contendò, Sed aliqua necessario præmittenda Iudico. Præcipuè autem diversitatem linearũ necessariam duxi pro eius explicatione. Quia autẽ de tali diversitate clarè, ni fallor, egi in tomo de Incarnatione à n.1515. quę ibi dixi hic verbo ad verbum transcribam, quia non omnes præ manibus illum habebunt.

ARTICVLVS I.

PRÆMITTITVR LINEARVM DIVERSITAS, & explicatio ex nu.1515. de Incarnat.

737 NOta 1. In rebus esse distinguendas diversas lineas, v.g. Entitativam Physicam, Intelligi-

gibilem, Moralem, &c. In qualibet autem illarum habitant Dominus domus, id est præcipuum analogatum, & omnia alia ad illam domum pertinentia. In Entitativa nempè, omnis entitas entitativè & sub modo physico & entitivo. In intelligibili, intelligere actuale vt Dominus domus, & quidquid specialiter conducit ad illud, vt causa, effectus, vel proprietas specialis eius. Sicut in domo sculptoris non solum adest imago sculpta, sed instrumenta specialia, & materia artis, & artifex ipse. In linea Morali, actus humanus, vt Dominus domus, & quidquid specialiter conducit ad illum vt ad caput lineæ.

738 Nota 2. Vnam & eandem rem posse pertinere, sub diversa ratione, ad diversas lineas & domos, v. g. cognitio fidei divinæ pertinet, vt ens ad entitativam, vbi habitat cum Deo, lapidibus, lignis, & omni ente, prout sub modo naturali & physico: vt intellectio, ad intelligibilem, vbi habitat cum intellectu vt intellectivo, & cum speciebus impressis, &c. Vt meritoria ad Moralem, &c. sicut ego vt Carmelita pertineo ad istud Cœnobium, ad Vniversitatem vt Cathedrarius, ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis vt Minister, licèt minimus ipsius.

739 Nota 3. Res posse comparari inter se, ita vt quatenùs sunt de vna linea, & sub modo illius, sint diversę; quatenùs autem sunt de alia, sint idem identitate propria, & speciali illius lineæ. Sic Prior Carmelitanus comparatus cum Laico suo, est idem quoad institutum, non quoad iurisdictionem. E contra comparatus cum Priore Dominicano est diversi instituti, & idem in iurisdictione. Quælibet enim linea habet suas specialissimas rationes identitatis, & alias diversitatis proprissimas in suo genere; ita vt quæ sunt idem identitate stricta in vna linea, v. g. in intelligibili, manere possint diversa, & distincta in entitativa sub modo physico, & naturali. Vndè diversitas in vna linea non sufficit excludere in alia strictam identitatem, (vt quidam imperfectè

hæc

hæc concipientes; malè existimant,) & ideò multis hoc declarare, & persuadere contēdo. ¶ Etenim in omniũ sententia, in linea morali valor viginti dracmarum in pecunia, & in Veste, est pro Theologo morali ita omninò idem, vt in confessione sufficienter exprimatur illud numero peccatum, dicendo: *Commisi furtum viginti dracmarum.* Licèt enim palium & pecunia realitèr, & specie differant sub modo entitativo & naturali, sunt tamen idem omninò identitate strictissima propria lineæ Moralis. Similitèr possunt esse aliqua idem in linea physica, in morali verò esse diversissima, v.g. Crux Christi antequam esset sua erat valdè diversa, ac postquam fuit sua; nam antea erat abominatio, postea summa gloria, licèt physicè semper eadem. De actione meritoria sumpta vt ens liberum, & sumpta vt honestum ex motivo, & principio superno, idē patet: quod evidentèr probat, cum identitate entitativa componi posse magnam diversitatem in linea alia nempè morali.

740 Item imago lignea Christi in linea repræsentativa, & ipse Christus, sunt idem: & ita omninò, & strictè idem, vt Imago illa sit in Altari, sitque pro cultu, & adoratione nostra ipsissimus Christus. Vide supra hic num. 577. istud exemplum de Imagine Christi.

741 Vt magis hæc clarescant observandum est, quod vna linea pro suis proprijs non curat de his, quæ in alia linea contingunt: sicut ordo gubernativus vnius domus non probat, eundem ordinem in alia domo etiã pro eisdem subiectis esse servandum: Sicut enim potest Religiosus in sua domo esse primus, quia est Prælatus, & longè præcedens subditum, & si sit Doctor Vniversitatis, in illa esse posterior tali subdito, Doctore antiquiori: Similitèr contingit vt res, quæ in vna linea idenificantur, in alia opponantur, & sint valdè distantia. Prob. Tùm in Tribunali Episcopi, & Vicarij Generalis, quod in Authoritate iudicandi est idem & ipsissimum, sine vlli quoad hoc, imaginabili distinctione; in personis autem, & sedibus ligneis datur entitativa diversitas.

tas. Tùm, quia nil magis idem physicè, quàm corpus mobile, & ens, siquidem physicè istud imbibitur in illo, tamen in linea scibili sunt tàm distincta & diversa, quod vt ens specificet Metaphysicam, secùs vt corpus mobile, sed specificat realiter & specie ab illis distinctam Physicam. Imò singularitas identificata cum gradibus specificantibus scientias, nullam scientiam specificat; & istis plures. Vndè patet, quod quæ in vna linea habent suas proprias identitates, proprias habent diversitates in alia, & quod possunt esse idem omninò in vna, & manere diversa omninò in alia. Et sic non valet argumentum de identitate in vna, ad identitatem in alia.

742 Quod si nos sæpè non possumus capere hanc identitatem in linea repræsentabili esse identitatem strictam, ideò est, quia cum simus asuefacti identitati physicæ grosæ, statim mens vadit ad illam & alias confundit cum ista, quærens in illis istam: & hoc sanè est confundere lineas, & non benè: sicut qui est asuefactus videre Prælatum Episcopum gubernare & conferre ordines, male faceret, si Priorem Regularem conciperet non esse Prælatum, quia eos non confert; cum sufficiat ei potestas suæ lineæ.

743 Dices 1. Hanc identitatem in linea repræsentabili, cum relinquat imaginem, in esse ligni diversam à vero Christo, non esse strictam. Contra. Quia licèt non sit physica, est stricta repræsentativa, ita vt si non esset identitas, adoratio Imaginis esset idolatria: est ergo rigorosa identitas pro illa linea, licèt sit distinctio realis pro alia. Dices 2. Imago adoratur, non quia repræsentativè sit Christus, sed quia similis Christo: similitudo autem est distinctio. Contra. Nam si non adoratur quia est Christus, sed quia similis: ergo non Christus sed aliquid distinctum à Christo adoratur, quod falsum est. Non ergo adoratur quia similis, sed quia Christus. Aliud enim est, quod hæc identitas cum Christo fundetur in similitudine physica & naturali figuræ & colorum Imaginis,

ginis cum Christo, sive respectivo ad Christum, & hoc est verum; & aliud quod adoretur lignum, quia simile, & hoc est falsum. Christus enim ipse adoratur in Imagine, quæ ipsimitas, sive identitas fundatur in naturali similitudine.

744 Præter has lineas entitativam, intelligibilem, & moralem, alia adstrui debet, nempè linea formalizalis, sive linea formalitatum propria, pro qua sit.

ARTICVLVS II.

DE LINEA FORMALIZALI, SIVE FORMAlitatum.

745 VT ea, quæ incipimus iam specialitèr dicere de linea formalizali possint, prodesse pro mente Scoti explicanda, præmittendum est 1. Scotum possuisse distinctionem mediam inter realem & rationis, nempè formalem ex natura rei (quam nos vocamus formalizalem) v.g. inter animal & rationale, quæ non est realis absoluta, sed realis cum addito. Dicitur *ex natura rei*: nempè ex natura ipsa animalis, quia animal in homine, licèt identificetur physicè grose cum rationali: tamen attenta natura metaphysica, definitione essentiali specifica, & meritis proprijs animalitatis, non est, sive poterat non esse rationale.

746 Nota 2. & valde, Scotum inter animal, & rationale eandem omnino identitatem physicam & grosam, quam ponimus omnes, admittere; æquè strictam, & cum æquali rigore. Vndè non solum inseparabilitatem, sed strictam admittit identitatem physicam, ita vt omnes propositiones de linea identitatis physicæ, quas nos asserimus inter formalitates identificatas, v. g. inter animal & rationale, admittat ipse. Differt enim solum ab alijs in eo, quod aliqui inter sic grose identificata, ponunt distinctionem solam virtualem à parte rei. Alij obiectivam fundamentalem & formalem per in-

intellectum, conservata semper identitate reali. Scotus autem ea conservata, ponit formalizalem, sive de linea formalizali sola.

747 Nota 3. Quod sicut linea entitativa est, *de quid à parte rei identicè physicè & grosè sit res?* Sic linea formalizalis & metaphysica est, *de quare sit res?* Sive dans fundamentum intellectui ad assertionem *de quare sit res?* V.g. Quare Petrus sit Homo? Respondetur enim, non quia animal, sed quia rationale. Sicut quare homo discurrit, quare differt à Leone? Non quia animal, sed quia rationale, nam non differt *se toto*, sed rationalitate. Propterea sæpè illam vocamus lineam *de quare*. Si autem verè & sine fictione rationale est, *quare Petrus sit Homo*, & animal non est quare Petrus sit homo: Clarè constat, quòd conceptus metaphysicus & formalitas rationalis, comparata cum conceptu metaphysico & formalitate animalis, faciant aliam lineam diversam ab entitativa: siquidem iuxta entitativam vnum est aliud; quoad *quare* vero, vnum non est aliud.

748 Desidero valdè, si quomodo possim hoc assumptum Anti-Scotistis persuadere, & sic nihil mirum! si plurium quæ sparsim dixi, hic & in aliis Tomis, hic congeriem faciam, ea licèt repetendo. Hoc enim postulat & assumpti solemnitas & studentium commoditas. Sic Ecclesia in Officio Romano Psalmos, (& etiam sæpè aliquas Lectiones) qui desummi poterant ex aliis eiusdem Breviarij locis, in Festis maioribus in Officio illius diei simul colocat, nec orantes citando remittit vt in eis quærant; quia sic melius prospiciatur & diei solemnitati, & recitantium alleviationi. Igitur.

749 Nota 3. ex *num.* 478. *de Trinitate*, non esse idem distingui absolutè ab alio & diversificari. Homo enim à Leone *se toto* distinguitur absolutè; non enim solum distinguitur in Homine à Leone singularitas, rationalitas, sed etiam animalitas est à parte rei distincta realiter à Leone. Et patet, quia destructa & mortua

ra-

rationalitate, etiam animalitas eius destruitur: Leone integro perseverante. At non *se toto* differt, sed sola rationalitate; nam animalitate omnino convenit, & conceptus metaphysicus verus animalitatis est in vtroque omnino simillimus, taliter vt apud Thomistas sit prædicabilis promiscue de quolibet. Ratio autem propter quam distinguitur *se tota*, & nō differt *se toto*, est quia distingui, (quod est proprietas entis) sequitur lineam physicam & grosam, cuius natura est, vt quod ens entitativè præstat, *se toto* idêticè præstet. At diversificatio non lineã physicam sed metaphysicam sive conceptum essentialem, atque lineam formalizalem, & de *quare* sequitur: iuxta quam vnum est simile Leoni, dissimile aliud in ea entitate: Et sic de eadem entitate physicè & grose eadem, verificari potest, quod diversificatur ab alia entitate, sed non *se tota*, sed aliquo sui.

750 Vndè ex *num. 476. de Trinitate*, admitti possunt & debent à parte rei metaphysicę præcisiones, *vel quasi præcisiones exigentiales*. Per quas de eadem entitate physica grosa, vna formalitas essentialiter à parte rei exigitur, alia à parte rei non exigitur. Si autem, quia animal cognoscitur, non cognito per talem cognitionem rationali vt tali, cognitio est præcissiva, non minori titulo præcissiva erit talis exigentia essentialis à parte rei. Sic creaturæ essentialitèr petunt Deum, vt Omnipotentem, non vt immensum, & multo minùs, vt Trinum nec vt idem cum Trino: sensatio connectitur cum homine vt animali, non vt rationali. Intellectio, cum obiecto vt vero, & non vt bono; licèt autem in sensu physico groso quoad producì, vel producere, non detur egresio ab vno, & non ab alio; secùs quoad *quare*, quoad *quo*, quoad exigere metaphysicè, vel quoad esse virtus, vel non esse virtus.

751 Ex dictis, probatur facilè, quod valdè differat linea formalizalis & metaphysica, à linea physica grosa. Tùm quia formalizalis vt dictum est, est à parte rei

præcisiva, secùs physica grossa. Ad physicam enim pertinet, quod absolutè res sit, vel non sit: ad formalizalem cum addito: *Quare res sit vel non sit*; id est, quod homo discurrat, quia rationalis, & non quia animal. Tùm quia pertinet ad physicam distingui ab alia absolutè, vel non distingui: Ad formalizalem distingui cum addito, nempè metaphysicè & formalizaliter sive ex meritis: Taliter, quod cum strictè, & formaliter identicè (id est per veram formam identitatis) sit alia: formalizaliter & ex meritis non sit alia, sed accidat animali, v.g. esse physicè rationale.

752 Tùm quia, ad physicam pertinet producere, produci, vnire, vniri, esse *quod* producit, esse quod producitur. Etenim in physica non habet locum, quod vna formalitas producatur vel producat, otiante alia, sed tota entitas, v.g hominis sentit; tota discurrit, aliàs darentur à parte rei contradictoriæ; secùs est in formalizali, quia licèt totus homo producat sensationem, sed non per totum, sed per animalitatem: totus Sol illuminat, sed non quia exiccativus, sed quia illuminativus. Totus Deus creat, sed non quia immensus, nec quia Trinus, sed quia Omnipotens. Totus punit, sed nõ quia Misericors, sed quia Iustus. Sic physicè Verbum est Filius, & accipit volitionem; sed non est Filius, quia eam accipit. Item generat totus Pater, sed *quo* generat tanquam Virtute, est sola intellectio, non volitio: & hoc sine vlla contradictione à parte rei, quia inter producere *per*, & non producere *per*, non est contradictio, sicut inter esse album per albedinem, & non esse album per frigus: datur ergo magna diversitas inter vtramque lineam.

753 Confirmatur: quia in creatis forma, & carentia de physicis repugnant à parte rei in eadem entitate. Atqui non repugnant forma & carentia de formalizalibus in eadem entitate, (sunt enim forma & carentia solùm cum addito, non absolutè sicut communicari, & non communicari;) ergo linea physica, & linea for-

ma-

malizalis sunt diversę à parte rei. Maior & minor sunt probatę in exemplis adductis numero praecedēti. Consequentia autem probatur. Quia ideò apud Thomistas linea intelligibilis sive repraesentativa est valde diversa ab entitativa & physica, quia quae in hac sunt realiter distincta, in repręsentativa sunt idem, idem; vt patet in Imagine lignea Christi. Atqui animal, & rationale, quae in linea physica sunt idem idem, in metaphysica, & formalizali & quaestionibus de *quare* sunt valde diversa: ergo linea physica, & linea formalizalis, etiam sunt valde diversae.

ARTICVLVS III. & §. I.

NOTANTVR ALIQVA PRO DIVERSITATE A distinctione virtuali, & rationis.

754 NOta 1. Quod identitas est habitudo illa propter quam verè dicimus, quod vnum à parte rei sit aliud, (sicut distinctio est habitudo illa propter quam dicimus verè, quod vnum à parte rei non sit aliud.) Quo pacto identitas vera permittat explicari per habitudinem, cū haec necessario importet distinctionem, diximus hic à *n.* 136. id fieri per cōceptus inultimatos, secùs per vltimatos. Hos conceptus accurate explicatos, & exemplis illustratos *Vide à nu.* 347 *de Trinitate.*

755 Identitas communiter dividitur in duas. Vna est realis, quę in Scholis extra Scoticam, etiam dicitur formalis à parte rei. Et benè, quia formale absolutę in hac materia summi solet pro contradistincto ab aequivalenti sive virtuali. Et in hoc sensu idem omnino est identitas formalis; ac identitas servans formam verę identitatis. In quo sensu virtuale dicitur illud, quod cum non sit identitas, exercet aliquod munus proprium identitatis, sive admittit aliquod praedicatum secundarium idētitatis vt diximus, à *num.* 115. *de Voluntate*

Sic virtualiter est idem vna dragma argentea cum 24. numis, quia eundem habet valorem in hoc Regno cum illis. Sed hæc in dragma apud multos est purè virtualis contraposita formali: apud me est moralis formalis.

756 Adhuc datur alia 3. identitas in Scholis extra Scoticam, media inter vtramq; & est identitas, quæ cum sit formalis est etiam virtualis, & solet appellari identitas adhuc virtualis; eò quòd excludat omninò distinctionem virtualem, non solum maximam, sed etiam minimam. Sic homo, & animal rationale sunt idem adhuc virtualitèr; idem quia servant strictam identitatem formalem à parte rei, sicut animal rationale. Adhuc virtualitèr idem, vt excludatur distinctio æquivalentiæ sive virtualis minima, quæ reperitur inter animal & rationale.

757 Hanc identitatem vestram adhuc virtualem vocat Scotus formalem, vel ex addito & ex natura rei, & nos formalizalem: cui opponitur distinctio formalis cum addito, sive ex natura rei, atque distinctio formalizalis: Cum enim omnis distinctio contraponi debeat alicui identitati, distinctio cum addito non contraponitur identitati formali absolutę; (quia hoc reservatur distinctioni reali absolutę) sed identitati illi adhuc virtuali, quæ est quoddam additum, & quædam arctitudo identitatis realis. Est enim hæc identitas tàm stricta, vt non solum sit habitudo, vt vnum sit realiter aliud, sed etiam formalissime metaphysicè, & etiam per metaphysicam inclusionem, atque impræscindibilitèr sit aliud. Dicimus ergo, quod sicut distinctio realis absoluta est realis exclusio quoad esse, vnius rei ab alia; ita distinctio formalizalis est metaphysica exclusiò vnius formalitatis à conceptu alterius: Vndè distinctio formalizalis, non negat quod vnum sit aliud, sed præstat quod vnum metaphysicè & formalizalitèr non sit aliud, id est, quod *quare* vnius non sit *quare* alterius, sed potius vnum excludatur metaphysicè à conceptu alterius.

ex-

758 Explico rem duplici exemplo declarativo: Vnum est ligni Crucis; quod physicè & identicè est idem, antequam esset Christi, & postquam fuit Christi: at moralitèr non erat idem, sed valdè diversum. Item pinge in vna & eadem tabula, sive in vna superficie tabulæ, duas Imagines: vnam Christi, ex vna parte superficiei, aliam Divi Pauli ex alia parte superficiei. Istę Imagines in esse physico entitativo, & qua ligneæ, sunt eadem omnino entitas, sive tabula; at in esse repræsentativo sunt diversæ & vna non est alia. Tabula ita est vna vt non faciat numerum. Imagines faciunt numerum, (idem dic de vna specie impressa Angelica rerum, præsentante duo obiecta diversa; talis species in esse entitativo est vna, in repræsentativo duplex) Similitèr animal & rationale in esse entitativo sunt eadem entitas, nec faciunt numerum; in esse formalizali non sunt idem sed duplex, & metaphysicè diversa formalitas; vna enim in esse formalizali sive ex proprijs meritis non est alia, sed exclusa metaphysicè ab alia, faciensque numerum cum illa.

759 Dices, hoc non probare, quod non sit alia, sed quod ex illo capite non sit alia: est tamen ex alio capite alia, nempè ratione identitatis, & sic verè est alia. Non ergo datur vlla distinctio inter vnam & aliam. Sed contra 1. Quia quando vna ex meritis non est alia, & tamen adhuc est alia; est alia physicè grosè, & hoc verissimum est, quia hanc identitatem cum sit alterius lineę, non negat negatio illa essendi alia ex meritis. Negat tamen inclusionem metaphysicam in alia: ergo licèt ex alio capite sit alia, tamen in esse formalizali, & metaphysico excluditur ab alia, & in linea formalizali non est alia. Confirmatur, quia vt sæpè dictum est, identitas, aut distinctio in vna linea, non est necesse sint tales in alia: ergo licèt animal propter diversa merita propria non desinat esse rationale identicè, & quoad esse; desinet esse rationale metaphysicè, quia ob meritorum diversitatem vnum inclusivè non est aliud, sed di-

diversos conceptus & formalitas ab illo: ergo unum non est aliud, non quidem carentia identitatis realis, sed exclusione diversificativa, atque expulsiva identitatis formalissimę, & apud nos formalizalis.

760 Contra 2. per vos animal ex proprijs meritis non est rationale, cum ex illis permitteret esse rugibile, (licèt alias identicè sit rationale:) ergo merita sive conceptus metaphysicus animalis non sunt merita, nec conceptus metaphysicus rationalis: ergo aliquam exclusionem metaphysicam important inter se, propter quam unum licèt identicè sit aliud, metaphysicè non est aliud. Confirmatur: nihil solemnius apud Thomistas quam dicere, in Deo intellectionem, & volitionem propterea fundare inter se à parte rei distinctionem virtualem, secùs intellectio divina, species impressa & obiectum, quia ista de eadem, illę vero sunt de diversa linea: ergo intellectio in Deo licèt identicè sit volitio, ex linea non est volitio, sed volitionis exclusio: ergo intellectio non solum virtualitèr, sed etiam formalizalitèr & linealitèr non est volitio.

761 Contra 3 Non solum qui diceret de igne, quod non sit calidus, ponit separationem inter ignem & calorem: sed etiam qui diceret, *ignis ex se non est calidus*. Cum hac differentia, quod prima propositio negat inter ignem & calorem actualem unionem, & alligationem inter ipsos. At 2. propositio non negat actualem, negat tamen aliam alligationem, nempè aptitudinalem & exigentialem. Utraque ergo propositio ponit divisionem inter ignem & calorem. Prima, divisionem actualem, quæ est divisio quasi oppositionis. Secunda verò divisionem saltim independentiæ & inconnexionis, & sic utraque separat: ergo similitèr utraque propositio, scilicèt: animal non est rationale: animal ex proprijs meritis non est rationale: ponit distinctionem inter animal & rationale. Prima, distinctionem actualem oppositionis. Secunda, distinctionem independentiæ, atque inconnexionis, sive disparitatis per quam

unum

vnum non est connexum cum alio, nec est formalizaliter metaphysicè nec inclusivè aliud, cum nec sit de conceptu alteriùs. Datur ergo à parte rei, quod vnum formalizalitèr non sit aliud.

§. II.

HÆC DISTINCTIO FORMALIZALIS VALDE alia est à virtuali, vel rationis.

762 PLures existimant circa distinctionem formalizalem Scoticam, vel Scotum pugnantia dicere; vel solum dicere nomine distinctionis formalis ex natura rei, quod alij dicunt alijs nominibus, nempè distinctionis virtualis, vel distinctionis rationis, quæ à parte rei est solũ fundamẽtalis. Sed re vera falluntur isti vt probabimus. Sed prius notanda sunt aliqua de distinctione virtuali, vt ex illis constet, quam diversa sit à formalizali. Et vlteriùs ex illa probetur à nobis existentia distinctionis formalizalis.

763 Nota ergo 1. Virtualitatẽ tunc dari, quãdo vna res nõ est alia quoad esse, tamen exercet aliquod munus illius proprijssimũ & specialissimũ, & nõ cõmune alijs. Nota 2. Quod in identitate, & datur primariũ idẽtitatis, & datur secũdariũ ipsius. (idẽ de distinctione, vbi etiam datur primarium & secundarium.) Primarium identitatis, sive essentia metaphysica ipsius stat in eo quod vnum sit aliud physicè, & quoad esse. Secundarium vero & proprietativum stat in eo quod vnum sit aliud, etiam quoad denominari & quoad dici, sive in eo quod dicatur & conveniat vni realiter, quod convenit, & denominat realiter aliud.

764 Primarium ergo distinctionis, stat in eo quod vnum non sit aliud, v.g. lapis non est Petrus. Secundarium vero in eo quod, id quod denominat Petrum, non denominat lapidem, v.g. Petrus est sapiens.

Petrus est Clericus, lapis non est sapiens; lapis non est Clericus.

765 Hæc secundaria, ita per se necessario sequntur suum primarium, & primarium ita connectitur cum secundario vt sint inseparabilia inter se attento lumine naturali. Vbi autem ob infinitatem vel alium titulum, qui sit supra lumen naturale, reperiatur distinctio virtualis maxima à parte rei, sive forma & carentia, poterit reperiri primarium sine secundario, imò cum secundario sui oppositi, v. g. identitas sine communicatione denominationum; imò cum carentia, & cum opposito talis denominationis, v.g. *Deitas est Paternitas*. Ecce primarium identitatis: *Deitas à parte rei est communicabilis. Paternitas à parte rei non est communicabilis*. Ecce secundarium distinctionis realis inter illas sine distinctione reali, & in hoc stat distinctio virtualis stricta: alia enim est lata.

766 Ex his sequitur duplicem dari posse in propositionibus obiectivis negationem. Vna, quæ neget esse, sive primarium identitatis, v. g. *Petrus non est lapis*. Alia, quæ neget denominationem sive secundarium identitatis, v. g. *Petrus non est corpus durum*, licèt tale sit lapis. Sola prima negatio est essentialiter & semper & vbique distinctio realis; quia distinctio realis est carentia identitatis, & hæc est ipsius definitio essentialis & primaria. Secunda autem negatio, licèt regulariter loquendo probet distinctionem realem, & eam per se supponat, sed per se ipsam non est distinctio realis, sed secundarium distinctionis realis, cum sit negatio denominationis vnius de alio. Vnde poterit in divinis verificari talis negatio denominationis, salva & incolumi permanente identitate reali, vt iam dictum est.

767 Et sic nihil probat istud argumentum: *Paternitas à parte rei non est communis tribus, sive non communicatur tribus: ergo distinguitur realiter*

ter à communi, & à communicari tribus. Siquidem distinctio realis à parte rei stat in non esse aliud. Concesso enim anteced. nego consequentiam: quia illa negatio asserta in antecedenti à parte rei, non est negatio identitatis in substantia, nec quoad esse (in qua sola consistit definitio distinctionis:) Sed est negatio solius denominationis & adiacentiæ, quæ negatio vtpotè secundaria distinctioni, salvari potest in divinis sine reali distinctione.

768 Ex his manifestè sequitur, quod distinctio formalizalis in suo conceptu essentiali est valdè diversa à distinctione stricta virtuali. Illa etenim est distinctio & exclusio vnius ab alio: ista verò in suo conceptu est indistinctio cum munere stricto distinctionis. Illa eo modo quo est distinctio est habitudo formalitatum se excludentium, & quasi respectiva ad formalitates, vt vna non sit alia. Ista verò in recto & primario est respectiva formalitatum, vt vna sit alia. Distinctionem autem imitatur non in se, sed in munere. Item distinctio formalizalis est habitudo quædam exclusiva formalizalitèr inter vnam formalitatem & aliam, v.g. inter animal & rationale: faciens, quod animal ex meritis, & prædicatis metaphysicis, & vt animal, non sit rationale formalitèr in recto, licèt identicè physicè, & grose maneat verè rationale, & in illa alia linea grosa perseveret idem.

769 At distinctio virtualis, etiam maxima & summa, faciēs comparationē inter formalitates distinctas, non ponit ex se inter eas in se ipsis, quod vna non sit alia, sed potius facit, quod essendo alia in primario identitatis, verè & in rigore admittat in illis, aliquod specialissimum secundarium distinctionis realis grose, & se gerat in forma & carentia, quasi physicè & grose esset vna, quid distinctum realiter ab alia. Vndè formalizalis importat prædicata distinctionis formalitatum metaphysicè diversarum, non verò physicè diversarum. Ex quo patet, quod distinctio strictè virtualis per-

tinet reductivè ad lineam entitativam, tàm quia identitas quam importat in recto, aliquid entitativum est, quam quia æquivalentia in secundario distinctionis realis, etiam videtur de linea entitativa cui æquivalet.

770 Ex his etiam sequitur diversitas distinctionis formalizalis à distinctione rationis obiectiva, sive fundamentali, sive formali. Nam formalis obiectiva consistit in obiici actualitèr intellectui vna formalitas quin obijciatur alia, quæ distinctio non stat in formalitatibus ipsis inter se, sed in attingi extrinsecè per cognitionem præscissivam. A fundamētali autē formalizalis etiam est diversa, quia illa stat in formalitatibus ipsis, non quidem distinctis inter se, sed vt attingibilibus cognitionibus præscissivis. Ista autem attingibilitas potiùs supponit eas formalizalitèr distinctas, quam stet in illa formalizalis distinctio.

ARTICVLVS IV.

DATVR A PARTE REI DISTINCTIO hæc.

771 PRobatur autem, quod detur à parte rei talis distinctio cum addito. 1. ex dictis. Etenim à parte rei, & datur vnum absolutè non esse aliud, vt *Petrus non est lapis* Et datur vnum non esse aliud cum addito. Atqui eo modo datur distinctio à parte rei, quo detur vnum non esse aliud: ergo datur à parte rei distinctio cum addito, id est formalizalis sive ex natura rei & ex meritis rei. Mai. quoad secundam partem probatur exemplis ab omnibus admissis, vel necessario admittendis. Etenim Paternitas in Deo quoad esse est Deitas; quoad communicari non est Deitas. Rationale quoad esse est animal, quoad exigi essentialiter à sensatione non est animal. Item quoad fundare demonstrabi-

bilitatem per medium sensationis non est animal, sicut nec per vos quoad actu cognosci cognitione animalis præcisiva, non est animal. Item quoad esse *per* sive quoad esse *quo* homo est sensitivus, non est animal. Item animal permissivè non est rationale: rationale verò adhuc permissivè nequit non esse rationale: ergo quoad aliud additum non est animal, licèt absolutè sit animal.

772. Quæ omnia verissima sunt à parte rei, siquidem sic cognoscuntur & iudicantur à mente divina asserente quod homo est discursivus, non quia animal, sed quia rationale. Item eliguntur à divina voluntate; Deus enim elegit Christum ad Redemptionem, quia erat intellectivus & capax meriti, non quia capax sensationis. Item apud Thomistas elegit permissionem peccati in prædestinato, non quia vilem ad peccatum, sed quia vilem ad alios fines, nec prædeterminat ad peccatum, quia malum, sed quia ens. Item Deus amat se amore stricto, quia bonum, non quia possessum: gaudet de se gaudio stricto, non quia bono, sed quia possesso; Tandem quia Deus noscit cognitionem specificari essentialitèr ab ente quia vero, non quia bono; è contra volitionem ab obiecto quia bono, non quia vero. Noscendo ergo habere diversa specificativa, necesse est iudicet quod veritas, licè physicè sit bonitas; formalizalitèr & essentialitèr sit diversa à bonitate: ergo cum inter has formalitates hìc expressatas, vni conveniat cum addito, quod non convenit alij, vna formalizalitèr non est alia.

773. 3. Quia hæc omnia necessario supponunt distinctionem formalizalem, non solum quasi extrinsecam & respectivam, & quoad exigi, sed intrinsecam inter ipsas formalitates secum comparatas. Probatur: Tum quia sicut licèt album sit dulce, esse album non est esse dulce, ita similitèr licèt animal in homine sit rationale, esse animal non est esse rationale: habent enim diversas essentias, sicut & diversas, atque disparatas diffi-

finitiones metaphysicè plenas & adæquatas. Tùm quia si à sensatione essentialitèr à parte rei exigitur in suo principio ratio animalis, & non exigitur ratio rationalis apud vos: ergo illa ratio non est ista, sed formalizaliter diversa ab ista. Consequentia probatur: quia de eadem formalitate sub eadem ratione, eo modo quo est eadem, repugnant forma & carentia à parte rei: ergo si non repugnant exigi ratio animalis, & non exigi ratio rationalis, sequitur evidenter quod illa ratio non est ista. Non quod non sit ista quoad esse grosum; quia in hoc non cadit præcisio, nec exigi & non exigi; sed quoad formalizale, & quoad *quare*; quia in istud cadit præcisio & exigi tanquam *per*, & non exigi, quia est diversum *per*.

773 Tùm denique & præcipuè; quia si animalitas fundat exigentiam, & rationalitas non fundat. Item animalitas fundat cognoscibilitatem ex sensatione per cognitionem exprimentem animal tantum, & rationalitas non fundat: ergo ideò est, quia à parte rei ante omnem intellectus operationem, animal dicit ex se aliquid per quod tanquam per rationem à priori fundet, & id ipsum non dicit rationale: ergo inter illas rationes primarias sive à priori, metaphysicè fundativas diversarum cognoscibilitatum, datur aliqua diversitas à parte rei: ergo & aliqua inidentitas sive distinctio conceptuum metaphysicorum & essentialium in radicibus cognoscibilitatum, & ante istas vt proprietates: sicut enim similitudo est quædam identitas, ita diversitas est quædam cum addito inidentitas sive distinctio.

774 Confirmatur: quia à parte rei animal & rationale, vel sunt idem omnino, omnino, nō solū quoad esse, sed quoad omnia omnino alia convenientia eis à parte rei ante omnem intellectus considerationem actualem; vel non sunt idem omnino, omnino. Si 1. ergo à sensatione, æquè exigitur vtrumque, æquè specificat cognitionem expressivam animalis; æquè concipitur clarè sub propria & speciali ratione per cognitionem expressivam

vam animalis: æquè ex meritis & permisivè non potest esse rationale; quæ omnia absurda sunt. Si 2. id intendimus.

775 Tandem probatur: quia plures sunt à parte rei formalitates, & conceptus Metaphysici perfecti, (quos Scotistæ vocare solent conceptibilitates perfectas plenas, & Metaphysicè independentes) realiter identificati; & tamen Metaphysicè vnus est exclusus ab alio. Atqui eo modo quo datur exclusio, etiam datur distinctio exclusiva, siue formalizalis: ergo à parte rei datur distinctio formalizalis. Maior in qua est difficultas probatur: quia si rationale includeretur in conceptu animalis, si per possibile, vel impossibile animal separaretur à rationali, illud sine isto non esset perfectè animal, sicut homo sine rationali non esset perfectè homo, eo quod includatur in isto. Animal autem seruat totum suum conceptum Metaphysicum integrum sine rationali, vt patet in Leone: ergo.

776 Confirmatur. Identitas, aut distinctio entitatiua grosa impertinentèr se habet ad inclusionem vnius conceptus Metaphysici in alio, ita vt illis ablatis, manent tales conceptus sicut antea, quantum attinet ad exclusionem, vel inclusionẽ. Vndè si ablata identitate ab animali cum rationali, manent omnino exclusi metaphysicè & verè (animal enim hominis præcissum à rationali apud Thomistas est vniuersale, & verè prædicabile de Leone, non autem posset esse tale, si non esset exclusum à rationali:) Ergo etiam ante præcisionem, erat metaphysicè & conceptibilitèr & formalizalitèr exclusum ab illo.

777 Declaro insuper ex his quæ docent Thomistæ in illa quæstione *de Trinitate*: An si Spiritus non procederet à Filio, distingueretur ab eo? Respondent, tunc manere eundem Filium metaphysicè, siue quoad esse metaphysicum & essentiale Filij; indistinctum tamen ab Spiritu Sancto. Procederet enim tunc tale suppositum per intellectum & voluntatem simul. Ex quo patet, quod

quod distinctio realis vel realis indistinctio, licèt faciant mutationem in linea grosa entitativa, in conceptibus metaphysicis Filij, & Spiritus Sancti, (id est procedendi per intellectum vt Verbum, & per voluntatem vt Amor) nullam facit mutationem, sed conservarent suos conceptus metaphysicos eosdem sicut nunc: signum ergo est quod identitas, vel distinctio non variant exclusionem: ac per consequens, quod si illæ formalitates animalis & rationalis, ablata identitate, manent exclusi metaphysicè, etiam cum illa erant exclusi, & formalitèr à parte rei distincti.

ARTICVLVS V. & §. I.

SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRA distinctionem formalizalem.

778 Obijcies 1. Inter animal & rationale datur formaliter identitas, sive forma identitatis: ergo non poterit dari formalis distinctio. Respondetur disting. consequent. formalis absoluta distinctio, concedo, (datur enim absoluta identitas.) Non poterit dari formalis diminuta, & cum addito, sive formalizalis, nego; quia ista non apponitur cum identitate formali reali absoluta. *Vide hic nu.* 755.

779 Obijcies 2. Animalitas exigitur à sensatione, & rationalitas non exigitur? Ergo vel datur distinctio realis absoluta, vel virtualis maxima: sicut inter Deitatem, & Paternitatem propter communicari, & non communicari. Respond. concesso antecedenti, nego conseq. Pro disparitate nota, *ex num.* 44. *de Voluntate*: Duplex dari genus formæ & carentiæ. Vnum absolutum, quando nempè forma & carentia sunt de re in statu suo entitativo, & à parte rei, suntque de re absolutè, & sine addito eadem, in eadēque linea entitativa & quasi physica. Sic Deitas & Paternitas sunt à parte rei idem & tamen à parte rei in illa linea physica, in qua sunt

idem

idem, Deitas identificatur à parte rei absolutè cum Filio, & Paternitas distinguitur à parte rei absolutè à Filio.

780 Aliud datur genus formæ & carentiæ, quod non est de eadem re entitativè absolutè, sed cum addito, nempè de eadem re, ita vt quando prædicatur forma & carentia, res sumatur cum admixtione alterius lineæ præter entitativam, verbi gratia, lineæ intentionalis: hoc autem erit esse idem, vel non esse idem solum quoad *quare*. Hæc forma & carentia non sufficiunt ad distinctionem in virtualem maximam; quia sunt cum *addito*. Patet: nam rugitus, v.g. à parte rei oritur physicè & entitativè à Leone; oritur tamen ab illo, non quia animal est, sed quia rugibile est. Totus enim Leo producit rugitum, sed non totus est ratio, & virtus producendi rugitum. Alia multa exempla, *vide à num 47 de Voluntate.*

781 Ratio autem est ex *num* 48. Quia quod operatio aliqua specialis oriatur physicè à supposito per vnam virtutem, & non per aliam. V. g. in diuinis per Omnipotentiam, aut Misericordiam, & in creatis per virtutem calefactivam, & non per illuminativam. Item quod suppositũ operetur physicè à parte rei, sive sit operativũ per hanc virtutẽ & nõ per aliã, nõ sonat in rigore, quod vna virtus operetur physicè & alia physicè cietur, (hæc enim essent contradictoria, vtpote forma & carentia de eadem linea physica) sed solum sonat, quod suppositum *se toto* operans; ab ista sola virtute & non ab alia habeat operari, sive esse operativum talis operationis specialis. Totus ergo Sol, v.g. vt suppositum, & vt *quod*, & tota entitate sua calefacit: sed quod totus & tota entitas calefaciat, non habet à tota entitate, sed à sola virtute calefactiva, tanquam à principio *quo*, sive tanquam à ratione Metaphysica *quare*.

782 Hinc respond. ad argumentum positum num. 779. quod in diuinis communicari & non communicati, licèt non faciant distinctionem realem, faciunt vir-

qualem maximam, quia Deitas entitativè & grosè transit ad Filium, Paternitas identificata cum illa, non transit ad Filium. Quod non evenit in eo, quod per intellectionē procedat Filius, & non per volitionē. Etenim solum fit, quod transeunte vtraque ad Filium, sola intellectio sit virtus, & *quare* respectu Filij, volitio non sit *quare*. Quæ forma & carentia sunt cum addito tantum.

783 Similiter non est verum, quod sensatio procedat in homine ab animali & non à rationali, sed solùm est verum, quod procedendo à toto; animal sit ratio quare procedit; rationale verò non sit ratio: & propterea sensatio exigentialitèr solum petat ex se animal, & solum sit medium connexum pro cognoscendo animali & non pro rationali. Sicut à creatione mundi solum exigitur à parte rei essentialiter conceptus metaphysicus Dei vt Omnipotentis; non verò vt identificati cum Trino (aliàs etiam esset medium vt Angelus ex ea demonstraret Trinitatem) & sic conceptus Omnipotentis à parte rei est per talem exigentiam essentialem petitus; & conceptus idētitatis non est petitus. Nec in hoc datur contradictio.

784 Obijcies 3. à parte rei animal & rationale sunt metaphysicè exclusivè distincta & diversa; ergo & à parte rei erunt relata relatione dissimilitudinis & diversitatis. Ponere autem relationem realem inter realiter indistincta est inauditum. Resp. disting. consequens. A parte rei erunt relata, relatione absoluta nego; quia hæc supponit distinctionem absolutam: relatione cum addito, concedo. *Vide infra Artic. 6. num. 811.*

§ II.

QVID SENTIAT IOANNES A S. THOMA.

785 POst hæc scripta incidi in Tomum primum primæ partis Magistri Ioannis à Sancto Thoma, vbi *ad Quæst. 3. disputat. 4. artic. 6. numer. 16.*

hanc

hanc Scoticam impugnat distinctionem. Sed meo videri, in re illam admittit, & solum verbis eam negat. Admittit enim inter animal & rationale *non identitatē à parte rei*; distinctionē verò negat, quia hęc solum datur vbi vnitas destruitur: animal autem & rationale manent vnum,& idem. Licèt enim vnum ex conceptu suo, vel ex se, atque ex proprijs meritis excludatur ab alio, sed adhuc manent vnum. Non esse autem aliud ex aliqua parte, consideratione, sive ex modo, non facit distinctionem à parte rei.

786 Sed Vir doctissimus meo videri, pondere veritatis præsus est & illam in re confessus, licèt verbis neget: imò verò si, non identitatem admittit ipse inter formalitates, id & nō amplius intendisse Scot. *in 1. dis.2. q.1.* asserit Pater Gonet *disput.3. de Attributis, art.2.* Contra verba autem oppono 1. Quia non identitas negat aliquam identitatem à parte rei, nihil autem aliud est distinctio, nisi identitatis negatio. 2. Quia animal ex conceptu suo non est rationale? Ergo saltem hoc modo est distinctum, sive habet modum essendi à parte rei distinctum à rationali, & conceptus animalis non est conceptus rationalis.

787 Contra 3. Quia Thomistæ plures identitates, & distinctiones metiuntur per modum. Sic Christus & Imago Lignea per modum repræsentantis, & repræsentatæ, sunt vnum & idem; cum absolutè sint non idem & distincta. Idem patet in alijs exemplis adductis de identitate, sive distinctione morali. Insuper quia inter Sanctum Michaelem, & Diabolum nulla est differentia quoad esse in altari physicè & grosè, & tamen est maxima diversitas inter eos in eo ipso, propter modum, quia Sanctus Michael est ratione sui, Diabolus ratione illius. Sanctus Michael vt adorabilis & Victor, Diabolus vt victus & vituperabilis. Ecce magnam à parte rei diversitatem essendi in altari, sumptam, non ab esse materiali essendi ibi, sed à modo.

788 Contra 4. Inter tales modos diversos anima-

lis ex se, & rationalis ex se, per se datur à parte rei ante operationem intellectus verè non identitas. Atqui illi modi non sunt quid realiter distinctum ab *ipsis formalitatibus* & conceptibus essentialibus metaphysicis, sed identificantur cum illis: ergo inter realiter grosse identificata datur à parte rei non identitas, sive quod vnus conceptus non sit alius, ante omnem operationem intellectus.

789 Contra 5. Quia Scoti scopus solum est, quod detur distingui realiter absolutè à parte rei, & detur distingui cum addito à parte rei. Si ergo animal & rationale indistincta absolutè, distinguuntur metaphysicè, & se excludunt ex proprio conceptu, hoc est distingui à parte rei cum addito. Nempè distingui ex conceptu ex meritis, &c.

790 Contra 6. Quia omnia quæ obijcit Ioannes à S. Thoma, eo solũ tendunt, vt nequeat eis convenire distinctio absoluta, qua vnum non sit aliud quoad esse, & hoc fatemur. Solùm enim intendimus carentiam identitatis quoad conceptus metaphysicos vtriusque, & hoc ipse concedit. Et video aliquos Thomistas annuere. Fortè sicut incipiunt accedere sententiæ in re, & verbis acquiescent. Quibus satis stabilita manet Scotica distinctio formalizalis à parte rei.

791 Vlterius vrgetur veritas huius distinctionis formalizalis à parte rei. Quia istę cognitiones sunt verę à parte rei: *Homo quia animal non est rationale; animal ex meritis animalis, non est rationale. Deus, quia Omipotens est creans, non qua Trinus, nec qua immensus.* Et idem de omnibus alijs cognitionibus & volitionibus adductis supra à nu. 773. Sunt verę! Ergo de obiecto verò à parte rei. Ita vt cum talia affirmant, non fingunt obiecta, sed supponunt: ergo talis distinctio non est rationis, sed potiùs est, & datur à parte rei distinctio formalizalis. Probatur consequentia, quia vt cum Thomistis dicemus Quæstione sequenti, dum explicemus distinctiones rationis, solum datur duplex di-

stinctio rationis, vna præcisiva vnius ab alio distinguens quidem, sed quin cognoscat distinctionem: & ista non fingit: Alia verò distinctionem inter indistincta cognoscens. Sed ista fingit. Atqui cognitiones à nobis adductæ, non sunt primi generis, nec secundi, quia non fingunt: ergo illa distinctio à nobis asserta & probata, non est rationis, sed formalizalis à parte rei, & ante omnem operationem rationis.

792. Tandem probatur à Scotistis, argumento vrgenti & difficili, quia Homo est similis Leoni per animal, & dissimilis per rationale, sive non similis in rationali à parte rei. Arguo sic: forma & carentia sunt contradictoriæ, si sint eiusdem de eodem & secundum idem. Atqui simile in animali, & non in rationali non sunt contradictoria in homine: ergo id ò est, quia licèt sint affirmatio & negatio eiusdem similitudinis de eodem homine, tamen non sunt secundum idem, nempe secundum eandem formalizaliter perfectionem à parte rei, sed secundum formalizaliter diversas.

¶ Nec dicas cum Arriaga, simile & dissimile solum esse formam & carentiam, quando aliquid est totaliter simile, & non simile, secùs quando aliqualitèr simile. Contra, quia Homo verè & vnivocè est simillimũ Leoni in principio sensationis: Et in hoc non est aliqualitèr, sed rigorose simile: habet autem esse aliqualitèr simile, quia non est similis in omnibus, sed in aliquo est similis, in aliquo non est similis, & hoc à parte rei: ergo verè à parte rei datur vnum in quo est simile, aliud in quo non est simile, & sic verè vnum, & aliud formalizalitèr.

793 Ex quibus sequitur, quod linea formalizalis est præcisiva, secùs linea entitativa. Vndè præcisio tàm intellectualis per intellectum, quàm exigentialis à parte rei, se habet vt lanceola, quæ dilicate scindit venam, & facit in brachio subtilem separationem in cute. At linea entitativa non scindit, sed est instar fustis grossi, quo si quis vellet ferire brachium, non scinderet venam,

nam, sed g[illegible] te br[illegible]chium commodeter. Inter exigentias autem essentialitèr connexas cum rebus ex actis & petitis, quædam sunt de linea grossa, quædam de formalizali: nec valet paritas de vnis ad alias. De prima sunt vnio physica, productio physica & similes, quæ sunt de tota entitate, & ad totam, (nisi vbi daretur distinctio virtualis maxima.) De secunda sunt exigentia principij, v.g. in creatura exigente Deum, qua Omnipotentem, & non qua Trinum, licèt in produci quod est iam de grosso, sit à toto.

ARTICVLVS VI.

ILLATIO CONTRA PRÆCISIONES FORMALES, & solum ex parte Modi.

794 EX hucusque dictis sequitur Doctos modernos, qui his temporibus acriter negarunt præcisiones obiectivas defendentes solas formales, & ex parte modi, parum solido fundamento & potiùs æquivocatione, quàm vrgenti ratione ductos fuisse, nempè quod cognosci animal, & nō cognosci animal essent cōtradictoria, & quia non minus repugnat eidem rei cognosci, & non cognosci, quam produci, & non produci. Falluntur enim, ex eo quòd omnia metiri velint per lineam entitativam grossam. Est enim longa disparitas: produci enim, & non produci sunt de entitativo in quo animal, & rationale sunt idem: & de eodem, eo modo, quo est idem, repugnant forma & carentia. At cognosci, & non cognosci sunt de linea intelligibili, in que animal & rationale non sunt idem, sed intelligibilitèr & metaphysicè diversa: & sic forma, & carentia nō sunt secundum idem, quia animal perfectè noscitur, rationale autem per sensationem, nec confuse sed pœnitus non cognoscitur. Ex quibus constat, quod non solum datur di-

distinctio obiectiva stricta per rationem, sed supponitur formalizalis à parte rei.

795 Prob. ergo contra eos. 1. Quia quando videtur animal à longe & non cognoscitur esse rationale tunc in obiecto ipso secundum rectum, animal est cognitum: ergo in obiecto ipso fit scisio, ita vt vna tangatur formalitas, alia non tangatur. Antecedens probatur, quia cum notitia non pariatur, nisi ex obiecto & potentia, vbi non datur species de obiecto, nec datur ipsius notitia. Atqui tunc animal noscitur per speciem sensationis, quæ nullo pacto est species rationalis, nec repræsentativa ipsius, sed solius animalis: ergo solius animalis, & non rationalis est illa notitia.

796 Dices: totum nosci tàm rationale, quàm animal, sed in ordine ad solum connotatum sensationis, & nõ in ordine ad cõnotatũ discursus. Sed contra. Tùm 1. quia per speciem sensationis, sicut nequit repræsentari discursus, ita nec principium speciale ipsius vt per se evidens. Tùm 2 quia si non noscitur illa entitas in ordine ad discursum; ergo ordo ad discursum manet ignotus; ordo autem ad discursum, cum sit ordo transcendẽtalis & principij, est de recto in se ipso: ergo aliquid de recto manet ignotum. Tùm 3. quia saltèm non cognoscitur clarè ordo ad discursum, & cognoscitur clarè ordo ad sensationem: ergo de recto ipso aliquid noscitur clarè, & aliquid non noscitur clarè: quæ æquè sunt contradictoria, ac cognosci & non cognosci. Tùm denique 4. quia de principio discursus nequit per illam specie reddi ratio; de principio sensationis queit reddi ratio. Ergo de eodem recto per eandem speciem queit, & non queit reddi ratio: ergo de necessitate ibi fit in illo recto aliqua obiectiva precisio.

797 2. Impugno eos: quia in physicis & moralibus plura sũt inintelligibilia, si talis exules à Scholis obiectiva precisio, in physicis, quia cũ specificativũ essentiale actus sit rectum obiecti, idem erit specie actus, cognitio animalis, & cognitio rationalis: imò Metaphysica speci-

ficata ab Ente vt sic, erit omnes scientiæ specificatę ab omni obiecto. In Moralibus: quomodo enim Deus poterit specificè displicere de operatione peccaminosa in se ipsa, & prout à creatura, & simul complacere de suo concursu generali, (imbibito in tali operatione) quatenùs per illum satisfecit obligationi primæ causæ, si eadem omninò esset formalitas impræscindibiliter? complacentia enim illa nequibit non essentialiter vitiari à toto, si totum attingit. Item plura in moralibus excusantur à culpa, eò quòd vnum ex identificatis sit volitum, & aliud non sit volitum, sed omnino præter intentionem. Sicut quando eadem actio est mihi commoda & iuxta ius meum; proximo verò est valdè damnosa, excusatur à culpa, quia sub prima ratione est à me intenta, iuxta secundum verò est quidem à me facta, sed non intenta. Sic auditio confessionis de peccatis venereis est volita à Parocho, vt est de sua obligatione, vt est periculosa non est volita. Si enim vtroque modo esset volita, periculosę ratio inficeret volitionem. Si ergo vna formalitas est volita, & alia in recto non, & vna intenta & alia præter intentionem: ergo fit in recto ipso præscisio. Idē patet etiam in volente occidere animal, & non volente occidere rationale, quia existimavit non esse rationale. Item in homine invaso, qui fugiendo potest occidere innocentem in via, quia illa non est intenta vt occisio innocentis, sed vt medium suæ defensionis, & hoc in recto. Cum ergo intellectus sit præcisivus ęquê ac voluntas, quis dubitet, quod detur precisio in recto inter tales formalitates?

798 In has & similes angustias deveniunt, qui pręcisiones obiectivas negant, & quod plus est sine vlla vtilitate, & solum ex fine solvendi contradictorias illas: tàm repugnat cognosci & non cognosci, quàm produci, & non produci: quæ tamen contradictoriæ non sunt. Etenim forma & carentia solum important contradictionem, quando sunt de vno, eo modo quo vnum

est:

est: non autem modo quo vnum non est. Formalizale autem in ipsis non est vnum, licèt physicè maneat vnum.

799 Ex quibus nota, in quo sensu verum sit, quod animal abstractum à Petro possit esse vniversale. Etenim tale animal sic abstractum per intellectum à rationali; imò & tale animal ex se formaliziliter, nullam dicit repugnantiam vt sit Leo: ergo nec vt sit in Leone, vel in homine, prædiceturque de illis. Antecedens patet, quia repugnantia tota proveniebat animali Petri, ab identitate cum rationali: Atqui animal ex propriis meritis, & vt metaphysicè præcisum à rationali, non dicit tale impedimentum identitatis: ergo ex proprijs meritis poterat esse, & Leo, & Homo, ac per consequens & vniversale.

800 Dices: adhuc non posse esse vniversale, nec verè prædicabile de Leone, sic: *Leo est animal*. Probatur: quia prędicatio vniversalis debet esse vera, & debet prędicatum identificari à parte rei cum subiecto: Atqui animal Petri, adhuc sumptum ex meritis animalis, non dicit veram identitatem à parte rei cum Leone. Ad summum enim dicet indifferentiam ad identitatem cum Homine, vel cum Leone: ergo nequit verè de Leone prædicari: ac per consequens, nec esse vniversale ad illud. Resp. conc. absque positiva identitate, non posse dari prędicationem veram, sive de vniversali.

801 Est tamen duplex vniversale, sive vnum in multis; vnum positivè existens iam in multis, vt homo in suis inferioribus: aliud permissivè, sive non repugnans esse in multis, quia ei ex se, non repugnat vt adveniret, si possibile esset, identitas positiva cum multis. Non ergo animal Petri est vniversale primo modo, sed secundo, quia ei, attentis proprijs, nulla inest incompatibilitas cum Leone. Idem dic de natura Michaelis entitativè immultiplicabili in linea physica, secùs in Metaphysica, & quoad non repugnantiam. Vndè etiam sequitur, quod quævis na-

nu-

fi.aia ab Ente vt sic, erit omnes scientiæ specificatę ab omni obiecto. In Moralibus: quomodo enim Deus poterit specificè displicere de operatione peccaminosa in se ipsa, & prout à creatura, & simul complacere de suo concursu generali, (imbibito in tali operatione) quatenùs per illum satisfecit obligationi primæ causæ, si eadem omnino esset formalitas impræscindibiliter? complacentia enim illa nequibit non essentialiter vitiari à toto, si totum attingit. Item plura in moralibus excusantur à culpa, eò quòd vnum ex identificatis sit volitum, & aliud non sit volitum, sed omnino præter intentionem. Sicut quando eadem actio est mihi commoda & iuxta ius meum; proximo verò est valdè damnosa, excusatur à culpa, quia sub prima ratione est à me intenta, iuxta secundum verò est quidem à me facta, sed non intenta. Sic auditio confessionis de peccatis venereis est volita à Parocho, vt est de sua obligatione, vt est periculosa non est volita. Si enim vtroque modo esset volita, periculosę ratio inficeret volitionem. Si ergo vna formalitas est volita, & alia in recto non, & vna intenta & alia præter intentionem: ergo fit in recto ipso præscisio. Idē patet etiam in volente occidere animal, & non volente occidere rationale, quia existimavit non esse rationale. Item in homine invaso, qui fugiendo potest occidere innocentem in via, quia illa non est intenta vt occisio innocentis, sed vt medium suæ defensionis, & hoc in recto. Cum ergo intellectus sit præcisivus ęquê ac voluntas, quis dubitet, quod detur precisio in recto inter tales formalitates?

798 In has & similes angustias deveniunt, qui pręcisiones obiectivas negant, & quod plus est sine vlla vtilitate, & solum ex fine solvendi contradictorias illas: tàm repugnat cognosci & non cognosci, quàm produci, & non produci: quæ tamen contradictoriæ non sunt. Etenim forma & carentia solum important contradictionem, quando sunt de vno, eo modo quo vnum est:

est: non autem modo quo vnum non est. Formalizale autem in ipsis non est vnum, licèt physicè maneat vnum.

799 Ex quibus nota, in quo sensu verum sit, quod animal abstractum à Petro possit esse vniversale. Etenim tale animal sic abstractum per intellectum à rationali; imò & tale animal ex se formalizaliter, nullam dicit repugnantiam vt sit Leo: ergo nec vt sit in Leone, vel in homine, prædiceturque de illis. Antecedens patet, quia repugnantia tota proveniebat animali Petri, ab identitate cum rationali: Atqui animal ex propriis meritis, & vt metaphysicè præcisum à rationali, non dicit tale impedimentum identitatis: ergo ex proprijs meritis poterat esse, & Leo, & Homo, ac per consequens & vniversale.

800 Dices: adhuc non posse esse vniversale, nec verè prædicabile de Leone, sic: *Leo est animal*. Probatur: quia prędicatio vniversalis debet esse vera, & debet prędicatum identificari à parte rei cum subiecto: Atqui animal Petri, adhuc sumptum ex meritis animalis, non dicit veram identitatem à parte rei cum Leone. Ad summum enim dicet indifferentiam ad identitatem cum Homine, vel cum Leone: ergo nequit verè de Leone prædicari: ac per consequens, nec esse vniversale ad illud. Resp. conc. absque positiva identitate, non posse dari prędicationem veram, sive de vniversali.

801 Est tamen duplex vniversale, sive vnum in multis; vnum positivè existens iam in multis, vt homo in suis inferioribus: aliud permissivè, sive non repugnans esse in multis, quia ei ex se, non repugnat vt adveniret, si possibile esset, identitas positiva cum multis. Non ergo animal Petri est vniversale primo modo, sed secundo, quia ei, attentis proprijs, nulla inest incompatibilitas cum Leone: Idem dic de natura Michaelis entitativè immultiplicabili in linea physica, secùs in Metaphysica, & quoad non repugnantiam. Vndè etiam sequitur, quod quævis na-

nu-

tura, v.g. Hominis, est à parte rei vna vnitate formali, non quidem vnitate formali positiva, sed permissiva, & non repugnantiæ, quia animali Hominis, verbi gratia, vt animal, nihil obstat ex proprijs, vt esset animal Leonis.

ARTICVLVS VII.

AN DISTINCTIO HÆC SCOTICA DETVR inter divinas Perfectiones.

§. I. SENTENTIA NEGANS.

802 NEgant communiter Thomistæ, Suaristæ, & ferè omnes alij. Supponendum est tanquam certum & de Fide, essentiam ab Attributis & Attributa inter se non habere distinctionem realem absolutam, quæ est inter rem, & rem, vel inter rem & modum. Sequeretur enim contra Fidem, quod Deus non esset simplex, sed esset cōpositus ex natura & Attributis, nec esset actus purissimus, sed perfectibilis per formas à se realiter distinctas. Quod est contra Concilium Remense sub Eugenio Tertio definiens contra Gilbertum: *Deum non nisi Sapientia, qua ipse Deus est, Sapientem esse; nec nisi magnitudine, qua ipse Deus est, magnum esse.* Confirmatur: quia Sapientia & magnitudo sunt ipse Deus? Ergo cum non detur vera prædicatio formæ de subiecto, à quo realiter distinguitur, sequitur certo, Attributa non distinguitur realiter à natura. His positis.

803 Arguit primo, contra Scotum, ex Thomistis, Pater Gonet *disputatione* 3. *de Attributis, artic* 2. §. 2. Hæc distinctio Scotica non minus lædit simplicitatem & puritatem Dei, quam distinctio realis Gilberti: ergo. Antecedens probatur, quia sicut

ex distinctione entitativa resultaret compositio realis entitativa, ita ex reali formali compositio realis formalis. Confirmatur: quia compositio est vnio distinctorum: ergo sicut distinctorum realiter est compositio entitativa realis, ita distinctorum realiter formaliter erit compositio realis formalis. Respondetur negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens: quia omnis compositio est vnio absolutè & strictè: inter Attributa autem datur stricta identitas, in qua consistit simplicitas; non autem vnio, quia licèt sint formaliter distinctæ, manent strictè & absolutè, & in linea entitativa omnimodè identificata, absque vllo compositionis & vnionis sapore. Vide dicta supra *à num.* 216.

804 Abstinui à respõsione illa, nẽpè quod vnio non detur inter Attributa, quia vnio debet esse necessario nexus potentiæ & actus. Tùm quia nobis sufficit pro solutione negare vnionem, (quæ sola facit compositionem) provt contrapositam identitati. Tùm propter replicas P. Gonet quibus probat, nõ requiri necessario ad compositionem, quod vnio sit actus & potentiæ, vt patet in composito ex Humanitate & Verbo, & in compositis integralibus.

805 Instantiam 4. quam facit, potest esse contra nostram solutionem, nempè: eo ipso quod essentia ponitur vt formaliter distincta ab Attributis, ponitur vt actuabilis & perfectibilis per illa: ergo eo ipso comparatur vt perfectibile ad perfectivum, & vt potentia ad actum. Respond. ego neg. antecedens: quia cum distinctione formalizali conservatur stricta identitas, vt sæpè dixi: igitur essentia non comparatur ad Omnipotentiam vt potens ab ea fieri Omnipotens, sed vt actu essens Omnipotens; nec vt actuabilis & perfectibilis, sed vt actu essens actuata & perfecta in linea de Omnipotentia.

806 Vltima eius replica pro primo argumẽto principali est, quod cum non detur omnimoda identitas, singque

quæ vnum, & non possint esse vnum per aggregationem, sunt vnum per compositionem. Sed falsa est prima propositio: datur enim omnimoda identitas, ac per consequēs, & simplicitas entitativa inter illas perfectiones distinctas & formalizaliter diversas. Sicut enim apud vos non est contra perfectam identitatem, quod intellectio ex linea non sit volitio, nec erit contra eam, quod ex meritis, conceptibilitate, & formalizaliter, vna non sit alia.

807 Arguunt 2 principaliter: Quia omnimoda simplicitas, æquè opponitur distinctioni, ac compositioni: ergo repugnat Attributis distinctio ex natura rei, vtpotè opposita simplicitati. Ant. probatur, quia simplicitas est species vnitatis, & vnitas consistit in indistinctione: ergo cum Deo conveniat omnimoda simplicitas, & indistinctio, exclusa manet quævis distinctio à parte rei. Respondetur negando antecedens, quia simplicitas non opponitur distinctioni omni, sed distinctioni partium, entitatem absolutè in multas partientí: siquidem in Deo omnino simplici datur pluralitas Personarum. Sed commodius ad rem præsentem, distinguo antecedens. Simplicitas opponitur distinctioni eiusdem lineæ, concedo. Alterius, nempè formalizalis, nego; quia sicut hæc benè stat cum perfecta identitate, ita & cum perfecta simplicitate. Fateor autem quod hæc est species vnitatis; & quod vnitas & indistinctio plena opponitur distinctioni, & pluralitati entitativæ, & absolutæ, sed non pluralitati formalizali, & cum addito.

808 Confirmo: Quia Persona Divina est simplex strictè, non obstanti distinctione virtuali: ergo & multo melius non obstanti formalizali, quia hæc est minor virtuali: nam virtualis admittit secundarium, proprium & strictum distinctionis & pluralitatis realis explicatum, hic *num.* 763. At formalizalis, tale quid non admittit, sed solum formam & carentiam cum addito; potiusque conservat strictissimam identitatem realem, &

plo-

plenissimam quoad primarium & secundarium, & in nullo diminutionem aliquam patientem, per formalitalem distinctionem. Quod quia adversarij non considerant, multa congerunt argumenta, quæ in re sunt contra distinctionem realem, cuius nullum saporem de primario aut secundario proprio, ipsius habet esse formalitalis.

809 3. Arguunt. Non minus est simpliciter infinitum quodlibet Attributum Dei, quævis perfectio & formalitas divina, quam ipsa entitas increata Dei, atqui hæc ob suam infinitatem petit sibi identificare à parte rei omnem perfectionem, sine imperfectione: ergo & quodvis Attributum. Confirmatur: quia cum actus purissimus excludat omnem potentialitatem, quodvis Attributum vtpote actus purissimus, concipi debet vt includens in se formalitèr omnem aliam perfectionem: ergo. Probatur antecedens, quia aliàs conciperetur impotentia ad illa. Respondetur concedendo totum argumentum de identificatione formali entitativa: negando de formalizali. Ad confirmationem respondetur, quodlibet Attributum esse simpliciter infinitum in suo genere, cum tamen entitas increata sit infinita in omni genere. ¶ Hinc respondeo distinguēdo antecedens; concipi debet vt includens quamlibet aliam perfectionem inclusione metaphysica & formalizali, nego antecedens: Inclusione entitativæ identitatis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem nego antecedens: quia Deitas etiam concepta, vt non includens metaphysicè & formalizaliter Omnipotentiam, sed vt distincta ab illa, concipitur vt verè & actu essens Omnipotentia, & non in potentia ad Omnipotentiam. Nūquam ergo cum fundamento, intellectus clarè concipiens Deitatem conciperet eam vt potentem ad Attributa, (fingeret enim talem potentialitatem) sed vt actualitèr essentem ipsa attributa, formalizalitèr à se distincta vt dicimus Nos; sicut, vt virtualitèr à se distincta, dicitis vos.

4.

810 4. Arguunt, si Attributum ex natura rei ab essentia distingueretur, vel esset quid ista superius, vel æquale, vel inferius? Non primum: quia nihil est supra naturam Dei. Non secundum: quia quod est distinctum à Deo, nequit esse æquale Deo, cum sit quid creatum. Non tertium: quia inferius Deo, etiam esset creatura: Respondetur negando maiorem: quia est per plenam identitatem natura Dei, & sic absolutè non esset superius, nec æquale, nec inferius. Si verò sermo sit in sensu metaphysico, formalizali, ex meritis, & linea: Respondetur, fortè Attributum esse inferius natura divina, quæ est de linea intellectiva suprema inter omnes alias, sed hoc in nullo diminuit omnimodam æqualitatem absolutam, quia cum quodlibet Attributum sit transcendenter divinum & à se, est per identitatem ipse Deus, & non datur aliquod maius esse supra esse Dei.

811 Arguunt vltimò, quia omnis distinctio, sicut & omnis vnio est relatio quædam, vel relationem importat. Ergo vbi non datur realis relatio, nec datur realis distinctio. Atqui in divinis inter essentiam & Attributa solum datur relatio rationis, & non realis. Theologi enim in Deo præter quatuor rationales, non agnoscunt alias relationes reales: ergo nec datur inter illa distinctio realis, sed tantum rationis. Confirmatur: ex Florentino dicente in Deo relationes ab essentia sola ratione & intelligentia differre. Respond. argumentum solum excludere alias relationes absolutè reales, & quæ à parte rei excludunt identitatem inter extrema relata. Solum enim de istis loquuntur Concilia, & Patres contra Hæreticos, ex eisque Theologi Scholastici desumpserunt. Cum enim solæ istæ relationes, constituant vel requirantur ad Trium Personarum realem distinctionem & numerum, solumque ex augmento & diminutione istarum, numerus varietur, solum curarunt de istis. Hoc tamen non tollit, quod sicut

tut conservata identitate stricta inter intellectionem, v.g. & volitionem mutuo connexas, datur formalizalis distinctio, ita & detur formalizalis respectus in vna ad aliam, atque relatio à parte rei cum addito, propria lineæ formalizalis, atque in hoc sensu ad argumentum concessa maiori, nego minorem. Ad confirmationem, respondeo Florentini mentem, solum esse loqui de distinctione rationis prout contraposita reali; quia tunc non erat cognita adhuc distinctio Scotica, sive formalizalis. Neque ad mentem Concilij aliquid interest, detur, vel non detur distinctio formalizalis imbibita in fundamentali rationis; dummodo conservetur plena & perfecta identitas, vt sæpè dictum est.

82 Assero, si essentia Divina, & Attributa summantur præcisè ex lineis specialibus, sive ex proprijs meritis ipsarum, distinctio formalizalis, & Scotica inter illa nullum importat inconveniens. Primò: quia adhuc manent solide & plene, idem & absolutè cum essentia & inter se, & absque vlla repugnantia cum Concilijs, & Patribus. Secundò: quia adhuc plenè salvatur inter ipsa omnimoda simplicitas verè & absolutè; siquidem nihil datur de vnione vt contraposita omnimodæ identitati in linea essendi. Item salvatur ratio actus purissimi, quia sicut Deitas, vt virtualiter distincta ab Attributis, eo quod maneat strictè identificata cum illis, nequit concipi vt potens ad Attributa, sed vt essens ipsa Attributa, ita vt formalizaliter distincta ab illis, concipitur vt essens illa, & vt actuata per illa impræscindibilitèr, & non vt perfectibilis per illa, sed vt iam perfecta per illa. Sicut enim apud Thomistas in materia de Visione, quod Deitas communicetur, & non Paternitas, non facit vt vna præcindatur ab alia per visionem Beatam Sed necessario concipitur vna vt actu essens alia; idem dicendum, licèt vna formalizalitèr non sit alia. Vndè ex tali distinctione nullum resultat inconveniens in Deo.

Tan-

815 Nota 2. has formalitates vocari essentialitates, conceptus, & conceptibilitates, & intelligibilitates, quia ex se ipsis ante actualem conceptionem habent conceptibilitatem radicalem & fundamentalem; imò & aliquæ eo quod habeant diversas essentialitates, habent etiam diversas conceptibilitates radicales & fundamentales, siquidem conceptus essentialis & metaphysicus animalis in homine, ex se ipso habet quod concipiatur, & demonstretur per sensationem exigentem illud; quod rationale non habet per ipsam sensationem. Vndè sicut via magis trita ad inveniendam distinctionem realem est separabilitas mutua extremorum; ita separabilitas mutua conceptuum per intellectum perfectè concipientem est potior via ad inveniendam distinctionem formalitatem.

816 Quæritur ergo 1. Quid sit formalitas, & quid res? Etenim datur res & formalitas, & etiam modus intrinsecus. Res est entitas quædam metaphysicè completa, & intra lineam metaphysicam ita vltimo contracta, vt non sit vlteriùs ordinabilis & contrahibilis; sed est integra & plena per genus, speciem, atque singularitatem contracta. V.g. Albedo, vel albedinis indivisibile. Vnio realis extremorum. Hinc sequitur, quod species, (tertia vox prædicabilis) non est res, sed formalitas, quia licèt sit tota essentia, est vlteriùs ordinabilis intra lineam metaphysicam ad individuum.

817 Formalitas autem est perfectio vel prædicatum illud, quod nec se ipso est existens, nec producibile sine alio, cui est per identitatem immersum, & comparativè ad compositionem metaphysicam est quid inadæquatum, & partiale; quia cum alia formalitate sibi adjuncta quasi componit rem, à cujus consortio habet sibi existentiam & productionem vendicare. Sicut ergo res est entitas physica, sive aliquid entitatis physicæ per realem compositionem, ita formalitas est

gradus rei, sive aliquiditas rei, sive aliquid ipsius per identitatem.

818 Ex quibus patet, quod distinctio realis grossa, non est necesse quod semper sit inter rem & rem; sed etiàm potest esse inter formalitatem & formalitatem, quando istæ sunt gradus non eiusdem, sed diversæ rei. V.g. rationalitas & rugibilitas. De modis agemus infra.

819 Quæritur 2. Quotuplex sit formalitas, & conceptibilitas? Respondetur, quod sunt in duplici differentia: quædam sunt inadæquatæ, & quædam adæquatæ. Conceptibilitas inadæquata est ratio sine alia imperfectè & inadæquatè, adhùc in sua linea conceptibilis: v.g. quando concipitur potentia visiva, prout præcisè est visiva coloris. Cum enim specificativuum essentiale intensivum potentiæ visivæ sit, non præcisè coloratum, sed lucidum coloratum. Conceptus intensivus essentialis erit virtus perceptiva lucidi colorati, ita ut nulla formalitas virtutis visivæ possit in linea oculari & visiva perfectè in suo esse specifico penetrari, nisi ut perceptiva lucidi colorati. Si ergo concipiatur præscindendo à luce, imperfectè cognoscitur formalitas virtutis visivę, quia ipsius essentialitas, non est perfectè penetrata.

820 Conceptibilitas autem adæquata est ratio secundum se, & in ordine ad proprias operationes perfectè & adæquatè conceptibilis in sua linea sine alia, v.g. animal in homine, quod conceptum prout principium sensationis præcisè, iam concipitur in sua essentia metaphysica intensivè, perfectè, & adæquatè absque commemoratione rationalis, vel irrationalis; quia sicut est omnino independens à quolibet eorum in sua essentialitate metaphysica, ita est omnino independens ab illis in suo concipi radicali, & formali. Hæc autem mutua separabilitas quoad perfectè concipi, sive diversa conceptibilitas perfecta, & adęquata *respectivè ad intellectum perfectè concipientem*, est quæ facit distin-

ctio-

ctionem formalem ex natura rei, sive formalizalem. Dum dixi *adæquatâ*; non intelligitur de adæquata respectu rei ex diversis formalitatibus integratæ, sed respectu talis formalitatis, & gradus metaphysici.

821 Ex his lucem accipiet difficultas illa de visione Dei: An ut vitalis, & prout in linea vitalitatis sit formalitas correspondens intellectui plena & perfecta: & contra vero, an ut superna sit distincta formalitas perfecta correspondens lumini? Respondetur enim in visione Beata tales formalitates esse imperfectas & inadæquatas, & non metaphysicè impermixtas, sed permixtas. Quia si concipiatur ut vitalis præscindendo à superna, non concipitur ut visiva Dei; ac per consequens nec ut plenè vitalis, sive in sua linea vitali, quia ut visiva Dei necessario & impræscindibiliter egreditur à potentia & matrice, ut elevata ex parte potentiæ. Nam solum ut sic est fœcundabilis à specie impressa Dei. Non enim est sermo de vitalitate ut sic, (quia hæc à potentia naturali sumitur, si sit vitalitas per actus naturales contracta) sed de vitalitate visiva Dei intra lineam vitalem. Idem patet in generatione naturali hominis; quæ ut est naturalis à viro imprescindibiliter est etiam à fœmina. Nam si non intelligatur productio fœtus à viro ut ex fœmina, non intelligitur perfectè prout generatio naturalis à viro.

822 A nobis est semel & iterum repetitum, quod conceptibilitas perfecta & adæquata, sive separabilitas perfecta conceptuum debeat esse in ordine *ad intellectum perfectè concipientem*. Per quod manet exclusa multiplicitas formalitatum ex parte concipientis. Etenim quando oculus à longe videt colorem viridem non distinguens quod sit viridis, sed cæruleus, (idem de apprehensione intellectuali subsecuta) ibi non datur præcisio formalitatum coloris ut sic, & viriditatis, sed potius datur sine ulla scissione, confusio, vel contusio earum, quod provenit à corruptione speciei, & imperfe-

fectione potentiæ, sicut & ab eis solet provenire quod oculus lipus de vna luce faciat plures. E contra est in formalitate & conceptibilitate adæquata, v.g. animalis sine rationali per speciem sensationis ab intellectu perfectè concipiente; quia quod ex vi sensationis animal concipiatur, & non rationale, ita provenit ex essentia animalis perfectè cognita, vt etiam ab Angelo, imò & à Deo comprehendente, nequeant ex vi talis medij & speciei demonstrari aliud præter formalitatem animalis.

823 Ex dictis sequitur, quod formalitas, seu conceptibilitas inadæquata videtur esse quasi media inter præcisionem ex parte modi ex imperfectione, & inter conceptibilitatem perfectam & adæquatam ex natura obiecti & perfectione potentiæ. Etenim inadæquata hæc summitur ab eminentia obiecti; quod licèt sit simplex, ratione suæ eminentiæ continet alia imbibita, vel connexa, quę intellectus connando explicare, ea explicat pluribus actibus. Quare eandem rem partitur conceptibiliter in plures formalitates, quę cum fundamento quoad exprimi habent rationem plurium, sed quia non sunt independentes & inconnexæ prout sic, ideó neuter illorum conceptuum est metaphysicè perfectus, quia non est vnus de vno gradu, alius de alio, sed omnes ab eadem summuntur formalitate. Hæc accuratius manebunt explicata ex §. 4. huius Artic.

§. II.

DE MODIS INTRINSECIS.

824 QVæritur. An & quid sit modus intrinsecus in ente metaphysico? Scotistæ docent ex Scoto *in quodlibeto 3. artic. 1. §. Secundo modo*, & *in 1. distinct. 8. §. ad primum principale:* Modum esse quasi quandam circunstantiam rei, quæ quidem non variat rationem formalem rei, cuius est modus,

dus,

dus. Non enim affert novum esse, sed est nova modificatio extraessentialis. Licèt enim prædicatis rei intrinsecè affigatur, sed non ad ipsa prout in primo modo essendi pertinet, sed potiùs illa prout sic supponit iam constituta.

825 Vndè alij explicant, quod modus sit illud primum, quod in essentia sive respectu essentiæ intelligitur tanquam determinativum, vel taxativum perfectionis talis essentiæ. Hinc modus non variat rationem illam formalem contractam per ipsum ad statum modificationis, nec variat constitutum & aggregatum ex tali ratione formali & modo, ita vt tale constitutum, (licèt aliqualiter per illud varietur perfectio) sit aliquid quidditativè diversum. Non enim adfert modus ille novum gradum quidditativum, ac per consequens, nec trahitur essentia per illum ad diversam quidditatem, quam habebat. Solum enim pręstat quidditati aliquam novam modificationem, perfectionem ipsius reddendo magis explicatam intra eandem quidditatem.

826 Exempla quibus hoc explicari solet, sunt. Albedo ex essentia sua duo habet. Primum est essentia ipsa albedinis stans in colore disgregativo visus. Secundum est quod per illammet perfectionem essentialem coloris disgregativi, eius Esse excedat in perfectione nigredinem. Hic excessus non addit essentiæ albedinis novum gradum quidditatis, nec variat illam: non enim albedo vt excessiva nigredinis est quidditatis diversæ ab ipsa perfectione essentiali albedinis. Addit ergo solum novam modificationem magis expressivam essentiæ albedinis per excessum ad nigredinem.

827 Mihi aptius, vel æquè aptum videtur exemplum, quo nos sæpè vsi sumus de rationalitate, vt essentia constitutiva hominis, atque de ipsa vt radice virtuali risibilitatis. Isti enim respectus sunt eadem omnino formalitas; & conceptus radicis nec variat essentiam hominis, nec addit novam formalitatem, aut quidditatem, sed eandem, atque ipsissimam formalitatem

principij discurrendi modificat versus risibilitatem cuius est radix, redditque quidditatem illam magis explicatam.

828 Addunt aliqui Scotistæ, modum istum intrinsecum, licèt sit metaphysicè quasi extra essentiale respectu gradus quidditativi rei & in secundo signo essendi, esse tamen illi ita intraneum, vt nequeat essentia ipsa absque illo concipi per sè. Sed hoc vltimum mihi non videtur vniversaliter verum de omni modo intrinseco, (nisi ad summum quando talis modus pertineat ad eandem lineam.) Licèt enim possit esse verum in rationali vt radice, propter exigentiam in ipso imbibitam proprietatum, secùs in albedine vt perfectione excessiva, & differentiativa à nigredine, quia non minus est contingens albedini, & de alia linea, quod à nigredine actu differat, eamque excedat; quam sit contingens animali hominis, quod conveniat cum Leone, & tamen animal perfectè noscitur sine illo respectu ergo. Licèt ergo essentialis sit cuivis formalitati metaphysica illa perfectio, & tantitudo perfectionis, in qua ille excessus fundatur, secus respectus ille actu excedentis sub ratione excedentis, quia excessus actualis est modus intrinsecus & contingens. Excessus quidem aptitudinalis est essentialis: sed essentia albedinis & perfectionis eius tantitudo, videtur satis concipi sine explicatione talis respectus, sed de hoc in §. 4. huius Artic.

829 Quod mihi se offert valdè notabile est hoc argumentum contra supradicta. Rationale sub ratione radicis virtualis risibilitatis, habet diversam definitionẽ verissimam à rationali sumpto sub gradu quidditativo rationalis, sive vt principio & virtute discursus, sicut & albedo ex se ab albedine intensa: ergo & diversam quidditatẽ. Vide omnino me à n. 318. de voluntate Dei, vbi latè distinxi duplex esse: Vnum de entitativo & formali, quod est esse absolutè. Aliud quod non est esse absolutè, sed cum addito, & sæpè est de solo virtuali,

quod

quod Esse cum addito, importat, non quidem novam quidditatem & essentiam absolutè, sed secundum quid, diminute, & non addens de novo aliquid de formali. Vndè eius additio nec variabit, aut immutabit quidditatem & essentiam rei, sed modificabit purè, & hoc est aliqualis additio, sive additum. Et licèt ab illo fiat additio, tamen magis & minus non variat speciem, & quidditatem; sed importat, imbibitque eandem, sicut albedo, & albedo intensa, aut remissa: quidditas, finita, vel infinita. Resp. ergo ad argumentū distinguēdo antecedens: rationale sub illo modo radicis habet diversam definitionem de formali, sive de esse, nego. De munere, de virtuali, sive de esse diminuto, & secūdum quid, concedo anteced. & nego conseq.

830 Dices: Apud Scotum, quod albedo sit intensa est novus modus intrinsecus: intensio autem addit novam entitatem, nempè vnionem inter gradus: ergo. Respondetur, quod vnio est sicut sal, (de quo infra num. 833.) quod si summatur seorsim addit novum esse, si non seorsim sed vt intrance immuxtum, non addit novum saporem, sed auget, & complet præexistentem. Sic vnio seorsim est novum ens. At in complexo albedinis intensæ, (licèt pro materiali addat aliquid novum formale) tamen solum est eiusdem modificativa, & additiva magis de albedine, lij autem *magis* non variat essentiam, nec quidditatem.

831 Præter exempla adducta de modo intrinseco alijs alij Scotistæ vtuntur pro modo intrinseco essentiæ, sive entis metaphysici. Et præcipuè exemplo existentiæ in homine. Etenim principia hominis solum sunt animal, & rationale; existentia autem si adveniat, totam hominis naturam, omnesque formalitates modificat, afficit, redditque existentes. Similiter si animali, & rationali adveniat singularitas, totam naturam & omnes formalitates individuat, redditque vltimo immultiplicabiles, secùs se habet rationalitas, quæ adveniendo animali non illud rationalizat, nec in propria linea

animalis modificat, aut transcendit; nec præstat quod tota hominis natura sit rationalis: sed potius quod addit, est nova formalis virtus & nova ratio discurrendi, tanquam quid diversæ lineæ, & nō omnia hominis transcendenter denominans.

832 Ex his primo ponunt differentiam inter modum intrinsecum comparatum cum essentia & proprietatem comparatam cum essentia. De proprietate enim dicunt esse quid extrinsecum naturæ; non quia illi non affigatur intrinsecè, sed quia non afficitur ita intranee, ut naturam & singula ipsius transcendat, sed semper manet & denominat ut particularis formalitas. At modus intrinsecus, licèt non sit essentiæ tam intrinsecus, sicut est intrinseca formalitas essentialis differentialis. (Hæc enim est in primo signo essendi) at intranee afficit, atque modificat essentiam & sæpè singula ipsius, adveniēs in secundo signo essendi. Quantùm ad hoc aliter se habet proprietas, quā est gradus specialis, & ob id modus est magis intraneus, quam proprietas. Dū ergo proprietatibus negatur intrinsicitas, sola illa negatur, quæ est per inclusionem, vel per talem, vel tam intraneam invisccrationem, quod illud sibi relictum non habeat esse nisi per aliud, quod modificat. Nam per se neque est gradus, nec Esse, nec formalitas. Proprietas autem per se ipsam est omnia hæc.

833 Existimo ego modum intrinsecum juxta hanc explicationem comparari cum formalitatibus quidditativis, sicut Sal bene & in debita quantitate temperatus comparatur cum cibis. Nam sal temperatus intraneæ immixtus, sic reddit sapidos cibos, completque eos in ratione & linea sapibilium, (qui aliter sine sale insipidi fuissent) quin tamen sal vendicet sibi aliquem specialem saporem suum disjunctim & seorsim à sapore speciali cibi. Similiter nec modus intrinsecus qui sit purè modus, habet seorsim esse formale suum, sed habet pro suo esse Esse alterius, illud purè modificando eiusquè perfectionem explicando; & essentia ante modum si hic

est

est eiusdem lineæ, erat quasi insipida, id est non plenè sapida ante illum.

834 Secundo ponunt, quod licèt modi intrinseci non sint formalitas naturæ; sunt tamen sæpè conditiones requisitę, & complementum naturę in ratione naturæ. Etenim isti modi quasi mediant inter essentiam logicam in ratione essentiæ, & ipsas proprietates. Complexum enim formalitatum essentialium potest considerari, vel vt essentia præcisè, vel vt natura. In esse essentiæ constituitur per id quod est in ordine ad se, & ad constituendum tale complexum, v.g. animal rationale penes sentire & discurrere. In esse naturę constituitur per hoc quod est esse principiũ mot⁹ & quietis, sive esse radicem proprietatum. In homine ergo sumpto metaphysicè, ratio illa radicis per quam perficitur in linea essentię; simulque completur in ratione principij proprietatum, (quod quidem adhuc est de linea essentiæ) est modus intrinsecus. Proprietates autem dicuntur extrinsecę, quia licèt inhęreant & perficiant essentiam, tamen perficiunt in alia linea, & ad hoc vt benè se habeat ad extra, scilicèt in ordine ad operationes ad extra.

835 Fit etiam 3. Quod essentia Logica per modum essentię non includit intra se modos intrinsecos istos, sicut eos includit in conceptu naturę metaphysicę, quia isti subsequuntur in alio signo essendi, essentiam Logicam: licèt ratio radicis, v.g. non dimanet ab illa, sed potiùs sit ipsissima illa formalitas, quin nova addatur de formali. ¶ Fit quarto: Quod modi intrinseci multo minus fluent à natura sub conceptu naturę. Tùm quia potiùs illam constituunt in ratione naturæ, nempè vt radicis. Tùm quia vsquedum talis modus adest, natura in conceptu naturę non intelligitur explicata. Tùm exemplis, quia finitas vel infinitas sunt modi intrinseci entis, & non dimanant ab ente vt natura metaphysica, quia illud pro istis non est ratio essendi à priori.

836 Tandem docent, quod essentia sine modis in-

trin-

trinsecis non habet conceptibilitatem adęquatam, nec è contra isti sine illa; quia nec illa sine istis, nec isti sine illa sunt metaphysicè completi. Sed quid sentiam de primo dixi nuper & dicam iterum §.4. De secũdo nempè de inconceptibilitate modorum sine essentia, placet nobis eorum sententia. Tùm quia isti non habent esse sine illis; nec sunt formalitas, nec quidditas, sed modificatio, taliter adjacens alteri; vt sit inexplicabilis sine illo, sicut dici solet de termino connotativo se solo non facere perfectum sensum, v.g. *Omnis, nullus, &c.* Tùm quia ut dixi, sunt sicut sal temperatus tàm intranee immixtus cibis, quod à se non habeat specialem saporem, sed solum sapitur sapore ciborum.

§. III.

DE STRVCTVRA ENTIS METAPHYSICI.

837 EXplicatis formalitate & modo, restat difficultas. Quomodo ens metaphysicum coalescat ex formalitatibus, & quomodo ad illud se habeat modus intrinsecus? Nota, quod sicut datur ens naturale physicum, constans suis principijs physicis entis naturalis, (v.g homo constans materia & anima rationali.) Ita & datur ens metaphysicum constans suis principijs, v.g. homo ipse animali & rationali. Sicut autem principia physica sunt: *Quæ neque ex se se mutuo, neque ex alijs*; sed ex ipsis omnia fiunt: ita animal & rationale nõ fiunt ex se se mutuo, & omne ens metaphysicum fit, & constituitur ex duplici formalitate, vna communi & alia differentiali contrahente communem, & cum illo constituente. Suntque tales formalitates quasi elementa, & pro esse specifico principia prima non supponentia alia priora; in complexoque vtriusque stat essentia, & natura metaphysica, tanquam prima proprietatum metaphysica radix: & propterea dici potest, quod omnia fiant ex ipsis. ¶ Differunt tamen principia entis

me-

metaphysici à principijs physici in aliquibus; & precipuè quia non solùm constitutivè vnum ex metaphysicis non fit mutuo ex alio, sed nec potest esse causaliter vnum ab alio. Secùs physicum, nam forma materialis causatur à materia (& fortè materia à forma in genere causę formalis.)

838 Ratio autem disparitatis provenit, quia cum principia physica distinguantur realiter, potest dari inter ipsa vnio & causatio realis; secùs est de metaphysicis. Ex his sequitur naturam metaphysicam plenam stare in complexo vtriusque formalitatis, quia illud se habet vt tota essentia, (quod est proprium speciei prędicari nempè vt tota essentia.)

839 Illud ergo complexum est prima radix omniũ proprietatum compositi illius, communium & specialiũ. Sicut autem natura physica plena est principium plenũ motus & quietis eius in quo est, ita & metaphysica plena principium metaphysicum, sive prima radix proprietatum, & motus, &c. Essentia igitur non est completa in ratione naturę quousque imbibat esse emanativa activè cęterorum, vt omnia dimanent, & fiant ex ipsa. Natura ergo hominis non est constituta plenè per ens; quia licèt dimanent ab ente proprietates entis, necesse est dari alia principia vt ab eis etiam dimanent proprietates substantię, corporis, animalis, & rationalis. Etenim in homine à complexo formalitatum omnium, scilicèt rationali, animali, substantia, & ente, proprietates omnes dimanant.

840 Vndè singularitas, licèt sit formalitas vel quasi, non est de linea naturę metaphysicę, quia non est principium nec virtus motus, aut operationis; sed solum est modus intrinsecus naturę & requisitum, ad hoc vt natura modificetur, compleatur & sit radix talis motus: & hoc est conforme *dictis à num.365.de Trinitate*, vbi diximus, quod singularitas non est operativa; & ideò Socrates, non genuit Socratem ex Aristotele. Dixi: *Pro-*

prie:

prietatum complexi cõmunium, & etiam specialium, & ipsam naturam plenam se habentẽ vt tota essentia, esse principium: nam sicut in ente physico materia prima, quę est natura incompleta, potest esse radix quantitatis, & proprietatis communis, ita & in homine ens est radix proprietatum entis, & animal sensuum externorum, tanquam proprietatum communium; specialium vero rationale. Omnium autem proprietatum principium vt radix, èst ipsa essentia tota & plena.

§. IV.

DE SIGNIS DISTINCTIONIS FORMALIS EX natura rei.

841 SAtis difficilè est figere pedem in assignanda regula certa pro distinctione formali Scotica, sive formalizali. Quidam 1. vbicumque inveniunt diversas definitiones arguunt ex eis diversas formalitates, quia cum definitiones debeant esse verę & conformes objectis, ista debent esse diversa, si illę diversę sint. Ex quo principio probant aliqui distinctionem formalem ex natura rei inter Deitatem & Paternitatem. Alij secundo ex contradictione sive forma & carentia eas inferunt vbicumque affirmatur de vno aliquid, quod de alio identificato negatur. Alij 3. ex connotatis diversis atque dispersis, v. g. Homo convenit cum Leone in sentire; differt in intelligere: è contra in hoc convenit cum Angelo, differtque in discurrere. Vnde etiam videntur ex quacumque similitudine & dissimilitudine cum alio eam inducere.

842 Sed nos dicimus. 1. Quod certa regula est, quam supra *num*. 815. assignavimus, nempè separabilitas & independentia mutua & plena vnius ab alio in concipi per intellectum perfectè concipientem. Vt enim ibi diximus, sicut signum certius distinctionis realis rerum

est

est separabilitas mutua earum: ita & signum certius distinctionis formalis à parte rei, est separabilitas mutua in concipi perfectè, & adæquatè per intellectum perfectè concipientem. Dixi distinctionis realis Rerum, nam rei distinctio comparatæ cum aliquo esse diminuto & cum addito, non probatur ex separatione à parte rei esse absoluti ab esse diminuto & cũ addito, vt diximus à *num*.331 *de Voluntate Dei.*

843 Hinc dicimus. 2. Quod aliæ regulæ præter istam non sunt securæ & certæ. Non 1. nempè, quæ summitur à diversitate definitionum; nam dicitur communiter quod non probet nisi ad summum distinctionem virtualem vel rationis; etenim inter discursum vt talem, & inter existere ipsius: it. super inter rationale vt principium discursus, & vt radicem risibilitatis, inter Verbum Divinum qua Verbum & qua Filium, non datur distinctio formalis exclusiva metaphysicè, sive distinctio ex natura rei: & tamen habent diversas definitiones. Quia tamen non sunt perfectè & adæquate conceptibiliter diversæ, non sufficiunt ad formalem ex natura rei distinctionem, vt diximus de præcisione inadæquata à *num* 819.

844 Vndè dicendum: Quod sola illa diversitas definitionum arguit distinctionem formalem, quæ fit per diversos gradus & conceptus metaphysicos se excludentes & de formali; non verò per vnum de formali quique habeat esse formaliter & absolutè, & per alium de virtuali, de additamento, vel connotatione, sive de esse cum addito, eo quod tàm illud esse, quàm aliqualis modificatio est sępè solùm extrinseca tali esse, de quo ex professo diximus à *num*.318. *de Voluntate*.

845 Dicendum 3. Non quamlibet formam & carentiam probare distinctionem formalizalem: Sed probat præcisè distinctionem commensuratam cum ipsa; non maiorem, aut minorem. Si ergo forma & carentia sint à parte rei & de esse, probant distinctionem absolutam realem. Si non de esse, sed de communicari intrin-

guetur formalizaliter ab homine, sive à rationali. Consequentia probatur, quia sicut animal est independens in esse & in concipi à rationali, ita & Ens: ergo & erit distinctum formalizaliter ab illo contra Scotum. Confirmatur. *Quare* Entis, non est *quare* rationalis: ergo distinguũtur quoad *quare*: ergo dabitur formalizalis distinctio.

848 Pro responsione memorare. 1. Quod conceptibilitas, vt sufficiat ad distinctionem formalizalem, debeat esse metaphysicè adæquata. Memorare 2. Quod res, si non concipitur cum toto esse suæ lineæ, non concipitur perfectè & adæquatè. Memorare 3. Quod formalitas, vel modus intrinsecus superveniens alteri formalitati, vel potest esse de eadem linea, vel de diversa. Si est de eodem (sicut rationale imbibens Ens) est de linea Entis numquam Ens etiam si ex meritis pręcisissimis Entis, non sit rationale, concipietur perfectè & adæquatè, si concipiatur sine isto. Respondeo ergo distinguendo antecedens. Vnum ex meritis non esse aliud non probat distinctionem formalizalem ab illo, si istud sit, vel includat eandem lineam cum illo, sicut rationale cum Ente, concedo; si diversæ lineę, sicut rationale respectu animalis, nego. ¶ Per quod patet ad probationem. Ad confirmationem, respondetur distinguendo antecedens. *Quare* Entis non est *quare* rationalis. Ita vt vnum non esse aliud sit per mutuam exclusionem metaphysicam adæquatam, atque diversorum graduum & linearum, nego antecedens. Ita vt sit cum inclusione metaphysica ex parte vnius, concedo antecedens, & nego consequentiam.

849 Obijcies 3. Ergo si id quod additur & manet ignotum, esset de alia linea, iam illa prima erit formalitas plene distincta, & conceptibilitas adæquata. Atqui hoc est falsum: ergo & illud. Probatur minor: quia in Deo voluntas necessaria potest plene concipi à Beatis sine libera vt tali; Et hæc quidem est de alia linea res-

pectu

adhuc non mutua, nec includentis ab incluso. Idem proportione servata de distinctione formalizali, quæ nisi sit mutua, & inter formalitates plenas & perfectas, nullo pacto erit distinctio formalizalis, licèt adsit præcissio perfecta vnius sine alio.

852 Sequitur ex his, non ex omni distinctione quoad *quare* sufficienter inferri distinctionem formalizalem à parte rei, sed solum ex mutuo perfectè & adæquatè se excludentibus. Quia quando non se excludunt, solum probant formam & carentiam per rationem cum aliquo fundamento, non autem à parte rei. Sic Pater Æternus est Persona, non præcisè quia subsistens, sed quia relate & incommunicabiliter subsistens. Homo est discursivus, non quia Ens, nec quia substantia, sed quia rationalis. Et licèt ista probent pro fundamento talium conceptuum aliquam diversitatem à parte rei, sed non illam metaphysicè plenam & perfectam atque mutuam, quæ sufficiat pro distinctione formalizali. In his igitur assertio de *quare* ex parte intellectus, est specialis modus tendendi quasi reduplicativus, (tamen sine deficientia à veritate,) sicut & voluntas habet suos speciales modos tendendi, quando vnum attingit propter aliud, & hoc sine fictione.

853 Sicut enim inter numos & cibos volitos voluntas habet fundamentum ab obiecto vt exerceat verè suos speciales modos tendendi, volendo nempè numos propter cibos, & non è contra cibos propter numos, (similiter volendo venenum, propter rationem medicativi, & non propter interfectivi,) ita & obiectum formalizaliter simplex, ob suam eminentiam, dat intellectui fundamentū vt sine fictione exerceat suos speciales modos tendendi præscissivè, imperfectè se gerendo. Sic Pater est Persona non præscissè quia subsistens, sed quia incommunicabiliter subsistens.

854 Quæres in fine: an separabilitas animalis & rationalis, quatenùs sunt principia sensationis, & discursus præcisè, sit perfecta & plena conceptibilitas?

Videtur quod sit. Etenim conceptibilitas perfecta in ordine ad intellectum perfectè concipientem non intelligitur de sola comprehensiva penetrante omnes modos, & omnia, quia hæc vix datur in nobis. Item, quia perfecta similitudo, & perfecta dissimilitudo, (non autem aliquales) sufficiunt ad distinctionem formalizalem. Illæ autem sufficienter salvantur inter animal, & rationale prout principia. Ex alio capite videtur quod non, siquidem animal & rationale imperfectè concipiuntur sine modo intrinseco radicis, quodlibet respectu suarum proprietatum. Sed (salvo Scotistarum iudicio) placet responsio affirmans, quia licèt conceptibilitas cuiuslibet formalitatis sit imperfecta in ordine ad se, quando concipitur sine suo modo: perfecta est quantum attinet vt vna pœnitus ex suis meritis non sit alia. Et in hac plena exclusione mutua stat distinctio formalizalis.

ALIQVÆ EMENDÆ, ET ADVERTENTIÆ valdè vtiles pro intelligentia totius Quæstionis, & resolutio quæst. Articuli octavi.

855 ADverte 1. Hanc vocem *formalitèr* sæpè inculcari in propositionibus de idẽtitate cum magna varietate suæ significationis. Primo, pro identitate reali absoluta nuda à parte rei, quæ dicitur identitas formaliter, eo quod servet à parte rei formam identitatis, & sic: Dum dicimus, *animal formaliter est rationale.* Lij *formaliter*, appellat copulam identitatis: & huic identitati opponitur distinctio realis, rei à re à parte rei. Secundo, pro inclusione in esse metaphysico, sic dicimus: *Quod Homo formaliter est Ens.* Tertio, pro identitate stricta à parte rei, non solum in esse; sed etiam in muneribus. Et hęc contraponitur virtuali, ita vt non patiatur distinctionem vllam virtualem. Sic dicimus: *Quod rationale formaliter &*

for-

formalissime est principium discurrendi; quia non admittunt diversa munera. *Vide à num.* 754.

856 Quarto, pro inclusione intellectuali etiam per rationem, & hæc summitur in objecto ab arctitudine stricta identitatis nuper dictæ. Et ex parte actus ab impręscisivitate cognitionis, utrumque simul imprę-scindibiliter attingentis.

857 Tandem pro identitate quacumque ex dictis, addendo, quod prædicatum se habeat instar partis formalis respectu subjecti, quod se habet ut subjectum denominabile, & instar partis materialis: ut v.g. *Homo formaliter est risibilis*, *Deus formaliter est volens*: Utique à formalitate volitionis, ut à forma denominante volentem, quod fortè solum invltimatè est verũ. Dum nos diximus n. 778. & alibi, quod animal & rationale sunt à parte rei, idem *formaliter*, summebàmus ly *formalitèr* in primo sensu, id est à forma identitatis realis, quàm verè habent à parte rei, & non aliter, nec in alio sensu.

858 Adverte secundò, quod in nu. 828. lineis quatuor ante finem, ly *modus intrinsecus* est errata pręli; debetque dici *extrinsecus*: nam in essentia albedinis excedere actu nigredinem non est alia formalitas, sed modus contingens & extrinsecus; aptitudinalitèr autem excedere est modus intrinsecus: sed sine isto expresse declarato, essentia albedinis sumpta in ratione essentię sufficienter est plene conceptibilis modo *nu.* 828. à nobis explicato.

859 Adverte tertio: Nos inter Deitatem, & Attributa admittere formalem denominationem, sed non formalizalem compositionem. Quia quævis compositio, eo modo quo est compositio, stat in unione, si realis in reali, si virtualis in virtuali. Nos autem Deo omnem negamus conceptum unionis & saporem ipsius tàm realis, quàm virtualis, & multo magis formalem: Tùm quia repugnat formalis unio. Tùm quia ut Deus

denominetur strictè & formaliter Omnipotens, non requiritur nexus cum sapore vnionis, vel secundum aliquod proprium & speciale vnionis sive primarium, sive secundarium vnionis: multo enim meliùs id præstat identitas sub conceptu identitatis realis. Quod si supra vel alibi admisimus in Deo virtualem compositionem, vel his terminis vsi summus: loquebamur cum multis, & nō tàm examinata re, ac modo est: vel potius loquebamur iuxta conceptus nostros imperfectos, & inultimatos. Vndè Deitas nequit sine fictione concipi in potentia ad Attributa; sed debet potiùs cōcipi vt essent actu, & purissime ipsa Attributa, ex *n.*809.

860 Ex quibus patet, quod pluralitati formalitatum in Deo non officit simplicitas, etiam si sit species vnitatis, nam vt simplicitas, solam excludit vnionem & compositionem, non identitatem: vt Vnitas vero solum excludit pluralitatem eiusdem lineæ, non alterius, siquidem nec Vnitas Dei plures personas, nec Petri plures partes compositivas, nec Civitatis plures Domos excludit, pluralitas autem formalitatum est de alia linea ab absolutè reali.

861 Adverte quartò: Ex eo quod Deitas verè transeat & communicetur Filio & Paternitas verè realiter absolutè non transeat, benè argui à Scotistis in Deo distinctionem formalem, vt constat ex *num.* 771. Male tamen Adversarij eis opponunt ex eorum argumento sequi distinctionem absolutam realem: cum enim hæc forma & carentia non sit de esse, solum convincit de reali distinctione secundarium; sed non primarium. De quo supra *num.*769. At de formalizali convincit primarium, vt constat ex *num.*768.

862 Adverte tandem, quod quia formalitates quædam distinguuntur ab alijs ex meritis, ac per consequens & ex se ipsis; cognitio directa de ipsis non distinguit, sed supponit eas distinctas & essentialiter mutuo exclusas & independentes. Tales sunt animalitas,

&

& rationalitas, quæ ex propria essentia metaphysica sunt Virtutes & principia ad operationes peculiares exercendas, & distinctas realiter à parte rei, v. g. sensationem & discursum. Aliæ verò formalitates, (quæ ex se non dicunt talem independentiam, nec exclusionem, nec sibi vindicant proprias, & speciales operationes vltimo cōtractas & realiter impermixtas, ad quas talis formalitas se ipsa sit Virtus plena & totalis vt animalitas ad sensationē) solum distinguuntur prout vestitæ cognitionibus præscisivis, quarum vna non exprimit clarè, quod alia: vt v. g. vna rationale vt ens & non vt principium discurrendi. Quando enim dicimus: *Ens vt ens distinguitur formaliter à rationali*; intelligitur non de ente in se, sed de ente vt vestito cognitione expressiva entis & non expressiva rationalis, & in his verificatur fundamentum supra dictum *à num.* 852. ad modos speciales tendendi ipsius intellectus. Pro primis formalitatibus non sufficit, (quidquid dicant Thomistæ & Suaristæ,) sola distinctio virtualis aut rationis, sed necessaria est formalizalis, & ex natura rei, secùs pro alijs.

863 Hæc etenim propositio est vera & supponens objectum verum: *Animal ex meritis animalis, & vt principium plenum sensationis in re exercenda, non est rationale, sed exclusum & divisum, atque positivè independens ab illo* : & è contra, de qua cognitione judicativa vt vera diximus supra à *numer.* 791. Sicut enim loquendo de Calice consecrato verissimum est dicere: *Ibi non solum est sanguis Christi, sed Corpus est ibi*; *ex vi tamen Consecrationis Corpus non est ibi.* Ita similiter est verissimum in animali hominis, *quod rationale titulo identitatis grossa est ibi.* Sed *ex vi & meritis animalis, non est ibi.* Hoc autem nequit dici de formalitatibus transcendentibus. Cùm enim in subsistentia personali Patris Æterni non detur duplex subsistere; vnum incommunicabile, & aliud communicabile, (quia istud est proprium subsi-

RESOLVTIO ARTICVLI.

866 Respondetur ad Quæstionem contentam in titulo Articuli octavi, præter eas perfectiones & formalitates plenas & adæquatè conceptibiles, (de quibus diximus à *n*.802. dari in Deo) etiam dari alias, quibus repugnet formalizalis distinctio, quales sunt respectu Deitatis subsistentia absoluta, Æternitas, infinitas, & aliæ similes. Ita communiter Scotistæ. Ratio autem est. Tùm quia Deitas cum sit actus purissimus debet per se ipsam esse perfecta in linea substantię summe perfectę, & completæ & perseitatæ, vt diximus sopra à *nu*.206. Item æterna per modum perfectionis necessariæ & determinatę ad semper existere & durare, quo pacto non est perfectio specialis, sed transcendens, de qua supra *numer*. 418. Item infinita per modum essentis perfectè in sua linea plus & plus, & sine termino.

867 Tùm 2. quia hoc pacto explicatæ istæ perfectiones, se habent vel transcendentes, vel vt modi intrinseci Deitatem complentes, absque eo quod illam ponant in nova plena diversa linea, sed intra eandem modificent illam. Tùm 3. & denique, quia ipsę per se non habent esse, seorsim essens; & seorsim à Deitate ipsa, (vel ab alijs Attributis specialibus, quæ modificant, vel transcendunt) perfectè, & plenè conceptibile; nec habent diversas plenè definitiones adæquatè, atque independentes ex linea: ergo nequit eis competere formalis ex natura rei, sive formalizalis distinctio. An Iustitiæ & Misericordię? Scotistę viderint.

868 Objicies 1. His perfectionibus repugnat distinctio formalizalis in Deo? Ergo & omnibus. Consequentia probatur: Quia nulla, nulla dantur Attributa habentia diversas definitiones indepēdentes, & adęquatas adhuc ex linea: ergo nec distinctio formalitatum ex meritis & ex natura rei. Antecedens probatur. Duplex

tiâ definitio de divinis perfectionibus. Vna à Beato videnre & cognoscente omnia Dei vt sunt in se: Alia à Viatore cognoscente ea vt significantur diversis nominibus, & noscuntur diversis conceptibus. Primo modo sicut non dicunt diversa Esse, sed vnum, ita nec diversas definitiones, sed vnam. At secūdo modo dicū diversas, sed non perfectas, nec adæquatas, nec per conceptibilitates independentes: ergo numquam datur inter ipsa distinctio formalizalis.

869 Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem, loquendo ex linea, nego antecedens. Ad probationem eius, nego adhùc respectu Beati dari vnicam solam definitionem de intellectione & volitione. Licèt enim Beatus videat ibi vnicum tantum esse grossum & reale, sed videt multiplex formale; & stupidè videret, si non videret rationes formalizales & de *quare*. Videt enim Verbum & Spiritum Sanctum differre inter se, & Spiritum Sanctum non esse Verbum, eo quod procedit per voluntatem, & non per intellectum. Item, quando videt Beatus nos disputare, an detur in Deo Amor strictus, scit profectò, quis altercantium attigerit veritatem, & quis nō: ergo videt determinatè, an detur in Deo verè Amor de se possesso, quia bono. Vel an non detur, & sic penetrat rationes metaphysicas, & vt vna nō est alia. Et hoc præcipuè habet verum in specificativis intellectus & voluntatis, nempè veritate & bonitate; cum enim nequeat non videre illas potentias esse diversas, cum per vnam procedat Verbum & non per aliam, nequit non videre habere diversa specificativa ab eis petita, sicut videt quod creaturæ petunt Deum vt Omnipotentem, & non vt Trinum. Habet ergo de Deo vnam definitionem & intuitionē de toto grosso, ita tamen vt penetret vtrumque *quare* vnius & alterius, cum eorum exclusione formalizali.

870 Objicies secundo: In Deo intellectivum ex

se infert volitivum ex conceptu intellectivi, & ratione actus purissimi, & infinite perfecti imbibita in intellectivo divino, infert autem in Deo per identitatem: ergo absque volitivo, intellectium numquam erit perfectè conceptibile; & idem de volitivo respectu intellectivi, & de quavis perfectione divina, quæ vt simpliciter infinita & increata, necessario imbibit exigentiam, connexionem, & dependentiam ab alia in esse & in concipi: ergo numquam dabitur distinctio formalizalis inter vllas Dei increatas perfectiones. Respondetur, ex sæpè dictis actum v.g. intellectivi divini, esse & concipi verè vt purissimum, si concipiatur vt essens verè aliud, & absque vllo sapore receptionis, potentialitatis, & indifferentiæ ad illud. Quæ omnia sufficienter excludit stricta identitas realis, sive esse essens aliud per identitatem. Nec enim ad hoc necessaria est metaphysica inclusio. Insuper & est considerare intellectivum & volitivum provt increatum & divinum; & est considerare illa præcisè provt ex linea. Primo modo qualiter se valeant excludere, dicemus Quæst. sequenti, art. 3.

871 Nos quoties asseruimus distinctionem formalizalem, locuti summus ex linea, & hoc pacto se excludunt metaphysicè, licèt materialiter conservẽt strictam rationem actus purissimi per identitatem. Et hæc de distinctione formali ex natura rei. Vide Quæst. sequen.

QVÆSTIO XV.

DE DISTINCTIONE RATIONIS INTER DIVINAS perfectiones.

872 QVAMVIS distinctio formalis Scotica sit tàm exactè fundata, vt visum est. Fortè aliqui eam renuent admittere, eo quod eorum principijs minus conformis eis videatur. Pro istis ergo necessarium duxi, distinctionem rationis inter ip-

ipsas examinare in hac Quęstione. In qua etiam Scotista reperiet aliqua, quę multum prodesse possint distinctioni Scoticę, præcipuè art. 3.

ARTICVLVS I.

ALIQVA PRÆNOTANTVR DE DISTINCTIONE rationis. *Vbi de compositione generis, & differentia in Deo.*

873 Distinctio rationis, quę (licèt pręcedere valeat fundamentaliter in ipsis rebus,) formaliter & in actu exercito fit per cognitionem ipsam, Duplex est apud Authores. Prima fit à ratione sive intellectu præscindente, sive per cognitionem scindente vnum pręd icatum ab alio, ita vt cognitio vnum noscat, & exprimat, aliud non exprimat, nec cognoscat: sed intactum & inexpressatum relinquatur foris & extra actum. Hæc distinctio fit per apprehensionem communiter. Quæ quidem non noscit distinctionem, sed facit; Cum solum vnum extremum noscat, non cognito alio, consistitque in ipso actu vt forma. Facit autem sine mendatio juxta illud: *Præscindentium non est mendatium.* Vt quando intellectus videndo à longe aliquid se movens & vociferans, cognoscit quod sit animal. Nihil omnino noscendo de differentia ipsius.

874 Secunda distinctio rationis fit ab intellectu per modum objecti cogniti & expressati, scilicèt expressando per cognitionem, quod vnum non sit aliud. Quæ distinctio nō solum est ab intellectu facta, sed cognita; imò & ficta, atque Ens rationis regulariter: fitque per iudicium, vel per alium actum comparativum vnius extremi cum alio. V. g. quando intellectus concipiēdo animal & rationale, eave inter se comparando, concipit distinctionem realem inter illa; & hæc cognitionem non habet pro forma, sed pro causa efficiēti. Dixi *realem*. Si enim solum concipiat virtualem & ęquivalentem, istam nec

fin;

fingit,nec facit,sed supponit à parte rei.Et idem apud Scotum, si (servata inter ipsa reali identitate) concipiat solam distinctionem formalizalem, & ex meritis.

875 Dixi,quod illa distinctio realis cognita, & expressata,est *regularitèr* ficta.Nam non semper.Si enim illa comparatio distinguens inter formalitates,fiat solū per conceptum inultimatum non sistendo in illo, nulla datur fictio; si vno quasi ductu emendet per vltimatum concipientem,quod licèt illę formalitates ob imperfectionem nostram, vel ob analogiam ad creaturas, conceptę sint vt realiter distinctę, verè tamen non sunt distinctę,sed realitèr identificatæ.

876 Ex quibus sequitur,quod distinctio purè virtualis intra lineam puram virtualitatis,sit minor distinctione rationis; quia ista qualiscumque sit,habet prędicata formalia distinctionis, illa verò potiùs habet formalia identitatis cum aliquali munere distinctionis. Benè verum est,quod virtualitas ista,si est perfecta,apud Scotū cadit supra distinctionem formalizalem à parte rei, apud alios vero cadit supra merita tàm diversa, quę fundare solide possint virtutem ex parte ipsius rei vt noscatur vnum sine alio.

877 Distinctio rationis dividi solet in duas.Nempè rationis ratiocinantis,& rationis ratiocinatę.Illa dicitur, quæ nullum supponit fundamentum ex parte rei, sed summitur totalitèr vel fere, ab intellectu distinguente, & multiplicante pro sua potestate, & faciente multa de vno,quę nec actu,nec virtute sunt multa.Solet poni exemplum in hac propositione,*Petrus est Petrus*, vbi intellectus inultimate concipiens, facit de Petro subjectum & prædicatum,& quasi duo.

878 Ad hanc reduci potest distinctio rationis fundata purè in eadem omnino omnino formalitate sub diversis connotationibus purè extrinsecis, vt si de rationalitate vt tali pro libito intellectus ob similitudinē,cum alio

ra-

rationali, & dissimilitudine cum Leone duas faciat formalitates sine vllo fundamento à recto, vel ab intrinseco rei, sed à connotationibus extrinsecis facientibus virtualitatem diminutam, de qua *num.*845.

879 Distinctio autem rationis ratiocinatæ est illa, quæ supponit ex parte rei talem virtualitatem, quæ præbeat fundamentum vt de vno faciat plura, vt de homine duo principia, sentiendi nempè, & ratiocinandi; & hęc distinctio ratiocinatę, est de qua diximus in initio Articuli esse duplicem. Vnam nempè, quę fit per præcisivam apprehensionem. Alia vero per comparativam, aut iudicativam conceptionem.

880 Distinctio autem rationis ratiocinatæ præcisiva, adhùc distingui solet in duas. Vna est per plenam, & totalem præcisionem, sive avulsionem, (de qua *num.* 863.) quæ habeat pro fundamento metaphysicam exclusionem vnius ab alio. Alia per non talem præcisionem, sed ita vt vnum includatur in alio. Vt ens in rationali, & subsistentia in relatione divina personali. Quæ quidem solum distinguuntur & præscinduntur penès conceptus implicitos & explicatos, fundatos in eminentia rei. Quando igitur Theologi inquirunt, an, & quomodo perfectiones divinæ distinguantur ratione; quæstio non est intelligenda de distinctione ficta vt diximus *num.*167. sed de præcisiva totali, ob metaphysicam exclusionem, & conceptibilitatem vnius sine alio (& hoc etiam si non detur distinctio Scotica) vel de precisione partiali nuper explicata.

881 Adverte tandem, communiter Doctores in pręcisione formalitatum exclusiva & totali (pręter id quod est, quod vna formalitas actu non includat aliam, a qua abstrahitur) requirere, quod ita excludat, vt maneat *in potentia ad illam*, vt contingit in gradu generico respectu differentialis. Et hoc ideò docent, vt servetur Analogia compositionis metaphysicę cum physica, quæ fit ex potentia & actu. Propter cuius im-

per-

perfectionem potentialitatis, negant Deo posse esse sub genere, componique ex genere & differentia. Ego licèt in formalitate plenè præscindibili, admittam quod debeat esse à rebus avulsa, id est ab alia formalitate, de quo supra à *num*.863. Sed illa ratio, atque conceptus potentialitatis superadditus essentiæ animalis, v.g. respectu rationalis, cogitatus ex parte rei cognitę omnino est fictitius & inultimatus. Sufficit enim pro quasi coalescentia hominis ex animali & rationali, quod animal ex meritis sit præcisivè exclusus à rationali, & quasi indifferens ex meritis, determineturque postea à rationali per puram identitatem.

882 Potentialitas ergo, atque Analogia ad compositionem physicam, si summatur ex parte ipsarum, & in ordine ad se atque vt intrinseca ipsis, est ficta, atque inultimata comparativè ad tales formalitates exclusas genericam & differentialem. Sola autem potentialitas ad cognitiones, confundentem & differentiantem extrinsecas ipsis formalitatibus, estque ibi reperitur, estque requisita pro compositione generis & differentiæ. Vndè ex hoc capite potentialitatis hæc compositio non est denegaunda Deo (si ex alijs capitibus non repugnet, v.g. inclusionis metaphysicę, vel alicuius alterius repugnantię.) Vide supra à *num*.231.

883 Quænam ergo distinctio rationis reperiatur in Deo? Triplex solet referri Sententia. Prima, quę tribuitur Nominalibus, admittit solam rationis ratiocinantis absque fundamento ex parte recti intrinseci, sumptam vel à solo libito intellectus, vel purè ab extrinsecis connotationibus nuper explicatis. Secunda, admittit distinctionem rationis ratiocinatę, plenè & perfectè pręcisivam vnius Attributi ab alio, quia scilicèt, nec Deitas illa includit, nec è cõtra; sed mutuo metaphysicè se excludunt. Ita communiter Recentiores. Tertia, talem inter ipsa admittit metaphysicam inclusionem, vt solam admittat præcisionem partialem.

Dei-

Deitas ergo Attributa, & hæc mutuo Deitatem includunt, sicut & ista relationes, ita vt non differant, nisi tanquam conceptus clarus & confusus.

ARTICVLVS II.

EXAMINATVR SENTENTIA NEGANS Inclusionem inter essentiam & Attributa.

884 NOTA 1. Non esse idem includi & transcendere, siquidem anima rationalis includitur in homine, item & animal; nec tamen transcendunt suas compartes. ¶ Nota 2. In Sententia ponente Deitatem non in sola intellectione, vel in aliqua alia perfectione speciali, sed in aggregato ex omni perfectione absoluta, vt tenet Albiz cum alijs, essentia claudit omnia Attributa, secùs Attributa essentiam. Sermo ergo non est in hac sententia, sed in communi ponente essentiam in intellectione formali vel radicali, vel aliqua alia non transcendenti, sed speciali vnius lineæ perfectione. Negat ergo inclusionem communis RR. sententia, quàm Herize *disput.3.cap.2.* ex professo propugnat contra Nominales & Thomistas, item contra Suarez, Granado, Arrubal, & alios. Impugnatur ergo mutua inclusio.

885 1. Ex Damasceno *lib.1.Fidei cap.12.* Basilio *libr.1.cap.1. contra Eunomium*, Divo Thomæ *in 1. distinct.2. artic.2.* & Cyrillo N. *lib.2. Thesauri*, cuius verba sunt: *Non omnia, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur vt vsu quoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus*: ergo ex Cyrillo metaphysicè sunt extra essentiam: in quo contra Arrubal non est inconveniens.

Ra-

886 Ratione probatur ex Herize *num*.6. Si essentia includeret Attributa, v.g. volitionem, essentia esset quoddam totum includens, & volitio pars inclusa: & sic esset quid maius, & volitio quid minus (quia totum est maius parte) essentia contineret, & volitio contineretur. Si autē volitio includeret essentiam, esset volitio continens & maius, & essentia contenta & minus; atqui repugnat his recta ratio, nec potest cum fundamento ita concipere. Patet, nam se habere vt totum continens, est vltra vnam partem continere aliam, quæ sit extra istam; esse verò partem contentam est contineri intra totum, & nihil habere extra illud. Repugnat autem eandem rem habere aliquid extra aliam, & totaliter claudi intra illam. Quod autē si essentia includeret Attributa, deberet esse totum & ista essent pars, probatur: nam si essentia esset totum includens & volitio, v.g. non esset pars, non intelligitur quomodo clauderetur in essentia.

887 Probatur: nam dupliciter intelligitur inclusio vnius in alio, vel vt pars quasi physica, vel vt formalitas metaphysicè inclusa in alio; atqui volitio non potest esse formalitas essentiæ vt includentis: ergo deberet esse quasi pars virtualiter physica. Minor probatur: Quia non potest dici quod intellectio divina sit formalissimè volitio, sicut de homine dicimus, quod est formalissime substantia, eo quod ista includitur in illo per modum formalitatis. ¶ Probatur: Tùm quia intellectio, & volitio habent diversa connotata & ęquivalent multis. Tùm quia essentia metaphysica se habet apud vos vt radix volitionis, & hęc vt denominans illā. Tùm quia essentia ex vi Processionis communicatur Filio & volitio non. Tùm denique, quia hęc prędicatio est falsa: Intellectio divina vt intellectio est volitio: ergo si essentia est includens & volitio inclusa, non est inclusio per modum formalitatis, nec metaphysica, sed quasi physica, & per modum partis; ac per consequens minoris toto.

Nec

888 Nec vrget 1. contra hoc, essentiam non forè infinitè perfectam in genere entis. Respondebit quis: intensivè, nego; extensivè, concedò. Nam solùm est infinita formaliter in proprio genere, eminenter verò in alijs. Sed contra, quia non est infinita in genere entis adhuc intensivè, nam sunt intra lineam entis perfectio volitionis, & Omnipotentiæ, perfectio strictissima & specie diversa à perfectione intellectionis: ergo non imbibitur in intellectione secundum prædicata essentialia; nec vt extensio quædam perfectionis intellectivę, sed vt perfectio alia valdè diversa addens Deo perfectionem intensivè. Falsum etiam; est intellectionem continere eminenter Attributa. Tùm quia non producit illa, & sic non continet vt causa. Quod autem sit radix virtualis, nihil dat verę perfectionis, sed æquivalentiam, quę formalitèr non est perfectio. Tùm quia nihil habet simile perfectioni volitivę vt tali, quod requirebatur ad continentiam eminentialem, de quo forrè infra.

889 Respondeo ergo, essentiam physicam Dei, quę stat in aggregato ex omni absoluto, (non in relativo, aliàs Filius non haberet totam essentiam realem, & physicam Patris) debere esse perfectam in omni genere entis compatibile cum absoluto Dei. Perfectam inquam extensivè. Essentia autem metaphysica sufficit, si sit perfecta in proprio genere entis. Nec replices essentiam divinam concipiendam perfectiori modo quo possumus: ergo perfectissimam in omni genere. Nego consequentiam, quia non possumus cum fundamento; nam id licèt appareat perfectio, potiùs est imperfectio & contradictio. De quo Art. seq.

890 Nec vrget 2. Quod Deitas & quodlibet Attributum quantumcumque concipiatur distinctum ab alio, semper debet concipi vt actus purus ac infinitus in genere entis: ergo debet concipi vt includens intra se, omnem divinam perfectionem; aliàs conciperetur vt

per-

perfectibile per illam, & vt in potentia ad illam. Concesso anteced. nego conseq. & probationem: Quia sufficientissime concipitur vt actus purus, si concipiatur vt essens per realem identitatem omnis divina perfectio, quin requiratur metaphysica inclusio. *Vide supra num.* 870.

891 Debet autem concipi etiam vt infinitus in genere entis, infinitate entis intẽsiva, per inclusionem. Extensiva verò sive in omni genere per realem identitatem. Ex his ruit argumentum sumptum à potentia & actu, & compositione ex genere & differentia, siquidem posita metaphysica exclusione, poni potest gradus genericus & differentialis. Respondetur enim poni posse compositionem extrinsecam, de qua *num.* 881. quæ nulla eget inter formalitates potentialitate.

892 Nec vrget 3. plures Patres esse contra Nos. Respondet enim Bernal, & Ribas, Patres loqui in sensu reali, in quo nec intellectio volitionem excludit, nec è contra. Sed contra Nos stare videtur apertè Anselmus *in Prosologio, cap.* 18. Vbi expresissime ait: *Deum esse ipsam vnitatem nullo intellectu divisibilem; & vitam, sapientiam, & alia non esse partes eius, sed omnia esse vnum.* Respondeo tamen non negare distinctionem partium extrinsecam, & per præcisionem vnius ab alia, quæ attingit vnam sine alia, sed negare compositionem objectivam quasi intrinsecam, adhùc per rationem cum fundamento, ita vt intellectus iudicet in Deo aliquam compositionem ex partibus; propter quam sit divisibilis. Vide supra dũ sermo esset de simplicitate.

893 Sed vrgebis cum Arrubal *disput.* 10. *num.* 71. Anselmum *cap.* 16. in Monologio dicere, substantiam Dei vno modo, vna consideratione esse quidquid est essentialiter, & cum homo non vna consideratione sit corpus, & rationalis, & homo; essentia nullo modo sic est aliquid, vt illud idem non sit secundum alium modum

 dum

dum & considerationem. Respondetur, cùm Patres & Concilia admittant in Deo distinctionem per rationem, Anselmum non negare illam. Loquitur ergo de vnitate in sensu reali, & de consideratione Dei secundum vnitatem realem, secundum quam dicimus, quod homo secundum quod est corpus, id est materia prima, non est realiter anima, nec è contra: non tamen possumus dicere, quod Deus secundum quod est volitio non sit realiter intellectio, & è contra. Non ergo negat pluralitatem per præcisionem, sed per compositionem objectivam cum fundamento.

894 Ex dictis sequitur, quod essentia non includit Attributa inclusione adhuc non mutua, si sermo sit de metaphysica, secùs de physica. Prima pars patet, quia sicut essentia metaphysica hominis non est totum quod realiter est homo, sed solus ille gradus peculiaris plenus in sua linea perfectior & primarius: ita essentia metaphysica Dei. Secunda pars probatur, quia essentia physica stat in Ente increato, atque divino absoluto, atque simpliciter infinito. ¶ Hoc autē pacto transcendit intraneat, atque inviscerat, & secum conglutinat omnē divinam perfectionem. In quo sensu loquuntur Sancti Patris de Essentia Dei, atque etiam de Attributis, dum insinuant, quod quodlibet illorum est omnis omnino perfectio.

ARTICVLVS III. & §. I.

VERA SENTENTIA.

895 HÆC difficultas est ex illis, quæ ob terminorum æquivocationem solet reddi imperceptibilis. Nota ergo primo ex dictis *in Tractatu de Trinitate, num. 526.* (in quo loco plurima valdè pro hac quæstione conducentia reperies) Deitatem sive Divinitatem summi posse dupliciter. 1. Pro illa perfectione primaria & speciali, quæ est essentia metaphysica pro

ctè sumpta, radixque cæterorum. 2. Pro esse divino, atque increato. Quæ secunda ratio Entis increati & divini, vt benè notavit Ioannes à Sancto Thoma *Tom. 1. In primam partem, disputat.16. Artic.2. in initio*, non est perfectio specialis, sed transcendens essentiam strictè sumptam, Attributa, & singulas divinas perfectiones. Vndè infinita indefectibilitas, alijque modi, sivè proprietates Entis increati & divini, quatenùs ens divinum est; etiam sunt transcendentes, sicut & Entitas increata sub conceptu increatæ, quàm sequuntur: vtpotè quæ eius vt talis sunt proprietates.

896 Nota 2. Entitatem increatam & divinam vt talem, & secundo modo sumptam, adhuc posse sumi duplicitèr. Primo pro ratione intensiva Entitatis increatæ. Secundo, pro ratione extensiva Entitatis increatæ. Primo modo reperitur, & plenè salvatur in qualibet divina perfectione seorsim. Etenim intellectio divina prout intellectio divina est, strictissimè imbibit intra seipsam atque sufficientissime rationem, & essentialia prædicata Entitatis increatæ & divinæ. Secundo autem modo non salvatur plenè in quolibet Attributo nisi extendatur ad omnia simul sumpta.

897 Hinc notari debet valdè. 3. Quod duplex conceptus includitur in quovis Attributo divino ex linea sua diverso ab alio, v.g. in intellectione divina: & datur conceptus intellectivi & conceptus entitatis divinæ. Si solum in primo, excludit metaphysicè volitionem aliàs realiter secū identificatam, & in secundo (nempè in ratione entitatis divinæ) non excludit volitionem, sed transcendit illam; manifestè sequitur quod intellectio divina solum inadæquatè, sive ex linea excludit metaphysicè volitionem, & è contra. Nam adæquatè sumpta potius illam includit metaphysicè, quia conceptus entitatis increatæ omne Attributum transcendit, intrinsecat, atque intraneat (dicamus barbare) inviscera-

secum. Non enim est formalitas à differentia avulsa, sed potius illi concreta, inviscerata, atque inviscata.

898 Nota 4. Thomistas distinguere in hac Quæstione, (vt constat ex Vilar. *Tomo 3 controversia*. 14.) inter esse de *Essentia*, & esse de *conceptu Essentia*; nam in Deo sunt plures perfectiones distinctæ ratione ratiocinata inter se ipsas, de quibus eo ipso formamus diversos conceptus. Quod ergo metaphysicè est de conceptu vnius, non est de conceptu alterius metaphysicè. Volitio enim, qua volitio non est intellectio, nec è contra. Adhùc autem stat, quód volitio sit de essentia intellectionis vt ista est entitas increata, & intellectio de essentia volitionis vt etiam ista est entitas increata. His prænotatis.

899 Assero 1. Essentia Dei metaphysicè sub illo speciali conceptu non includit, sed excludit metaphysicè Attributa sub proprio & expresso conceptu; nec è contra Attributa essentiam. Dixi sub expresso cõceptu; nam in hac conclusione non intendo, quod volitio increata vt volitio increata est, excludat metaphysicè intellectionem secundum rationem entitatis increatæ, sed solum intendo quod excludat secundum conceptum expressum intellectionis vt talis, sicut in sententia negante præcisiones objectivas, rationale vt rationale non excludit animal, prout hoc est quædam entitas in recto, sed excludit animal prout ex se connotat sensationem, sive secundum connotationem expressam sensationis. Hanc conclusionem intendit, & probat tota doctrina Articuli præteriti. Cum enim intellectio & volitio vt tales distinguantur ratione nostra, & ex linea, intellectio vt intellectio non potest volitionem expresse imbibere, sed potius excludere vtpote radix ipsius. Non est autem radix ipsius vt præcise entitas increata est, sed eius vt expresse volitio est.

Ex

900 Ex his sequitur, quod argumenta posita artic.2. pro prima sententia, non debellant penitus ut videbatur conclusionem istam, quia licèt probent repugnare mutuam inclusionem, quando quælibet est adæquata; secùs, quando est inadæquata. Non enim apparet repugnantia, in eo quod formalitas se habens quasi pars intellectionis, imbibatur in volitione totaliter sumpta, nec in eo quod illamet pars imbibita in volitione, imbibatur in intellectione adæquatè sumpta, tanquam pars ipsius.

901 Assero 2. Mihi satis probabile est, quod essentia metaphysica, v. g. intellectio divina sumpta adæquatè pro quasi complexo utriusque, scilicèt pro intellectione increata, includat metaphysicè increatam volitionem, non ut finaliter volitio est, sed ut quid increatum est. Et è contra, ista adæquatè sumpta illam eodem modo. ¶ Probatur: quia volitio increata, & dicit rationem volitionis præcise, & rationem increatæ. Ex his ergo rationibus intellectio increata prout intellectio increata, ad summum potest excludere formalitatem volitionis; non verò formalitatem increatæ imbibitam in volitione: ergo si non excludit formalitatem increatæ, hæc manet inclusa in intellectione increata, ac per consequens ipsæ sumptæ adæquatè se ipsas sumptas inadæquatè includunt. Antecedens patet, quia increatum intellectionis non habet diversum conceptum metaphysicum ab increato volitionis, ut increatum est, nec è contra: ergo licèt se excludant metaphysicè ut præcise sunt intellectio & volitio, (quæ rationes sunt inadæquatæ respectu illarum ut tendentiarum increatarum) non tamen excludunt se adæquatè, sed aliquid unius manet inclusum in aliquo alteriùs sive in alia adæquatè sumpta.

902 Probatur 2. Quia intellectio increata ut intellectio increata est, non potest non esse & concipi, (si benè penetretur) ut entitas perfectissima in genere

essendi: ergo non potest non esse imbibite, & metaphysicè volitio & includens volitivam perfectionem & alias; saltim vt istæ sunt perfectiones. Consequentia probatur: quia ratio perfectissime essendi postulat metaphysicè per summam identitatem formalem, & imbibitionem omnem perfectionem, quæ cadere potest in linea essendi, licèt autem vt intellectio perfectissima non postulet expressè metaphysicè volitionem vt volitio est, sed excludat sub hac ratione; postulat tamen illam intellectio secundum quod perfectio quædam infinita essendi est, quia sub illo conceptu intrameat secum omnia. Et sic conceptus metaphysicus intellectionis increatæ, licèt vt intellectio præscindat à volitione vt volitio est, non tamen ab ista, vt est perfectio essendi, & quasi in genere.

903 Obijcies primo, hoc argumento ampliùs probari, quod adæquatè quodvis Attributum includatur in essentia, si essentia benè penetretur, (secùs si male, & per conceptus nostros imperfectos per species creaturarum emendicatos.) Prima pars patet: quia eo *ipso* quod essentia Dei concipiatur & penetretur, *concipi* debet, vt plenissima in linea essendi, & in genere entis: ergo cum omni perfectione, nempè volitiva, & similibus, & cum omni de omni linea. Idem de volitione respectu intellectionis, quia si concipiamus perfectissime esse & esse à se, & habere plenitudinem & infinitatem essentiæ, in his conceptibus benè penetratis inveniemus omnem perfectionem omnis lineæ inclusam.

904 Respondetur, id esse verum de essentia sumpta pro toto esse Dei physico, secùs de perfectione speciali radice cæterorum, quia licèt ista debeat esse & concipi vt essens per identitatem omnia alia; non tamen per metaphysicam inclusionem: Vndè saltim ex linea, (penetrativa cognitione posita) adhuc invenietur exclusa.

&

905 Et ratio est, quia linea essendi summitur dupliciter, scilicèt intensivè & extensivè. Si summatur extensivè claudit omnes lineas & perfectiones in illis inclusas: secùs si intensivè, nam ad hoc sufficiunt prędicata metaphysicè plena de perfectione pręcissa essendi, scilicèt esse à se, & per se, &c. Quæ sufficiẽter salvantur inclusa in quovis Attributo.

906 Obijcies secundo contra hanc conclusionem: Ergo hoc modo intellectio increata, licèt non vt intellectio præcisè, tamen vt intellectio increata etiam imbibit relationes cum pertineant ad perfectionem essendi. Potest permitti totum, (reservando examen ad Materiam *de Trinitate.*) Alij 2. negant consequẽtiam; quia non dicunt perfectionem secundum rationem *ad*. Secundum rationem autem *in*, iam includuntur in essentia, quod est includi inadæquatè. Insuper, quia relationes secundum *ad* non pertinent ad esse absolutè, sed ad modum essendi: Entitas autem increata solum includit metaphysicè perfectiones essendi.

907 Tandem 3. Alij negabant consequentiam, quia licèt relationes imbibant essentiam, secùs essentia relationes; quia quod est relativum potest includere aliquid non relativum. Quod autem est absolutum vt essentia divina simplicissima increata & perfectissima, cum sit omnino ad se, repugnat illi claudere aliquid relativum. Ita Lao *tomo* 2. *num*. 397. Dare autem essentiæ divinę, quod includat relationes non potest esse perfectio, sed contradictio. *Vide hic nu*. 914.

§. II. ALTERA CONCLVSIO.

908 ASSERO tamen 3. probabile, & fortè nobis probabilius est, essentiam specialem metaphysicam, (nempè intellectionem increatam) omnino excludere metaphysicè Attributa, & è contra, sicut dicę

solet de eminentijs Omnipotentiæ. Pro quo suppono in volitione & intellectione increatis imbibi rationem transcendentem entitatis increatæ, & vnamquamque claudere suum ens increatum diversum ab ente increato alterius; eo modo quo ipsę sunt diversę inter se, sicut in animali imbibitur transcendenter suum ens, & in Rationali suum ens imbibitum, ac per consequens diversa formalizaliter entia.

909 Ad distinctionem autem & exclusionem inter prædicata, non requiritur oppositio, vel disparitas inter ipsa, sed sufficit quod includantur in oppositis & disparatis. Patet, nam Personæ divinæ non opponuntur in subsistere, & tamen subsistentiæ ipsarum distinguuntur realiter, quia includuntur in relationibus inter quas datur oppositio; ergo intellectio increata & volitio increata poterunt metaphysicè se excludere, non solum vt præcise sunt intellectio & volitio, (quę esset exclusio inadæquata) sed secundum rationes increatarum imbibitarum in ipsis; quę erit exclusio metaphysica adæquata.

910 Confirmatur: In conceptibus intellectionis & volitionis disparate se habent: ergo & in conceptu imbibito in ipsis. Si enim in his conceptibus concatenarentur metaphysicè, non possent inter se esse plures; Sunt autem, quia sicut quævis eminentia contenta est perfectione intensiva primæ causæ, ita intellectio perfectione intensiva increatæ, & idem de volitione. Vndè si sola attendatur perfectio entitativa cuiuslibet gradus cum prædicatis imbibitis, non postulat metaphysicè & expresse omnes perfectiones, nec totam plenitudinem essendi, nec intellectio & essentia specialis petit omnem perfectionem cadentem in linea essendi, sed solum suam, nam includere omnes reservatur essentię quasi physicę.

911 Ex quibus confirmatur conclusio. Vt subsistentia relativa in divinis non includat essentiam, sed se

adę-

adæquatè excludant, sufficit oppositio & exclusio per conceptus speciales relationum, in quibus includitur subsistentia; (idem in ente Petri, & in ente Pauli) ergo vt vna ratio increati non includat, sed metaphysicè adæquatè excludat aliam, sufficit exclusio per conceptus speciales intellectionis & volitionis, in quibus includuntur.

911 Obijcies I. Nulla est repugnantia imò maior perfectio, in eo quod detur vna simplicissima & formalissima formalitas, quæ eminentissimo modo sit omnis omnino perfectio cujuscumque lineę: ergo talis debet esse divina Entitas simplicissima. Distinguo antecedens. Vna formalitas quæ eminenter sit omnes, transeat: quæ sit omnes formaliter, nego antecedens; quia repugnat cum diversitate formalium linearum tanta simplicitas, quę sit etiam simplicitas formalizalis. Et licèt maior simplicitas, quæ sit superior identitate stricta reali, videatur major perfectio, solum est perfectio apparenter, non in re & realiter, (quia multo major perfectio est verissima varietas linearum cum stricta identitatis simplicitate conjuncta, quę varietas repugnat vni formalissime formalitati) Sicut autem tanta simplicitas & vnitas, quę cōjungeret in Deo gignere, & gigni in vna entitate, non esset perfectior & major vnitas, sed major chimęra; similiter in nostro casu, &c.

913 Obijcies 2. Divina intellectio, si non includitur in divina volitione, (saltem ratione Entitatis increatę,) sed hæc esset diversa in vna ac in alia, tollitur titulus ęqualitatis inter ipsas, & volitio esset intellectione minor, & minus esset procedere per volitionem, ac per intellectionem: ergo debet vna includi in alia vt maneant ęquales. Nego antecedens, quia licèt vna esset ex linea minor alia; à divinitate transcendenti imbibita atque ab identitate stricta qua vna est alia, fiunt ęquales; quia illa identitas & esse Deum, supplet quid-

quidquid est minoritatis, & elevat ad æqualitatem strictam.

914 Replicabis: Ergo & quævis relatio erit æqualis Deitati, quod tamen falsum est, siquidem est satis probabile, quod non dicant perfectionem. Respondebunt Scotistæ negando consequent. quia apud ipsos licèt Deitas imbibat identitatem realem se tenentem ex parte sua, cum Relationibus; istæ non imbibunt, nec dicunt eam ex se cum Deitate, (licèt eam dicant ratione tertij, scilicèt Personæ divinæ in qua copulantur per identitatem) quia ex se, nec sunt quid creatum, nec quid increatum, sed præscindunt ab vtroque. Sed mihi hęc doctrina non placet; etenim Paternitas, (qua Pater divinus est Pater) ex proprijs prędicatis & conceptu, vel imbibit indifferentiam, vt sit quid creatum, vel imbibit repugnantiam. ¶ Si 1. ergo illa Paternitas, quæ vt talis est Paternitas Verbi Divini, potest illàmet metaphysicè sumpta & secundum suam differentiam metaphysicam, esse quid creatum & convenire Angelo, vel Homini, vel alij creaturæ: quod est plusquàm absurdum. Si 2. ergo imbibit aliquam rationem metaphysicam, in qua importet oppositionem & repugnantiam cum creato: atqui repugnantia positiva cum creatura est ratio entitatis increatę & divinę, sivè identificatę cum Deo: ergo talis identitas cum Deitate importatur ex se à Paternitate per inclusionem & imbibitionem.

915 Nec Scotistæ egent negare talem identitatem ex parte Paternitatis, vt defendant quod Paternitas ex se & suis non est perfectio infinita, sed id habere ab essentia. Etenim benè potest vna formalitas identificari ex se cum alia, quin ex se habeat denominationem quàm accipit ab alia. Patet: Nam Deitas ex se identificatur volitioni, & tamen non est formaliter & inclusivè volens à se, sed fit à volitione volens: ergo similiter Paternitas potest à se esse identificata cum

Dei-

Deitate infinita, & non habere infinitatem formalem à se, sed à Deitate. Et ratio est, quia identitas sola est velut nexus, cui non competit dare esse formaliter sive vi forma, sed solum vialiter.

916 Ideò ad replicam. Respondeo concedendo, Relationibus æqualitatem cum Deitate; non quidem ex linea, sed ex conceptu Paternitatis, v. g. & relationis divinæ. Licèt admitteretur quod Relationes non addant diversam perfectionem, admitti nequit, quod non imbibant intra se rationem *in*, in qua ratione consistit identitas sui cum Deitate.

917 Ex quibus patet responsio ad argumenta à *num.* 901. Etenim licèt intellectio increata concipiatur vt increata intensivè, non est necesse, quod vt tatur vt increata intensivè, non est necesse, quod vt talis, sit increata volitio per inclusionem istius in increata intellectione; imò vt sæpè dictum est repugnat inter Attributa, metaphysica vlla inclusio, vel includibilitas & attrahibilitas vnius ad formalem inclusionem cū alio. Cum enim prædicta inclusio fiet in nexu tam stricto, vt vnum provt ex meritis trahatur ad esse aliud, sumptum etiam provt ex meritis, & ille pateat repugnare, sic & metaphysica includibilitas & potentialitas ad illū, etiam data distinctione formalizali: sufficit ergo quod increata intellectio sit increata volitio per identitatem realem formalem, quia eo ipso salvatur sufficientissime, quod vna per se ipsam sit essens realiter formaliter alia, & extensa ad essendum realiter formaliter omnis perfectio omnis lineæ, cum sufficientissima actus simplicissimi puritate, vt sæpè explicatum est. *Vide num.* 870.

¶ Sequitur etiam ex his pro dictis *numer.* 889. quod additio volitionis ad intellectionem, addat novum ens perfectum, sed non novam perfectionem essentialem de linea entis sumpta vt linea specialis, quia nec addit novam speciem Asseitatis, existentiæ, aut subsistentiæ, sed earum novum subjectum.

CA-

ARTICVLVS IV.

QVOMODO ESSENTIA, ET ATTRIBVTA IN *concreto ad invicem prædicentur.*

918 QVÆSTIO potest procedere, qualiter concreta de concretis, & abstracta de abstractis prædicentur; vel qualiter abstracta de concretis, & è contra. In hac Quæstione est sermo de primis, v. g. an volens prædicetur de Deo? Ratio dubitandi est, quia in Scripturis sæpè dicitur Deus volens, Iustus, Potens, &c. Item Dèo verè competit esse Iustus: ergo benè potest de illo prędicari. Etenim hę locutiones, & pręcipuè ex Scriptura, admitti debent cum rigore, nisi aliud obsit.

919 Pro parte negativa est; quia hi termini Iustus, volens, &c. sunt termini connotativi, qui significant suum significatum per modum adjacentis alicui subjecto, ac per consequens per modum distincti ab illo, nam adjacentia importat distinctionem: atqui in Deo non est subjectum, nec est Iustitia adjacens, quia prædicaretur *in quale*. Confirmatur: quia vt ait Ricardus de Sancto Victore *lib. 2. de Trinitate, cap. 13.* Deus abusive dicitur habens Iustitiam, non minus ac si diceretur de Abraham *habens hominem*; tàm enim Deus est ipsa Iustitia, quam Abraham sit homo. Item Deus non dicitur divinus, neque homo humanus: ergo nec propriè Iustus; quia ita se habet Iustus ad Iustitiam, sicut humanum ad hominem, & divinum ad Deum; sed quia homo est ipsa humanitas pro formali, & Deus ipsa Deitas, non dicuntur humanus, aut divinus: ergo cum Deus sit ipsa Iustitia, non dicetur Iustus.

920 Dico primo. De Deo propriè prædicatur formaliter volens, Iustus, &c. nam verè est Deus talis, non solum identicè, sed denominativè: ergo & verè prædica-

ca-

catur. An verò in concreto? Nota primo, aliud esse prædicari in concreto, & aliud ad modum concreti. Primum indicare videtur, *volens* vt dicitur de Deo esse concretum: quod falsum omnino est, cum nec detur compositio; nec concretio, nec vnio volitionis ad subjectum, sed sola formalis realis identitas in simplicissima entitate. Secundum est, quod licèt in Deo non sit concretum, à nobis concipitur ad modum concreti. Nota 2 posse disputari, vel de cócreto ex parte rei significatę & quasi vltimatè, vel solum ex modo significandi, & non vltimatè.

921 Dico ergo secundo. De Deo nihil prædicatur in concreto ex parte rei significatę, quod intellige de concreto formali, adhuc per rationem ex parte rei significatæ & vltimate. Probatur: quia prædicatio ista: Deus est volens: debet esse vera, & absque fictione, atqui si significaret volens esse concretum formaliter fingeret ibi aliquam cõpositionẽ, & aliquam adjacentiam & adhærentiam volitionis ad subjectum, vt contingit in omni concreto vero: ergo non prædicat volens de Deo, quod sit concretum adhuc per rationem, sed solum est prædicatio volentis de Deo, per realem idẽtitatem & denominationem. Vndè, si aliquid concretionis significari posset in Deo sine fictione, ad summum esset virtuale sublatis imperfectionibus, non formale ex parte rei & vltimate.

922 Dico 3. ex modo significandi, & non vltimate concipitur volens per modum concreti, & hoc cum fundamento, ita vt vltimatè judicet non esse concretum. Probatur: quia intellectus non potest formare conceptum de Deo volente, nisi apprehendat aliquam adjacentiam, & vnionem volitionis ad Deum; sed id est per conceptum non vltimatum; nam in vltimato iam dixi oppositum: ergo non vltimate prædicatur ex modo significandi instar concreti. Major constat experientia. Confirmatur: quia intellectus concipit divina instar creatorum; hæc autem non concipiuntur nisi cum ali-

qua

qua informatione formae ad subjectum; sicut non concipiuntur res spirituales nisi ad modum corporearum: Cum hoc autem discrimine, quod dum volens significatur per modum concreti, summitur fundamentum, non solum ab imperfectione nostra; sed etiam ab ipso objecto.

923 Cum enim conceptus Dei metaphysicè sumptus, praecisivè se habeat ad conceptum volentis, & iste se habeat metaphysicè extra illum, & quasi secundarius conceptus logicè, si intellectus vtrumque conjungat, apprehendendo non vltimatè quod vnus quasi adveniat alteri, magnum ad hoc summitur fundamentum ex ipsis conceptibus objectivis se metaphysicè excludentibus. Confirmatur: quia volens non dicitur de Deo in primo modo dicendi per se, quia in primo solū praedicatur, quod metaphysicè est de conceptu subjecti, imbibiturque in illo impraesciodibiliter, sed praedicatur in secundo modo; nam de essentia Dei metaphysicè sumpta, non est volitio; sed est haec extra conceptum illius: ergo propositio significans Deum volentem instar concreti, solum signat ex modo significandi non vltimato, licèt cum magno fundamento ad fingendum concretum; non tamen ex parte rei significatae.

924 Ad probationem dubitandi pro parte negativa respondetur distinguendo majorem. Volens Iustus, &c. significant justitiam per modum adjacentis, ex parte rei significatae & vltimate, nego; ex modo significandi cum fundamento, & non vltimate, concedo. Ad minorem respondetur ex parte rei significatae, non posse concipi justitiam adhaerere Deo, benè ex modo significandi, & non vltimatè. Ad confirmationem respondetur, de Deo habens justitiam abusive dici, si ex parte rei significatè dicatur: Secùs, si ex modo significandi cum fundamento, ita exprimatur. Est autem fundamentum ad ita significandum; non verò vt Abraham dicatur habens hominem; nam cum justitia

vir-

virtualiter & metaphysicè sit extra conceptum essentiæ Dei, magnum est fundamentum, vt Deus concipiatur à nobis, quasi habens illam; homo autem non differt adhuc per rationem, sed metaphysicè includitur in Abraham.

925 Ad Ricardum: Respondeo, non ponere paritatem abusus in modo significandi; sed ex parte rei significatæ. Si enim Deus concipiatur habere realiter justitiã, eo sẽsu quo homo habet illam, abusus erit; nam cum Deus sit realiter ipsa justitia, non potest habere illam; sicut Abraham non potest habere hominem. Ad additionem respondeo, Deum non dici divinum; nam Divinitas est Deitas; nullaque est distinctio inter Deum & Divinum, adhuc metaphysica: & sic non est fundamentum ad significandum per modum concreti, adhuc non vltimatè; denominatio enim Divini est ab alio distincto, saltim per rationem, sicut & denominatio humani. Inter Deum autem, & justitiam aliqua datur distinctio, & propterea justitia dicitur divina, & Paternitas etiam divina, Deitas autem non dicitur divina.

926 Sed dices 2. Inintelligibile est quomodo volens prædicetur formaliter de Deo. Etenim identitas formalis, non sufficit ad prædicationem formalem, prout hic. Patet, quia hæc reperitur in essentia & Paternitate, & tamen vna de alia solum prædicatur identicè; adjacentia autem propria & formalis, quæ solet facere in concretis denominationem & prædicationem formalem in concreto, admodum formæ physicę non reperitur hic: ergo non apparet quo pacto hęc prędicatio sit formalis. Pro responsione nota communes modos prædicationis formalis esse, vel per modum formalitatis metaphysicę imbibitę in subjecto, vt homo est animal vivens, &c. vel per modũ formę physicè distinctę à subjecto, & communicantis ei effectum formalem, vt homo est albus. Ad hos modos certum est

non

non pertinere prędicationem formalem volentis; ideò addi potest alius, qui reducatur ad secundum; quia est virtualiter instar illius, & habet nō solum identitatem realem formalem à parte rei; sed ulterius formalem denominationem immediatam supra subjectum, quasi esset forma subjecti, cum tamen non sit. Licèt ergo non sit volitio forma Dei, ita tamen (supposita identitate) communicat Deo per identitatem denominationem volentis, ac si verè esset forma ipsius illi communicata.

927 Vndè est magna distantia inter has prædicationes: Paternitas est essentia, & Deus est volens; nam prima est substantiva, & solam dicit formalem identitatem à parte rei. Secunda est etiam adjectiva, quia non solum identificantur: sed ulteriùs immediatè Deo adjacet logicè, sive communicatur effectus formalis logicus volentis. Dico logicus: quia non est à forma physica, cum tamen Paternitati identificatę cum communicatione essentię non adjaceat immediatè effectus formalis communicationis; sed solum identice, & per identitatem realem formalem, quam habet cum essentia, cui talis effectus adjacet. Propter hanc ergo adjacentiam quasi logicam immediatam volentis ad Deum, hęc prędicatio est formalis. Non formalis à formalitate metaphysica imbibita; sed formalis à quasi forma denominãte, instar cujus volitio prędicatur de Deo ad modum concreti.

928 Obijcies 3. & satis difficulter. Essentia Dei, sive intellectio non potest esse formaliter volens modo dicto. Nego. Probatur: quia intellectio non est formaliter de linea volendi: ergo à volitione nequit fieri formaliter volens; sicuti nec oculus, nec lapis ab intellectione posita in illis denominari possunt intelligentes ob subjecti incapacitatem, quia nempè non sunt de illa linea. Nec dicas essentiam esse virtualiter volitivam. Contra: Tùm quia id proderit, ut fiat volens vir-

virtualiter seçùs formaliter: Tùm quia idem dicit adversarius de oculo esse virtualiter intellectivum, non obstante quod formaliter non sit de illa linea. Tùm denique, quia petis principium; nam esse virtualiter volitivum, est ita se habere in ordine ad denominationem volendi, ac si volitivus esset, cum non sit; atqui de hoc est tota quæstio, & argumentum probat non posse accipere talem denominationem formaliter volentis.

929 Omissis alijs solutionibus. Respondeo ex *Materia de Voluntate Dei*, quod in Deo datur stricta voluntas per modum potentiæ proximę affectivæ. Sicut autem anima rationalis, (in sententia distinguente potentias ab anima) etiam si non sit ex se formaliter volitiva, nec formaliter potens, fit potens à voluntate per quam ponitur in linea formali volitiva, & volens à volitione, sic Deitas fit potens velle à voluntate, (& ponitur per eam in linea volendi) & volens à volitione divina; & salvatur quasi concretum potentis & volentis in Deitate per voluntatem, quatenùs simùl potentiam & volitionem.

ARTICVLVS V.

DE ABSTRACTORVM PRÆDICATIONE. Vbi aliqua illationes.

930 NOTA 1. Dari aliquas formas, quæ ratione sui identificantur. Alias verò, quę non identificantur ratione sui, sed ratione alicujus tertij, in quo sunt. Sic in sacaro non est verum dicere, quod albedo sit dulcedo. Est tamen verum dicere, quod album sit dulce. Quod est identificari materialiter, & ratione subjecti. Audivi aliquando Scotistas dicentes, quod animalitas & rationalitas non important identitatem vna cum alia ratione sui, sed ratione tertij, nempè ho-

minis, cum quo identificantur. Si vellint dicere ipsas inter se non identificari ex proprijs meritis, & ex propria essentia & quidditate metaphysica, sed ratione liniæ entitative facientis eas idem, verum dicunt, quia ex meritis erant quidem separabiles. Falsum autem si vellint (quod non credo) eas in homine tàm realiter distingui, sicut albedo & dulcedo in sacaro. Cum enim vna sit ratio conveniendi, & alia differendi, debēt se habere vt gradus metaphysici, ac per consequens vt realiter indistinctæ.

931 Assero ergo 1. Essentia metaphysica Dei in abstracto, realiter formaliter prędicatur de Attributis etiam in abstracto: non autem formaliter inclusivè. Prima pars probatur: quia in Deo Misericordia & Iustitia sunt ipsa Deitas, & è contra: Deitas est Misericordia, Iustitia, &c. Ideò dicitur à Concilijs Deum, Sapientia quę ipse Deus est, Sapientem esse; & bonitate quæ ipse Deus est, bonum esse. Secunda pars etiam patet, quia nec Misericordia qua talis, est Deitas qua talis. Nec è contra: Deitas qua talis, est formaliter metaphysicè inclusivè Misericordia qua talis in sensu formalitatis metaphysicæ. Nec item formaliter in alio sensu formę quasi physicę virtualiter adjacentis: Nam in hoc secundo sensu prædicatio deberet esse instar concreti, in quo verè dicimus, *quod homo est albus* formaliter, non tamen quod sit albedo. Sic in hoc sensu non dicimus, quod Deitas sit volitio, licèt sit volens.

¶ Licèt autē Omnipotentia includat intellectionē & volitionem, istę non possunt seorsim formaliter de illa prædicari in sensu dicto sic: intellectio est formaliter Omnipotentia, vel Omnipotentia est formaliter intellectio: quia intellectio & volitio quasi componunt Omnipotentiam, non per modum formalitatis metaphysicę, sed per modum partium, quasi facientium aggregatum, & sic non summitur intellectio instar concreti adjacentis ipsi Omnipotentiæ, nec Omnipotentia respectu intellectionis.

932 Ex hoc sequitur, in abstracto non prædicari ad invicem in primo modo dicendi per se volitionem & Omnipotentiam, quia se habent instar partium physicarum respectu totius, nempè respectu Omnipotentiç, volitio & intellectio; sæpè autem docui partem physicam non prædicari formaliter de toto. Item volitio non prædicatur formaliter de Omnipotentia in secundo modo per se; quia in secundo modo prædicantur, quæ adjacent extra essentiam: quod non competit volitioni respectu Omnipotentiæ. Sic olim sentiebam; & eodem modo contra Ribas *disputat. 3. cap 6.* dicebam, Attributa in abstractò non posse prædicari formaliter de essentia adhùc physica Dei, & materialiter sumpta pro tota entitate absoluta Dei, quia nempè se habebant, non instar formalitatum, sed instar partium physicarum ad essentiam.

933 Censeo tamen modo aliter; & assero secundo, intellectionem & volitionem seorsim in abstracto prędicari formaliter in primo modo de Omnipotentia, & quodlibet Attributum in abstracto de essentia physica, non tamen è contra essentiam de Attributo. Ratio primæ partis est, quia sunt de conceptu essentiali, (& per identitatem) impręscindibiliter, sicut anima & corpus de homine. Ratio secundæ est, quia licèt essentia in sua definitione, & conceptus essentiæ physicæ imbibat volitionem; secùs volitio essentiam sic sumptam.

934 Nec obest contra primam partem: quod volitio se habeat instar partis physicę. Etenim hoc non tollit quod subjectum, nempè essentia physica habeat adæquatam identitatem cum volitione, & vlteriùs includat illam. Diximus autem supra, hominem esse formaliter animal, & non formaliter animam, quia licèt includat vtrumque, tamen cum anima non habet identitatem homo adæquatè sumptus, sicut habet cum animali. Differunt autem formalitas & pars quasi physica, quia illa se habet quasi res, quæ ex *num.* 816,

supra, est quid diversum à formalitate. Vndè præter duos modos prædicandi formaliter, aductos *num.926.* nempè formalitatis imbibitę & denominationis, datur alius tertius, qui est quasi rei imbibitę in tertio, nō per vnionem, sed per identitatem.

935 Dico 3. De Attributis in abstracto prædicantur formaliter eorum exercitia in concreto, quando ex parte subjecti exprimitur ratio formalis causandi, vel habendi tale exercitium. Patet, quia de Omnipotentia prædicatur formaliter, quod creet, & non solum identicè. Item hæc prædicatio est formalis: *Misericordia miseretur, Iustitia punit, intellectio intelligit, &c.* Non autem è contra, nisi identicè; & materialiter atq; substantivè, v.g. *Volitio intelligit, Iustitia miseretur:* Hæc autem exercitia, aliqua sunt de ratione formali subjecti, vt de intellectione intelligere, & de volitione velle, & hæc prædicantur formaliter in primo modo per se. Alia autem pertinent ad quartum modum dicēdi per se vt: *Omnipotētia creat, & Iustitia punit.* Quartus enim modus dicendi per se, nō est modus essendi, sed modus causandi contingenter; tamen per rationem formalem causativam expressam ex parte subjecti, (de quo Ioannes à Sancto Thoma *in Logica, quæst.24. artic.4.*) quod jam reperitur in hac prædicatione *Iustitia punit*; secùs in hac *Misericordia punit*. Vndè sequitur hanc esse veram: *Deus per Iustitiam punit*; secùs hanc: *Deus per Misericordiam punit.*

936 Ab hac regula excipiendam esse credo essentiam, de qua omnia exercitia Attributorum prædicari valent; non quidem de essentia vt intellectio est v.g. sed de intellectione vt essentia est, si fortè aliquid propriū essentiæ vt essentiæ reperiri valet in aliqua perfectione, vt metaphysicè distinguitur ab illis. Sic hæc prædicatio est vera & formalis. *Deitas vult*; vbi velle, quod est exercitium volitionis, prædicatur de Deitate,

li-

licèt Deitas non importet aliquam rationem expressam formalem pertinentem ad significatum Verbi *vult*. Ratio est, quia jam importat quasi radicalem quod sufficit, vt ratio volentis, & ipsum velle adjaceat Deitati in secundo modo dicendi per se, nempè extra essentiam. Idem dico de exercitijs distinctis, & pertinentibus ad modum causandi, qui est quartus modus, nempè *Deitas creat & miseretur*, & hoc propter eandem rationem.

937 Infero 1. Attributa sumpta instar concreti prædicari formaliter in secundo modo non solum de Deo, sed etiam de Deitate; quia conveniunt illi per se, & secundario: at essentia in concreto, nempè Deus, non potest prędicari formaliter, (licèt possit realiter formaliter) de Attributo in abstracto sic: *Volitio est Deus*; quia volitio vt talis, nec imbibit Deitatem, nec Deitas adjacet illi vt forma ipsius; sed potius hæc se habet instar ejus subjectum. Secundo licèt Attributa in concreto prædicentur formaliter de Deo; secus vnum Attributum de alio, si summantur instar concreti: Iustus enim formaliter non est Misericors; sed solùm identicè, quia Iustus non imbibit Misericordiam, & sic non prędicatur per se in primo modo, nec petit, vt Misericors quatenùs talis, adjaceat sibi: ergo nec pertinet ad secundum modum.

938 Infero 3. Si essentia & Attributa summantur vt increata, & vt divina, probabile est se includere formaliter metaphysicè inadæquatè, & secundum conceptum implicitum juxta secundam conclusianem, artic. 3. Sicque poterunt etiam prædicari inadæquatè formaliter, v.g. intellectio increata vt increata, est increata volitio impręscindibiliter secundum increatum volitionis: Non tamen est volitio vt volitio secundum expressum volitionis & lineę. Ratio est, quia vt volitio in abstracto, nec imbibitur in intellectione increata, nec adjacet illi denominando illam, quia hoc solum fit in concreto.

939 Quæritur, an hæc propositio: *Deus est Deitas*, & *Deitas est Deus*, sit formalis? Difficultas oritur ex Concilio Remensi asserenti. In nullo sensu Catholico negari posse, quod Deus sit Ditas, & Deitas Deus. Vndè videtur non posse negari in sensu formali, & metaphysicè inclusivo; qui Catholicus est. Aliqui docent Concilium solum loqui de reali. Assero de prima esse formalissimam in primo modo. Quia Deitas est de conceptu metaphysico Dei. Secunda etiam mihi est formalis, quia Deitas vt talis apud me est subsistens subsistentia absoluta: ergo Deitas formalissimè (si benè penetretur) invenietur esse Deus, nempè substantia completa per subsistentiam. ¶ Vndè cum Deitas non sit Deus per aliquod tertium, (sicut Iustitia est Misericordia, non per se ipsas; quia ratio vnius non est ratio metaphysica alterius, sed per tertium; quia nempè Iustitia est materialiter id quod est Misericordia) sed per ipsum conceptum Deitatis benè penetratę, hinc est quod Deitas formaliter, & per se & in primo modo est Deus.

940 Ex dictis sequitur Attributa ex conceptu essentiali generali Attributorum, licèt debeant esse quid exclusum, & secundarium logicè respectu essentiæ metaphysicæ, sed non est necesse, quod sint quid posterius essentia; nam respectu materiæ primæ produci, & creari est aliquid proprium, quia convenit ei extra essentiam necessario; nec tamen est quid posterius illa, sed prius à quo. ¶ Infero 2. In divinis pro prioritate Logica in essentia metaphysica respectu Attributorum; sufficere illam denominabilitatem, quam habet essentia, vt scilicèt accipiat ab Attributis denominationes in alia linea distincta à sua. Essentia enim fit volens Omnipotens, &c. ¶ Infero 3. Respectu Deitatis etiam Relationes, sive Subsistentias personales esse proprietates, quia conveniunt ipsi extra essentiam necessario. Non tamen proprietates quarto modo, quia licèt conveniat soli Deitati compleri per quamlibet illarum, non tamen

men

men omni, id est semper & ubique, id est, quia non in qualibet Persona Deus est generans, nec in qualibet est genitus.

QVÆSTIO XVI.

DE OMNIPOTENTIA, VBI ALIQVA MAGIS expressata de Attributis.

ARTICVLVS I.

ALIQVA DE VERITATE, BONITATE, PERFEctione, Immutabilitate divina & Idæis.

941 PRIMO, Deus dicitur summum Verum. Non enim est solum summe verax in cognoscendo, & dicendo (de quo multa diximus *in Materia de Fide*,) sed etiam in essendo. Nihil enim inter omnia entia magis habet de veritate & soliditate, & minus de sola apparientia, quam ipse Deus. Stat autem veritas in essendo in conformitate apparientiæ cum esse.

942 Est etiam Deus per essentiam summe bonus habens actualitatem summam, & perfectionem summam in omni linea essendi tàm physica, quàm morali summaque voluntatis rectitudine. Estque per se ipsum tam bonus, ut quæ nos habemus adventitie, & per accidentia, ipse habeat per suam entitatem & essentiam: Reliqua de divina bonitate. *Vide supra quæstione* 7. *à num.* 241.

943 Circa divinam perfectionem ut continentem perfectiones omnium rerum, ultra dicta à *numer.* 248. Adverte, quod in quo stet continentia eminentialis disputat Arriaga hic *disputat.* 2. *à num* 50. & P. Quiròs *tomo* 1. *in primam partem in explicatione quæst.* 4.

*Divi Thomæ num.*7. Diximus nos ibi, & etiam alibi aliqua contineri in Deo eminenter, & alia formaliter. Addo nunc primò, alia contineri in Deo eminenter formaliter. Continentia ergo eminentialis formalis rei in Deo postulat in ipso Deo duo, nempè virtutem principalem causativam efficienter talis rei, & simùl virtutem quasi exemplarem participabilem à re contenta, per similitudinem aliquam cum perfectione formali reperta in Deo.

944 Igitur intellectivum nostrum secundum rationem intellectivi continetur eminenter formaliter in Deo, quia formaliter Deus est intellectivus, & intellectivum nostrum exemplatur ab intellectivo divino, simulque causatur physicè, tanquam à causa principali ab ipso Deo à quo exemplatur. Vndè licèt intellectivum nostrum assimiletur intellectivo Angeli, quod est perfectius intellectivo nostro, quia tamen in vulva virtutis Angeli, non continetur tanquam in causa principali (prçter quam quod nec exemplatur ex illo.) Ideò Angelus non continet eminenter intellectivum nostrum, licèt non desit in vtroque similitudo formalis.

945 Respectu autem imperfectionum in ipsis creaturis imbibitarum, Deus est causa eminentialis continens eminentiori modo tales imperfectas formalitates, sed non formaliter sed virtualiter, quia scilicèt continet in se principalem virtutem producendi illas. Dupliciter autem dici potest continentia virtualis. Vna est virtualis à virtute continente. Alia est virtualis à sola çquivalentia. Deus in primo sensu continet creaturas cum suis imperfectionibus, sed non in secundo, quia quoad has non çquivalet creaturis, vt sçpè dictum est. In hoc autem secundo sensu & non in primo, anima rationalis çquivalet formis brutorum, & plantarum. Nota tandem, quod licèt Angelus sit intellectivus perfectiori & eminentiori modo, quam homo, hoc est solum

per

per similitudinem, sed non per continentiam strictam; quia hæc vt dictum est importat virtutem principalem productivam.

946 Ex dictis etiam sequitur in Deitate respectu Attributorum, non dari ex parte sua continentiam eminentialem strictam; imò nec virtualem quasi physicam, sed ad summum logicam, quia de constitutivo vtriusque continentię prædictæ est virtus principalis productiva, quasi efficienter. Quam virtutem & rationem principij physici, adhùc virtualis negavimus sæpè Deitati respectu Attributorum; contenti sola ratione à priori Logica & exigentia, atque summa identitate & denominabilitate. Vt enim sæpè dictum est, superflua est talis ratio principij & radicis virtualis. Nulla enim est necessitas vtendi & ponendi ęquivalentiam ad imperfectiores formas, vbi adest simul forma, & munus majoris proprietatis & perfectionis, qualis est stricta identitas realis. In modo autem loquendi, quia facit sensum inultimatum, non recedemus à communi phrasi Doctorum.

947 De divina immutabilitate, ex his quæ sparsim diximus, restat breviter compendiare, eam esse quadruplicem contra quadruplicem mutationem: nempè entitativam metaphysicam, entitativam physicam, localem, & moralem. Per primam mutatur essentia metaphysica rei, transeundo de possibili ad actualem sive existentem, vel iterum redeundo de actuali ad purè possibilem. Huic mutationi opponitur Deus, per necessitatem existendi, per quam est necessario, & essentialiter summe actualis & æternus. Per secundam, nempè physicam entitativam mutatur res per novam operationem distinctam immanentem, & hanc excludit Deus à se, quia essentialiter est actus purissimus. Per tertiam, nempè localem, mutatur res de vno loco ad alium. Hanc repellit Deus per suam immensitatem. Per quartam, nempè moralem, voluntas solet inconstanter mutare decreta. Hanc repellit Deus per suam summam con-

stan-

stantiam. De singulis egimus suis locis hic. De vltima tamen latè *in Materia de Voluntate*, vbi ostendimus qualiter Deus admittat variationem in affectibus provocatus à creaturis, & qualiter non. De Simplicitate adde, quod sit vnitas cum exclusione partium.

DE IDÆIS.

948 De Idęis agi solet *in Materia de Scientia Dei.* Sed ad conciliandas varias opiniones, Idęa dividi potest in objectivam & subjectivam. Objectiva est exēplar objectivum rei faciendę; subjectiva verò est exemplar formale, quo agens dirigitur ad operandum, & hęc est ipsa cognitio qua agens dirigitur. De objectiva dubitari solet: An sint ipsę creaturæ possibiles, an ipsa essentia divina vt participabilis à creaturis? Aliqui dicunt quod creaturę possibiles possunt esse Ideę, quia exemplar à re exemplificata, sufficit quod distinguatur quoad statum.

949 Dico tamen cum Divo Thoma *quæstione.15. artic.1. ad tertium*: Idæas esse ipsam essentiam divinam objectivè sumptam. Tùm quia Ideæ, teste Divo Thoma, ibi: *Est exemplar, sive forma rerum præter ipsas*, id est præter rem Idęatam, quod non convenit creaturis, sed divinæ Essentiæ, ad quam solam præter res Idęatas, potest Deus attendere. Tùm etiam, quia non omne agens intellectuale, dicitur dum agit, attendere ad exemplar, & tamen attendit ad rem cognitam, quam facere vult, nam non tendit in incognitum: ergo quia exemplar strictum petit rem distinctam à re Idęata & exemplabile in illa. Tùm quia in Essentia divina cognita vt continente creaturas, reperitur sufficiens exemplar, quod sit præter ipsas res, ad quod attendat Deus.

950 Colligitur primo: In Deo esse plures Idæas, quia sunt plures eminentiæ rerum. Secundo, Deum non

ha-

habere Ideam respectu sui, aut Personarum divinarum, quia hæ non sunt faciendæ. Tertio, in Deo non esse Ideam peccati vt malum est, quia vt sic nec fit ad imitationem Dei, nec ab illo participatur, sed à creatura vt deficiente. Nec Deus est Artifex peccatorum secundum malitiam, vt debeat habere Ideam.

951 Quarto colligitur, Ideam provt hic, non esse cognitionem formalem, formaliter sumptam, quia hæc jam datur in Deo de malitia peccati, sed sumptam vt objectum imitabile ab Artifice. Vndè, cum Deus non faciat directè carentias, sed indirectè ratione rerum ad quas sequuntur, non dabitur de illis Scientia immediatè. ¶ Adverte tandem, quod Idea potest esse duplex, nempè speculativa & practica. Illa est ratio, sive rationes rerum & creaturarum in Deo, dum non existit Decretum, & electio vt creentur. Practica verò est ipsæ rationes rerum dum sunt decretę, & electę vt existant, & vocari possunt tùnc Ideę ideatę, id est directę jam versus existentiam. Et in hoc statu vocantur exemplar operationis, quia Artifex operatur juxta illas, eo quod ipsas elegerit, atque approbaverit. Scientia autem hęc ad operationem dirigens, cum jam supponat Ideas, sive rationes rerum libere electas atque approbatas, est visionis scientia.

ARTICVLVS II.

ALIQVA DE OMNIPOTENTIA.

952 DARI in Deo potentiam rerum productivam clamant Scripturæ, & convincit naturalis ratio: si enìm ex effectibus existentia Dei monstratur; ideò profectò est, quia in Deo datur potentia à qua orti sunt, nec arguit imperfectionem in Deo dictum *Aristotelis 9. Metaphysic. text 9.* Nempè omnem potentiam esse suo actu imperfectiorem. Id enìm solum

est

est verum cæteris paribus, & ad summum si sermo sit de potentijs instrumentalibus. In Deo & datur potentia ordinaria & absoluta, non quia in se diversæ sint; sed in modo producendi de facto: quæ non bene explicantur per potentias ad ens naturale & supernaturale; sed potentia quæ operatur aliquid juxta leges communes & ordinarias illius ordinis rerum, in quo operatur, producitque eas juxta providentiam communem, & naturalem dispositionem causarum, dicitur ordinaria, quæ vero supra communes leges operatur, dicitur absoluta. Vndè dicimus adultum de lege ordinaria justificari præcedentibus dispositionibus, quamvis justificatio supernaturalis sit: & dicimus de potentia absoluta cœco dari visum, quamvis visus naturalis sit. Ita Scotus apud Ludovicum Cæsaraugustanum, *disput.10. num.10.*

953 Quod Omnipotentia sit relativa ad extra ad possibilia, dixi satis alibi, non tamen est perfectio relativa in divinis, sed absoluta, quatenùs non est specialis potentia alicujus personæ, sed communis tribus, eadêque in omnibus. Constat: tùm quia nō solus Deus, sed singulæ personæ dicuntur operari in Scriptura, Ioannis 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor; quodcumque autem Pater fecerit, hoc & similitèr Filius facit*, & sępè alibi. Item in Symb. *Omnipotens Pater, &c. Nō tamen tres Omnipotentes*: Ergo quia operantur Personæ, non per specialem potentiam alicui Personę propriam, sed per potentiam communem tribus, & in eis eandem. Item in Divinis omnia sunt vnum, vbi non intercedit oppositio relativa: atqui in posse producere ad extra non opponitur Pater Filio, nec è contra: ergo tale posse in tribus est idē: ergo est quid absolutum, & non relativum; nam relationes sunt plures. *Vide omnino in Tomo de Trinitate.*

954 Hinc communiter dicitur omnia opera ad extra esse indivisa totius Trinitatis, sive indivisibiliter procedere à Deo vt Vno, & non à Deo vt Trino; qua-

quatenùs forma denominans Omnipotens, sive principium formale effectivum est omnino vnum. Quod si Trinitas dicitur operari, & esse Omnipotens, ita etiam dicitur Deus, nec sunt plures Dij, sed vnus; tunc enim Trinitas Omnipotens quasi materialiter, & adjectivè se habet ad principium formale effectivum, sive ad Omnipotentiam. Dixi materialiter, quatenùs non est Omnipotens, quia Trinus, nec Trinitas vt talis est formaliter, sed denominativè potens. Rursus colligitur nullum effectum posse oriri à Deo vt Trino; (Excipitur forte visio Beata ex parte concursus objectivi:) Quia Deus vt Trinus non habet specialem aliquam potentiam ad extra diversam à potẽtia Dei vt vnius: ergo non habet per quid illum operetur.

955 Dices primo: Possunt creaturę de potentia absoluta producere effectus ad quos non habent potentiam: ergo & Trinitas vt talis, sive quævis persona vt talis. Probatur consequentia. Non minus aqua caret potentia ad Gratiam quam Paternitas, sed aqua per assistentiam Omnipotentiæ valet eam producere: ergo & Paternitas. Patet consequentia: quia sic magis extenditur sphæra Omnipotentiæ; nec est cur negetur Paternitati ratione conjunctionis cum Omnipotentia, quod conceditur aquæ ratione subjectionis ad Omnipotentiam. Respond. quod ego non sum locutus de potentia obedientiali. & ideò stando rationi, vt ait Ripalda *disputa. 41. de Ente supernaturali, num. 63.* permitti posset totum, licèt non stando authoritati: & ego nego consequentiam: quia instrumentaliter, & obedientialiter operari dedecet Trinitatem. Insuper, quia derogatur Omnipotentiæ, si negetur ei aliquis modus producendi imperfectione carens, qui personalitatibus attribueretur; nam non haberet omnem perfectionem generis productivi.

956 Dices secundo, probando potentiam in ipsis relationibus. Psalmo 105. dicit: *Quis loquetur potentias Domini*? Ergo sunt plures & relativę. Nego conse-

sequentiam: nam ibi potentiæ summuatur pro effectibus miradilibus potentiæ manifestativis. ¶ Dices tertio: Omnipotentia à Patribus tribuitur Patri, & appropriatur: ergo est relativa; quia nihil appropriatur nisi relatio. Insto in Sapientia tributa Filio, & Amore tributo Spiritui Sancto, quin relativi sint; hæc enim Attributio non erit, ex eo quod propriè sint, sed aliundè fundatur, nempè in eo quod Filius ex vi suæ Processionis est ab intellectu; & ideò dignoscendus à nobis per Sapientiæ opera, & Spiritus Sanctus est ab Amore, per opera Amoris, Bonitatis, &c. quasi per aliqua alia signa sui principij: Pater verò cum non procedat, habet Omnipotentiam omnimodè à se, quam cum ex vi Processionis non communicaverit formaliter Filio, nec Spiritui Sancto, quoad nos quasi servavit sibi, ideòque per opera potentiæ dignoscendus. Sed latiùs *vide in Tomo de Trinitate à num. 674.*

957 Superest indagare, an Trinitas requiratur ut Omnipotentia compleatur ad operandum? Negandum videtur, (sed cum res sit parvi momenti, abunda in tuo sensu) sed quasi per accidens se habet, ut colligitur ex D. Thom *in primo, distinct. 11 artic. 4. ad quartum, & distinct. 29. artic 4. ad secundum.* Tùm quia quævis Persona est complete Omnipotens, (complemento inquam requisito ad operandum:) *Nam Omnipotens, Pater, &c.* Ergo licèt Omnipotentia per relationes compleatur ad subsistendum, non ad operandum. Tùm quia in creatis subsistētia, ut docui in metaphysica non complet naturam ad operandum: Humanitas enim Christi sine fundamento negaretur ad operandum completa, & quod ad hoc à subsistentia Verbi, non cōpleatur specialiter: neque enim subsistentia Verbi, ut distincta à Paternitate specialiter influit effectivè in actiones Humanitatis. Tùm denique, quia aliàs Angelus noscens evidenter creaturas, ex eis per primam causam sive primum principium secundum omne per se requisitum ad eas, & secundum omne terminans formalitèr

earum connexionem, eliceret evidenter Trinitatem contra Theologos.

958 Nec dicas primo: Omnipotentiam de per se petere Trinitatem. Fateor ad essendum & subsistēdum. Nego ad operandum, sicut accidens de per se petit subjectum ad existendum, secus ad operandum, vt in Eucharistia, vbi dicere accidentia miraculose operari est sine fundamēto, prȩcipuè cū subjectum nullam contineat virtutem, vt adjubet ad operandum. Vndè si per impossibile Deus Trinus non esset, & vnus esset, operari posset ad extra.

959 Nec dicas secundo: Ex creaturis evidentèr deduci divinum suppositum: ergo Trinitas. Respondi ad antecedens agendo de subsistentia absoluta; iterum respondeo, non suppositum relativum, sed potentiam solam subsistentem per se nosci ex medio creaturarum præcisè.

960 Nec dicas 3. Patrem esse per se creaturarum principium: ergo quia complet Omnipotentiam. Distinguo antecedens. Per se ex parte earum, nego; ex parte Patris, concedo. Nam iste ex se est Omnipotens, ideòque per se habet per quod influat in creaturas. Nec tandem dicas: in creaturis vt loquuntur Patres, est vestigiūm Trinitatis: ergo prodeunt per se ab illa saltem vt complemento. Nego consequentiam. Quia non est vestigiū influxus, sive Procesfionis, sed similitudinis. Vidȩ circa hȩc *in Tomo de Trinitate,* plura loquendo de Imagine, & de cognoscibilitate Trinitatis.

ARTICVLVS III.

DE CONSTITVTIONE OMNIPOTENTIÆ IN se, & distinctione eius ab alijs.

961 QVæritur primo: An distinguatur ab intellectione, & volitione? Non distingui realiter est certum. Dubium est, an ratione distinguatur. Pono pri.

primo à sola intellectione, ratione distingui; quia intellectio pręcisè dicit cognitionem Dei, & possibilium: atqui Omnipotentia vltra cognitionem etiam directivam dicit potentiam productivam possibilium: ergo differunt. Confirmatur. Deus noscit se ipsum & impossibilia; habetque regulam dictantem actiones essentialiter pendentes à creaturis, quæ tamen sine illis ipse facere non potest, & in quas actiones nequit ipse adæquatè influere, licèt totaliter eas dirigat: ergo posse facere est aliud à cognoscere.

962 Pono secundo: A volitione & cognitione libera quoad denominationem sumptis, etiam distingui. Probatur: Omnipotentia vt productiva possibilium, adhuc quoad denominationem est necessaria, quod non habent illę. Nec dicas, Deum non esse potentem producere, nisi vt volentem libere: ergo Omnipotentia vt talis claudit eam volitionem. Distinguo antecedens: non esse potentem intrinsecè, nego: Potentem extrinsecè, concedo, sibi quoad exequi & applicari; & nego consequentiam: nam hodie est intrinsecè potens ad mille mundos, de quibus habet nolitionem efficacem, quæ complere, aut applicare potentiam nequit. Insuper, quia si id verum esset, Deus numquam fuisset Omnipotẽs, cum numquam habeat, vel habiturus sit volitionem omnia producendi.

963 Pono tertio: saltim ex modo concipiendi distingui ab intellęctione & volitione necessarijs. Probatur: Omnipotentia, vt talis formalissime non concipitur vt potentia vitalis, sed solum concipitur & definitur. Potentia productiva ad extra, & executiva omnium possibilium: ergo vt talis concipitur penes ordinem ad diversum modum tendendi, & diversum connotatum ab intellectione & volitione. Confirmatur: Intellectio vt dirigens, & volitio necessaria, vt potens efficaciter decernere ex vna parte, & Omnipotentia ex alia, diverso modo se habent; nam Omnipotentia vt talis connotat immediatè ex modo concipiendi actionem physicam

ficam ad extra, quam potest exequi: Potentia verò decernendi, denominationem decreti ad intra. Insuper volitio executiva imperat Omnipotentiæ vt physicè exequatur: ergo differunt ex modo concipiendi, sicut in creatis potentia executiva, & intellectus & voluntas.

964 Obijcies contra hanc positionem. Primo, datur in Deo potentia distincta ab intellectu & voluntate? Ergo ista potentia subijt mutationem in tempore, siquidem transit de non operante ad operantem. Hoc autem inconveniens vitatur, si sit ista potentia formalissime intellectio & volitio; nam Deus ab æterno intellexit, & ab æterno voluit producere mundum in tempore. Sic argumentatur Ludovicus Cæsaraugustanus. Nego consequentiam: quia operari ad extra, & transeunter non importat mutationem. Adde, si mutatio esset, non vitari; quia licèt ab æterno intellexerit, & voluerit Deus, non tamen ab æterno influxit, nec exequutus est: ergo in tempore transivit de non exequente, nec influente, in influentem, & exequentem.

965 Obijcies 2. In multis Scripturæ locis operationes ad extra tribuuntur voluntati divinæ, & Patres voluntatem vocant potentiam, vt Leo Sermone secundo de Nativitate: *Deus, cuius voluntas potentia est*; & Damascenus *lib. 2. Fidei, cap. 29. Ipsius Dei potentia, nihil aliud est, quàm bona ipsius voluntas*: & Augustinus *cap. 7. in lib. de Speculo* (vel quisquis sit libri Author.) *Omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti.* Sed respondetur Patres loqui de Omnipotentia vt applicata, vel loqui more humano, quo de valde potentibus solemus dicere: suum velle esse suum operari, quia cum reliqua omnia in promptu sint, solum restare videtur vt innuant, ad hoc vt res illicò fiat. Voluntas ergo dicitur Omnipotentia, ob infinitam subordinationem istius ad illam.

966 3. Data scientia directiva & voluntate efficaci vt res fiat in tali tempore, & seclusa per impossibile quavis alia virtute executrice, ex illis actibus

tanquam ex efficaci & sufficienti causa, sequitur res modo, quo volita est: ergo superflue ponitur Omnipotentia distincta. Antecedens probatur: Tùm quia non videtur consonum Deo, ut talis voluntas non sit ex se sufficiens ad actum, cum ex se sit efficax. Tùm etiam, quia posito actu efficaci statim sequitur effectus: ergo ex eo tanquam ex causa effectiva.

957 Pro solutione nota, sæpè nos tam *in Tomo de Visione, quam in Tomo de Voluntate Dei*, distinxisse duplicem efficaciam, sive duplicem affectum efficacem. Unus est efficax desiderativus, sive affectivus, aut efficax intentivus. Alter est efficax obtentivus sive executivus. Ille prior est de ordine intentionis, estque efficax per se mediatè, quatenùs obligat ipsum Deum ad ponendum rem decretam, ponendo aliud decretum executivum per se. Utrumque istud decretum est de linea affectiva. ¶ Nota 2. Diversum quid esse vim affectivam efficaciter executivam, à vi executiva nō affectiva ex se & ex sua linea. Differunt enim, quia affectiva est efficax executiva per modum motionis efficacis vitalis immediatè applicantis Omnipotentiam ad executionem. At non affectiva, est ipsa vis producendi physicè & entitativè, & re ipsa exequendi rem decretam media productione non vitali, atque transeunte. Hæc secunda vis est virtus propria Omnipotentiæ. Ex his patet responsio ad argumentum. Decretum enim efficax etiam executivum, debet esse plenè efficax in sua linea affectiva, atque Omnipotentię motiva, & exercitè applicativa per modum motionis vitalis. Aliter autem Omnipotentia est efficax, & executiva per modum operationis non vitalis.

958 Assero tamē, quod Omnipotentia non differt virtualiter maximè à volitione & intellectione, sed stat in illis ut causativis. Differt tamen virtualiter cum fundamēto ex parte rei, licèt solū ex modo concipiēdi. Probatur prima pars: quia inter Omnipotentiam, & illas, aut vice versa, nō datur à parte rei formalis contra-

tradictio: si autem negavimus talem distinctionem inter intellectionem & volitionem principia diversarum processionum; multo melius in Omnipotentia. Quæcumque autem obijciantur, ad summum probant distinctionem virtualem minimam, nullo autem pacto maximam. Secunda pars probatur: quia Omnipotentia vt executiva præscindit omninò à vitalitate, secùs intellectio, & volitio vt talis; additque supra istas virtutem aliquam operativam non vitaliter, ac per consequens aliqualiter de diversa linea ex parte concipiētis.

ARTICVLVS IV.

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

969 POtest obijci ex Alòs *disputat.2. num.350.* Actus imperans differt ab imperato, eo quod dicat ordinem ad aliud quod imperat: ergo etiam voluntas imperans ab Omnipotentia imperata. Confirmatur: Tùm in communi sententia, in qua cognitio directa & reflexa, (idem de Volitione) differunt propter ordinem virtualem. Tùm quia Divus Thomas *1. part. quæst.25. artic.5. ad primum*, ait: Ideò Deum facere aliquid, quia vult; non tamen ideò posse, quia vult; sed quia talis est in sua natura. Si autem velle, & posse essent idem, ideò posset quia vult, & è contra.

970 Negatur consequētia. Ad 1. disparitas est, quia actus imperatus procedit ab imperante habente causalitatem, vel quasi, erga imperatum; secùs voluntas ergà Omnipotentiam, quod manifestè indicat D. Thomas citatus, nàm cum dixisset: Ideò Deum facere, quia vult, (quo significat actionem ad extra procedere à volitione vt causa imperante; negat ideò posse, quia vult.) Quo significat Omnipotentiam non oriri à volitione, licèt etiam significet vnam volitionem oriri ab alia, quia inter liberas datur distinctio virtualis maxima. Nec ex eo quod vnus actus Dei liber differat ab

alio absque causalitate inter ipsos, sequitur Omnipotentiam differre absque illa; etenim illi differunt tunc, propter separabilitatem: Vndè actùs imperans, & imperatus habent vestigium distinctionis à causalitate, & alij actus à separabilitate: neutrum autem convenit Omnipotentiæ respectu voluntatis.

971 Ad confirmationem nego primam partem: nam cognitio supra se reflectere potest, nec vt reflexa negat directam, vel è contra, sed ad summum præscindit: eo ipso enim quod est cognitio sui est reflexa. Cum autem objectum non semper causet, nec causetur à cognitione, non datur aliqua causalitas. Ad authoritatem dico, non significare distinctionem, sicut intellectio divina formalissime est substantia, nec tamen ideò est substantia, quia intellectio, nec è contra. Ratio est, quia ille modus loquendi per causalem, non dicit solam formalitatem objectivè, & virtualiter maximè diversam, sed formalitatem ex modo cognoscendi, & conceptum metaphysicum formalissimum, in quo sensu verum est, nec Posse esse Velle, nec Velle Posse formalissimè.

972 Obijcies 2. Omnipotentia applicata per Decretum absolutum non potest non operari, sed est causa necessaria, secùs voluntas. Item Omnipotentia ex proprio modo operandi est subdita voluntati. Confirmatur: Distinctæ volitiones possunt applicare eandem eminentiam ad operandum propter diversa motiva: ergo eminentia operativa Petri, differt à volitione ipsius Petri. Respondetur ad primum, idem esse de voluntate, quia voluntas stante Decreto non potest non operari, licèt libere operetur, ita & Omnipotentia ex parte objecti, licèt Omnipotentia ex modo concipiendi esset libera. Item respondetur; nec voluntatē esse liberam in exequendo formaliter, sed solum denominativè, quia non potest non obedire sibi vt imperanti efficaciter. Ad secundum. Omnipotentia non est subjecta in sua entitate, sed in suis operationibus, quod etiam habet voluntas, nam sic sibi est subjecta.

Ad

973 Ad confirmationem, distinguo consequens: à volitione necessaria, nego; à libera vt tali, concedo. Sed id non est ad rem: fateor enim volitionem liberam vt talem differre aliqualiter ab Omnipotentia. Voluntas enim creata potest per plures volitiones velle, & se applicare sub diversis motivis ad aliam volitionem; nec ideò voluntas ipsa, sive potentia ipsa applicata differt à se ipsa, licèt differat à volitionibus applicantibus. Alias adfert instantias Alòs, v. g. Omnipotentiam non esse vitalem in actu primo, nec esse principium communicativum ad intra. Sed respondetur idem habere ex parte objecti, quod aggregatum ex intellectione & volitione, nam sicut illę sunt vitales in se; non tamen est vitalis operatio quam volunt ad extra, idem de Omnipotentia: & sicut aggregatum est principia communicativa ad intra, si summatur vt ad intra; secus si ad extra & sub hac ratione, idem de Omnipotentia sumpta provt ex parte objecti.

974 Item objicit, ex nostra sententia sequi, Spiritui Sancto ex vi Processionis communicari Omnipotentiam. Nego adhùc ex parte objecti, quia ex vi Processionis non communicatur aggregatum illi, sed sola volitio; aggregatum autem communicatur aggregato ex Filio, & Spiritu Sancto. Respondeo insuper, licèt communicaretur ex vi Processionis; secùs Omnipotētia etiam si staret in sola volitione, quia non sub expresso conceptu lineali Omnipotentiæ.

ARTICVLVS V.

DE SIMPLICITATE VIRTVALI OMNIpotentia.

975 QVÆRES, an Omnipotentia partiri possit in plures formalitates? Negavit Alarcon, sicut negat de Scientia, *disputat* 1. *cap.*3. & alij plures. Affirmant alij, qui probant propter varia connotata independentia. Vtrumque probabile: Potest

summo objecto, ita eminentia productiva Petri vt talis, est productiva inpræscindibiliter omnis producibilis, si benè penetretur; siquidem vt talis debet habere infinitatem omnem, quæ cadere potest in virtutem productivam, ac per consequens infinitatem à termino.

978 Licèt vtraque sententia sit probabilis, & vellem neutram decernere, ne fortè mei oblitus, mihi ipsi alibi adverser; si tamen hoc periculum non adsit, adverto dupliciter posse summi Omnipotentiam, juxta dicta à *n.632.de Visione*. 1.Formaliter sive metaphysicè essentialiter, & hoc pacto est potentia ad quidquid non repugnat. 2.Integraliter & materialiter, & vt est potentia determinata ad hoc & illud. In secundo sensu est multiplex virtualiter potentia, nam salvatur absque eminentia ad formicam eminentia productiva Petri, tanquam prima causa ejus, vt non egens ex se concursu alterius causæ. Erit autem infinita illa eminentia solum vt primę causę, sed non vt Omnipotentiæ.

979 Nec enim ad illam infinitatem intensivam, necesse est infinitas à termino extēsivo, quæ solum requiritur ad infinitatem extensivam Omnipotentiæ, (vel omnis scientię) quæ propter ly *omnis* summunt infinitatem à termino infinitè extenso. Vndè quoad perfectionem intensivam & primæ causæ, tàm perfecta est eminentia vnius creaturæ, quàm infinitarum: & idem de cognitione cujuslibet creaturæ ob eandem rationem. Si verò summatur in primo sensu vt sapiens Omnipotentiam sub conceptu, & ratione Omnipotentiæ debet imbibere essentialiter virtutem ad quidquid non repugnat saltim in genere.

980 Vndè sicut cognitio divina Petri, non habet omnem perfectionem divinam in genere cognoscendi, nisi simul sit formalissime cognitio divinæ essentiæ, eo quod essentia divina vt objectum pertinet ad perfectionem intensivam divinæ cognitionis, tanquam objectum formale ipsius, quod vtpote primarium specificativum debet esse summū in perfectione. Sic respectu

eminentiæ productivæ Petri, (licèt esse productivam muscę, non addat perfectionem intensivam) addit tamen eam ratio primæ causæ, vt productivæ tanquam primæ causæ. Vndè licèt Omnipotentia, sub conceptu expresso Omnipotentiæ, solum sit vna formalitas ex modo concipiendi; est tamen materialiter & integraliter, multiplex potentia etiam disparata ad singula possibilia. Ratio primi est, quia Omnipotentia summitur tunc per modum totius potentiæ ad quidquid non repugnat, & sub hac ratione est tantum vna. Nunc verò vt prima causa Muscæ,

981 Ex his sequitur Omnipotentiam ex parte objecti non esse Attributum essentiæ; sed aggregatum ex essentia & Attributo, nempè voluntate. Ex modo autem concipiendi Omnipotentia non addit supra tale aggregatum, Attributum aliquod per modum perfectionis integræ & completæ, sed potiùs per modum formalitatis (vel modi) specialissimæ & secundariæ productivæ ad extra. Vndè Deus, qui non præscindit ex modo concipiendi inter sua Attributa, ita vt attingat vnum sine alio, dum creaturas cognoscit in Omnipotentia, cognoscit formalissime in essentia.

ARTICVLVS VI.

DE SPECIFICATIVO ESSENTIALI OMNIpotentia.

982 OMnipotentia debet esse simpliciter infinita, non solum in ratione entitative divinę, & vt identificata cum Deitate, sed etiam in ratione potētiæ & virtutis productivę. Sed objicies: specificativū Omnipotentię est terminus producibilis. Atqui iste est finitus & limitatus, nempè cumulus creaturarum possibilium: ergo & specificativū. Quidam respōdent, (& transcribo ex *num. 186. de Voluntate Dei*, ne fortè Tractatus iste obvius nō sit:) Concessa mai. neg. min. quia Omnipotētia

non

nō solum includit virtutem *ad extra* productivam, seu virtutē producēdi ad intra, nēpè generandi & spirā di. Specificatur autem Omnipotētia sic sumpta, à terminis infinitis, nempè genito & spirato. Sed contra: quia si Omnipotentia vt talis imbibit virtutem ad intra producendi; Spiritus S. qui non est potēs ad intra producere, nec erit Omnipotēs in cōcreto, sicut Pater & Filius. Tùm quia Omnipotentia vt est virtus ad extrà, etiam est infinita simpliciter; nam est productiva plus, & plus sine termino, sicut Æternitas & Immensitas correspondentes sine termino. Tùm denique, quia si Omnipotentia partim specificatur à terminis infinitis, & partim à finitis, per diversas productiones: ergo & voluntas per diversos amores. *Vide num.* 987.

983 Ideò respondent alij: Omnipotentiam specificari non à producibili, sed à se ipsa in ordine ad producibile; quia producibile respectu ipsius est terminus, & non forma: sicut est forma respectu potentiæ vitalis. Ratio est, quia Omnipotentia se habet ad Deum modo naturali & physico, & sic solum est Omnipotens ab ipsa virtute intrinseca per identitatem, cum non possit per physicam vnionem; est tamen forma reddens potētem. At forma reddēs volentē se habet modo intentionali, & sic objectum est forma ejus, & speciale specificativū primarium. Sed fortè meliùs diceretur Omnipotētiam specificari à creatura, vt attingibili ab Omnipotentia modo proprijssimo primę causę, quia attingibilitas sub tali ratione, jam est simpliciter infinita.

984 Sed quidquid sit de ista solutione, prębeo aliā ex *nu.* 1531. *de Incarnat.* Negando collectionem omniū possibilium, & ad extra producibilium, esse quid finitū. Nam si summatur secundū quod dicit de Essentijs metaphysicis metaphysice diversis, formalibus, & essentialibus, est quid simpliciter & essentialiter infinitum intelligibiliter & objectivè, (quo solum pacto specificat Omnipotentiam). Cum enim illę essentię creaturarum habeant tantum de perfectione producibili, quantum

ha-

hanc; Omnipotentia de Virtute, & Eminentijs productivis, necessariò importat collectio illa infinitatem simpliciter, & diversitatem perfectionum simpliciter infinitam. ¶ Nec obest, quod illa collectio sit entitatum finitarum. Etenim finitudo ista est distinctio vnius entitatis ab alia, atque ista se habet materialiter ad perfectionem metaphysicam cumuli, quæ adhuc manet simpliciter infinita formaliter; quatenùs ex parte sua præscindit à tali distinctione reali materialiter se habente, & à conditionibus limitantibus. Sicut enim infiniti homines cum singulis numis essent infiniti pauperes: si autem omnes convenirent cum illis numis in vnum hominem, ille esset infinitè dives. Sic & ille cumulus esset infinite perfectus simpliciter, sumptus secundum perfectiones metaphysicas: & sic ruit argumentum.

985 Replicabis 1. Ille creaturarum cumulus purgatus à limitationibus, adhuc manet ens ab alio: ergo adhuc est improportionatus Omnipotentię vtpote enti à se. Distinguo consequens: manet improportionatus subjectivè, concedo: Secundum quod dicunt de linea producibilis, & productivę, nego; quia in hoc æqualissima sunt. Nec Omnipotentia habet plus de productiva, quam cumulus ille sic defecatus, habet intelligibiliter de perfectione essentiali producibili. Quod autem cumulus sit ens ab alio, & Omnipotentia à se, est quid extra lineam, & summitur à subjecto. De simili *in Tractatu de Trinitate, quæst.7. ab artic.9.*

986 Replicas 2. Ille cumulus sic defecatus potest ob perfectionem infinitam simpliciter specificare Omnipotentiam in sua linea: ergo & voluntatem divinam in linea volentis. Respondeo 1. negando consequentiam: quia Omnipotentia vt productiva ad extra adæquatur per perfectiones producibiles secundum adæquatum producibilitatis in ipsis. Voluntas verò divina non se exercet vt amativa, plenè per bonitatem cumuli secundum totam attingibilitatem, nisi addatur

ama-

amabilitas Dei. Respondeò 2. Voluntatem non adæquare totam amabilitatem cumuli, nisi amet in illo relucentiam divinæ bonitatis. Sic autem concedo posse divinam voluntatem specificare.

987 Non reijciendum tamen ex *numer.* 684. *de Trinitate*, quod ait Pater Ruiz *disputat.* 101. *sectione* 4. late probans ex PP. Potentiam productivam ad intra contineri sub Omnipotentia; nam verè est potentia productiva, & sicut Attributum scientiæ non est perfectum in sua linea, nisi contineat omnes formalitates scientiæ, ita Omnipotentia omnes potentias producibilium. Solvit ibi argumenta contraria: Hæc doctrina est satis apta ad solutionem, dicendo, quod sicut tres sunt æquales in Omnipotentia, ita & in potentia ad intra, quia etiam est in illis potentia illa generativa, quæ est in Patre, non quidem secundum munus, & rationem agendi *ut quod*, quia deficit essentialis conditio principij *quod*, benè verò secundum rationem, & perfectionem potentiæ. Totum ergo quod in Patre est quidditas potentię, totum est in Filio, & Spiritu Sancto. Hęc pro hic dictis *num.* 982.

988 Nec obest non posse in illis reduci ad actum, & fore perpetuo otiosam. Respondeo, nihil mirum ob defectum conditionum, sicut potentia in Deo ad chimeram. Nec secundo, quod Filius est impotens ad generandum. Distinguo: impotens ob imbecilitatem, & defectu potentiæ, nego; ex defectu conditionum, concedo; & sic sunt æquales in Omnipotentia: & quantum ad conditiones, vel requisita, benè compensatur scilicèt conditio ut generet, per conditionem ut generetur. Satis probabilis ergo est hæc doctrina. Nec enim est inconveniens, quod in Filio detur potentia generativa, quin denominetur generans, (ac per consequens, & quod Omnipotentia salvetur in Filio, etiam si comprehendat potentiam generandi ad intra:) Sicut in qualibet persona, verè datur Dei-

tas

tas communis, quam Filius, v.g. aut alia persona denominetur communis. Opposita tamen sententia est probabilior, quia de Fide est quod Filius sit in concreto Omnipotens: ergo non solum habet formam sed omnes conditiones, & requisita Omnipotentis & Omnipotentiæ: atqui non habet requisita generantis, aut potentiæ generativæ: ergo ista non imbibitur in Omnipotentia.

989 Quæritur secundo. An Omnipotentia dicat relationem transcendentalem ad possibilia. Datur sententia communis contra communem. Vna enim affirmat, altera negat, dicens Omnipotentiam ex se solum esse potentiam conditionatam ad quidquid non repugnat, ita ut si possibilia non repugnent, sit potentia absolutè productiva ipsorum. Ex se tamen solum est conditionata, nempè si non repugnent.

990 Nota pro decisione ex *numer*.448 *de Visione*, fortè nullibi dari virtutem conditionatam ex parte sua, quia omnis est absoluta & respectus physicus ad terminum; vel in esse possibili, ut formaliter producibilem, vel sumptum saltem in esse intelligibili, & objectivè vero, sicut exigentia aquæ ad actuale frigus est absoluta & vera: Spes salvationis in reprobo est absoluta & vera, & utraque de termino vero; objectivè tantum vero: quia nec est ens rationis, eorum actualitas sperata, nec est physica entitativa; siquidem numquam existet. Solum autem virtus esse potest conditionata ex parte termini materialiter sumpti; si nempè iste informetur termino formali objectivo, v. g. Deus est absolutè productivus omnis producibilis. An Hircocervi? Intellectus est ex se noscitivus omnis veri naturaliter proponibilis. An veri superni? Affirmo de utroque sub conditione, quod Hircocervus intret in absolutam possibilitatem, & verum supernum in naturalem proponi-

bilitatem; sicut homo trahendo rete piscabitur piscem, si tamen piscis intret rete, & non aliter: & in hoc sensu datur virtus conditionata, non respectu termini formalis, sed materialis.

991 Assero primo: quod Omnipotentia connectitur cum possibilibus, essentialiter saltim vt cum termino objectivo, intelligibili & logico. Vndè respectu hujus est potentia absoluta; etiam si respectu eorum vt termini entitativi, & exercibilis esset conditionata. Hoc constat ex dictis. Asseri potest secundo, probabiliter cum sententia satis communi, quod Omnipotentia refertur transcendentaliter ad possibilia vt talia. Probatur: quia hodie cum possibilia sint absolutè possibilia, Omnipotentia est absolutè productiva ipsorum. Et hoc non contigenter, sed necessario, sicut necessariò possibilia, sunt possibilia. Atqui in hoc conceptu potentiæ absolutè ex se ipsa productivæ ipsorum, imbibitur respectus ad illa. Non quidem respectus contingens & prædicamentalis, sed necessarius, & transcendentalis: ergo. Hoc autem argumentum probat respectum transcendentalem, etiam respectu formicæ, & cujuslibet creaturæ possibilis, (licèt solum materialiter, & entitativè se habentem respectu Omnipotentiç, metaphysice, & formaliter sumptæ.)

992 Respondebis denominationem absolute potentis in Deo respectu possibilium, esse quidem non contingentem, sed necessariam. Non tamen necessariam ab Omnipotentia, quia huic est contingens, sed à necessitate termini, sicut iste actus in hæretico est necessario verus: *Deus est Trinus, & Vnus*: Non quidem necessitate sumpta ab actu, sed ab immobilitate objecti. Actus enim ex se cum sit obscurus, & non supernus est tantum probabilis, & non ex se necessario verus.

993 Contra: quia in Deo esse absolutè productivum formicæ non se habet per terminationem contingen-

geutem ſicut in actu libero. Eſt enim perfectio ſimpliciter ſimplex, quia eſt melior ipſa, quam non ipſa, & quam ejus oppoſitum: ergo nulla datur ratio propter quam non competat Deo neceſſario neceſſitate ex parte Dei, ſicut & ſcientia poſsibilium, quæ eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt neceſſaria Deo ex parte Dei.

994 Si dicas 1. fieri Deum, dependentem à poſsibilitate creaturæ. Nego dependentem, ſed connexum, ſicut ipſa ſcientia. Dependentia enim importat defectibilitatem, quæ hic non datur. *Vide dicta à nu.196. de Trinitate.* ¶ Nec dicas 2. eſſe inconveniens, quod impoſsibili formica impoſsibilitaretur entitas Dei. Respond. 1. Hoc importare naturam cujuſcumque connexionis eſſentialis, & in hoc nullum eſſe inconveniens. Reſpondetur 2. Impoſsibilitari quidem quoad entitativum, & materiale atque extenſivum Omnipotentiæ: & hoc ex ſuppoſitione impoſsibili & chimerica, quæ nihil ponit in re, ſecus quoad eſſentiale metaphyſicum, & primarium ipſius.

995 Nec obeſt 3. Impoſsibili nigredine oculum non fore abſolutè viſivum ipſius, ſicut nec impoſsibili anima formicę, materia prima eſſet abſolutè receptiva ipſius. Atqui propter hoc illi non connectuntur eſſentialiter cum iſtis: ergo nec Omnipotentia adhuc materialiter ſumpta cum poſsibilitate formicæ. Reſpond. plures, negando mai. quia de facto connectūtur cū illis. Aliter reſpon leri poteſt data majori & minori, nego conſeq. Diſparitas eſt: quia productivitas abſoluta, ſive reſpectus abſolutus eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quę Deo deficere nequit. In eo autē, quod deficiat oculo, & materiæ primę nullum eſt inconveniens, cum non debeant eſſe entia ſummè perfecta. Satis probabilis eſt hæc ſententia, ſed elige quam volueris, & quæ conformior ſit alibi dictis.

AR-

ARTICULUS VII. & ULTIMUS.

ALIQUA DE ATTRIBUTIS NEGATIVIS. UBI de Ente necessario, & à se.

996 DUplex solet in Deo distingui Attributum. Nempè positivum ut voluntas, Omnipotentia, &c. & Attributum negativum, quod quidem licèt saltem in recto positivum sit, vocari solet negativum, quia explicatur per negationem. ¶ *Negativa censetur esse*, ex Suarez *lib. 2. de Attributis*, in Prooemio: *Increatus, Incorporeus, seu Immaterialis, Infinitus, Immensus, Immutabilis, Incomprehensibilis, Invisibilis, Ineffabilis.* His addi solent alia, quæ negatione complentur, ut *Unus, Simplex, Æternus.* Nos de Dei invisibilitate, (quę solũ est talis per naturam, vel oculis corporeis,) large in speciali Tract. *de Visione* egimus ubi etiam de incomprehensibilitate, & aliqua de ineffabilitate. Item in opere de Incarnatione, plura de incomprehensibilitate dicta sunt.

997 In præsenti autem Tractatu egimus de Immaterialitate Dei, sive incorporeitate, aliqua diximus *quæst. 6. & 13.* De Infinitate, *hic q. 8.* De Immensitate, *tota quæst. 9.* De Immutabilitate, *tota quæst. 10. & numer. 947.* Solum addo explicationis gratia, quod Deus dicitur ab Ecclesia: *Rerum Deus tenax vigor immotus in te permanens.* Etenim mutationes, quæ nobis videntur tales, solum sunt ex parte creaturarum. Sicut enim, si ego sedeam ad dexteram Petri, & transeam postea ad sinistram Petri, sine ulla mutatione ex parte sui, transibit de essente ad sinistram ad essentem ad dexteram respectu mei. Similiter, dum navigantes moventur, terra & arbores videntur eis moveri. Sed falso, quia ipsi navigantes sunt, qui moventur, stantibus illis. De unitate atque simplicitate, plura dedimus *quæst. 6.* & alia addidimus, *quæst. 13. ab art. 4.* & in hac *quæst.*

quæst art. 1. & sæpè alibi. De Æternitate tandem fuse disputavimus, *quæst.* 12. *&* 13.

998 Solum restat aliquid dicere de Attributo: *Increati sive Entis à se*. Qualiter conveniat Filio, & Spiritui Sancto esse simul productos, & ens à se. *Vide à n.* 396. *de Trinit.* Omissis explicationibus aliorũ de Asseitate, existimo: Nihil amplius significari per Asseitatem, quam summam & essentialem determinationem ad existendum sumptam à sua essentia, atque prædicatis essentialibus. Non ergo ly *à se* significat genus causæ efficientis (in primario suo conceptu) positivè, aut negativè, id est quod non sit efficienter ab alio, sed solum sonat, quod esse & existere habet quasi in genere causæ formalis à sua essentia, & à sua essentiali determinatione, quin egeat accipere ab alio, vel beneficio alterius, quia per se ipsum est ens indefectibile, & necessario existens. Sicut autem conceptus essentialis creaturæ consistit primario in combinatione suorum prædicatorum defectibilium, sive capacium inexistentiæ, (ex quo resultat in eis egere causa efficienti:) sic essentia Dei consistit in combinatione prædicatorum indefectibilium tanquam in ratione totali. Vndè per hoc solum intelligitur essentia Dei ut à se plenissime & perfectissime, ut per rationem totalem essendi à se, licèt Nos ex nostra imperfectione explicemus per carentiam causæ efficientis.

999 Sicut enim definitio creationis: *Productio rei ex nihilo*: Si benè penetretur, stat solum in totalitate essendi ab agente ut à causa; nam per hoc exclusa manet dependentia à causa materiali; sic *esse à se*, si benè penetretur, stat solum in existere à se ipso ut ratione formali, plenè & totaliter sic à se ipso.

Et hæc de negativis, & de tota Materia de Attributis.

FINIS.

IN:

DISTINCTIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM, INDEX.

NVMERVS INDICAT MARGINALEM.

DISTINCTIO PRIMA.
DE THEOLOGIA.

QVÆSTIO PRIMA.
DE EIVS NATVRA.

QVÆSTIO II.

DE SCRIPTVRA SACRA. *numer. 64.*

DISTINCTIO II.

DE COGNOSCIBILITATE DEI. *n.100.*

QVÆSTIO III.

De Cognoscibilitate Existentiæ quoad an est? ibid.

DISTINCTIO III.

DE ESSE DEI. *numer.142.*

QVÆSTIO IV.

De Prædicatis Divinis. numer. 142.

QVÆSTIO V.

DE ESSENTIA DEI. *numer.* 171.

DISTINCTIO IV.

DE *ATTRIBVTIS SPECIALIBVS* DEI. *num.* 216.

QVÆSTIO VI.

De Simplicitate Dei. Ibid.

QVÆSTIO VII.

De Bonitate, & Perfectione Dei. n. 241.

QVÆSTIO VIII.

De Infinitate Dei. numer. 263.

QVÆSTIO IX.

QVÆSTIO X.

QVÆSTIO XI.

QVÆSTIO XII.

De Præsentia Physica Futurorum in Æternitate.numer.448

EPILOGVS,

QVÆSTIONVM XI.& XII.

EPILOGVS,

QVÆSTIONIS XIII.

PER EOSDEM TITVLOS ARTICVLORVM. à num.689.

QVÆSTIO XIV.

INDEX RERVM, IN HOC OPERE NOTABILIVM.

Numerus indicat marginalem.

A.

Con-

Con-

Quæ-

Essentia.

Euidentia.

Exi-

H

I

Im-

Intellectivum, Intellectus.

Ioannes à S. Thoma.

L

M

P

P

Cur

Scio:

Sub.

LAUS DEO.

5-3-1

Al Sig.r

